

-282
B219v

v.4

BOOK 282.B219V v.4 c.1
BALUZE # VITAE PAPARUM
AVENIONENSIMUM



3 9153 00069882 1



Digitized by the Internet Archive
in 2009 with funding from
Boston Library Consortium Member Libraries

VITAE

PAPARUM AVENIONENSIMUM

VITAE
PAPARUM AVENIONENSIA
HOC EST
HISTORIA
PONTIFICUM ROMANORUM

QUI IN GALLIA SEDERUNT
AB ANNO CHRISTI MCCCV USQUE AD ANNUM MCCXCIV

Stephanus BALUZIUS

TUTELENSIS

MAGNAM PARTEM NUNC PRIMUM EDIDIT, RELIQUAM EMENDAVIT
AD VETERA EXEMPLARIA
NOTAS ADJECIT ET COLLECTIONEM ACTORUM VETERUM

NOUVELLE ÉDITION

REVUE D'APRÈS LES MANUSCRITS ET COMPLÉTÉE DE NOTES CRITIQUES

PAR

G. MOLLAT

Docteur ès Lettres et en Philosophie, Professeur à l'Université de Strasbourg.

—
TOME IV
—

P A R I S

LIBRAIRIE LETOUZEY ET ANÉ

87, BOULEVARD RASPAIL, 87

—
1922

NIHIL OBSTAT

Parisiis, die 3 februarii 1922.

Censor deputatus,

F. MOURRET.

IMPRIMATUR

Parisiis, die 10 februarii 1922.

E. THOMAS.

v. g.

COLLECTIO ACTORUM VETERUM
QUORUM FACTA EST MENTIO
IN NOTIS

STEPHANI BALUZII TUTELENSIS

AD VITAS PAPARUM AVENIONENSIA

XC

[605] DONUM ¹ FACTUM DOMINO GUILLERMO ROGERII, MILITI, MILLE
LIBRARUM TERRAE AD HEREDITATEM IN COMITATIBUS ANDEGAVIAE
ET GENOMANIAE ASSIDENDARUM. — Villeneuve-lez-Avignon,
mai 1342.

Jehan ainsné fils du roy de France, etc. Sçavoir faisons à tous présens et avenir que pour contemplation de Nostre Très-saint Pere pape Clement le sixiesme, et considéré la bonne amour que il en tous ses estats a eu à nostre tres-chier seigneur et pere le roy et à l'ostel et couronne de France et à nous, eu aussi regart et consideration aux tresbons et agreeables services que nostre amé et féal chevalier messire Guillaume Rogier, seigneur de Chambon, frere dudit Saint Pere, a faits à nostredit seigneur et père, en ses guerres et ailleurs, et avons espérance que il fera tousjours, et pour autres certaines causes que à ce nous ont esmeu, nous pour nous et pour nos hoirs et successeurs avons donné et donnons par ces présentes de grace espéciale, de [606] certaine science, et de nostre propre mouvement audit messire Guillaume Rogier pour luy, ses héritiers, et successeurs, ou aians cause de li, héritablement et à perpétuité, mil livres tournois de rente annuelle avec toute jurisdiction haute, moyenne, et basse, mere et mixte impere, et avec un chastel ou forte maison là où ladite terre li sera assise, sans compter les maisons ou édifices, ne la jurisdiction,

1. Ex registro Andegaviae in camera computorum Parisiensi, *Bal.*; pièce non retrouvée.

ne les fiex en aucun pris. Laquelle rente avec toutes les autres choses dessusdites ledit messire Guillaume, ses héritiers, successeurs, ou aians cause de li tenront de nous et de nos successeurs comtes d'Anjou et du Maine à une foy et hommage sans autres charges. Et les voulons et ordonrons estre assises et assignées et baillées en la maniere que dit est en nostre conté d'Anjou et du Maine tout ensegamment sans aucun moien entre deux ou lieu ou lieux à luy plus profitables et moins dommageus à nous ; gardée esdites assiete et prisiée la coutume du pais où elle sera faite. Et ce que pour la cause dessusdite et en la maniere que dit est sera assis, assigné, prisié, et baillé audit mons. Guillaume voulons et mandons estre osté des comptes et receptes du receveur ou receveurs sous qui recepte il sera assis par nos amez et feaulx les gens de nos comptes à Paris sans aucun contredit et sans autre mandement attendre. Et pource que ce soit ferme chose et estable à tousjoursmais, nous avons fait mettre nostre seel à ces présentes lettres. Donné à Villeneufve saint Andrieu près d'Avignon l'an de grace mil C CC. quarante et deux..... de may.

XCI

[607] ACTA¹ CORAM ARMANDO ARCHIEPISCOPO AQUENSI, QUIBUS
JACOBUS REX MAJORICARUM CONTROVERSIAM QUAE ILLI ERAT CUM
PETRO REGE ARRAGONUM COMMITTIT ARBITRIO SUMMI PONTIFICIS.
— Barcelone, 24 juillet 1342.

Noverint universi quod die mercurii xxiv die julii, anno Domini MCCCXLII, in conventu fratrum Minorum Barchinone, presente me notario et testibus infrascriptis, constitutus personaliter serenissimus princeps dominus Jacobus Dei gratia rex Majoricarum, comes Rossilionis et Ceritanie, ac dominus Montispessulani in presentia reverendi in Christo patris domini Armandi archiepiscopi Aquensis ac sacrosancte Sedis apostolice legati missi pro pacificanda et sedanda dissensione que inter ipsum dominum regem et illustrem principem dominum regem Aragonum vertitur, dixit et asseruit eidem quod cum pridem in castro ipsius domini regis Majoricarum Perpiniani ipse legatus ex parte domini summi pontificis presentasset eidem domino Majoricarum regi quasdam ipsius domini summi pontificis litteras

1. Ex authentico, *Bal.*; pièce non retrouvée.

effectualiter continentes quod ipse rogabat et exhortabat ipsum dominum Majoricarum regem quod de dissensione predicta vellet ad pacis et tranquillitatis unionem et concordiam devenire, adherendo exhortationibus dicti domini legati, quem propterea ad ipsos dominos reges destinabat, et quod ipse dominus summus pontifex etiam in persona paratus erat pro bono pacis laborare super hoc et etiam interponere partes suas, ipse dominus rex Majoricarum respondit sibi quod erat paratus de et super dicta dissensione ad concordiam devenire et se supponere rationi, offerendo quod de eis erat paratus stare cognitioni dicti domi[608]ni summi pontificis tanquam judicis, cum judex sit et esse debeat inter reges, et sic judex possit et esse debeat in causa dictae dissensionis, vel quod erat paratus causam ipsam in posse ipsius domini summi pontificis tanquam arbitri ponere et in ipsum consentire et compromittere quod justitiam faciat super inde. Quare nunc prefatus dominus rex dixit et asseruit dicto domino legato quod ipse offert se de presenti et paratus est et paratum se offert de causa ipsa stare cognitioni dicti domini summi pontificis tanquam judicis in dicta causa, cum de similibus causis et aliis vertentibus inter reges judex sit et esse debeat, et ad ipsum solum et dumtaxat noscatur cognitio pertinere, vel quod causam ipsam paratus est ponere in posse dicti domini summi pontificis tanquam arbitri et in ipsum de causa ipsa compromittere et consentire, ita quod faciat justitiam super ea. Et ad predicta se obtulit, requirens inde sibi fieri publicum instrumentum. Quod fuit actum die, anno, et loco supradictis, presentibus nobile Johanne de Sono vicecomite de Evolo, Petro Raymundi de Codaleto majore domus domino de Pontiliano, Arnaldo de Lordato militibus, Jasperto de Tregurano consiliariis, Philippo de Bartzano secretario prefati domini Majoricarum regis, ad hoc testibus evocatis, et me Perpiniano Imberti ejusdem domini regis secretario et auctoritate imperiali notario publico, qui per eum requisitus predictis interfui, et inde hoc recepi et scripsi publicum instrumentum, et signavi hoc solito meo signo.

XCI

[609] NOBILITATIO¹ JOANNIS BERTRANDI DE COLUMBARIO ET LIBERORUM EJUS. — Saint-Germain-en-Laye, février 1343, n. st.

Philippus, [Dei gratia Francorum rex], dilecto nostro Johanni Bertrandi de Columbario, filio quondam Guillelmi Vera de Anicis (a), salutem. Excellentia regie dignitatis sue potestatis plenitudine proprium in terra jus noscitur obtinere ut nobilitatem generis quam origo natalium non produxit regalis munificentia plenarie largiatur. Itaque cum tu ex parentibus innobilibus genere fueris procreatus, consideratione amicorum tuorum motu proprio inclinati, te tuosque liberos utriusque sexus in perpetuum nobilitatis plenarie beneficio decoramus, ut proinde quoad omnia tam preterita quam futura ipsius nobilitatis juribus integre potiaris ac si a tue nativitatis tempore fuisses ex nobilibus genere parentibus procreatus, tibique et tuis liberis in perpetuum liceat a quocumque volueritis militiam armatam recipere, et actus quoscumque nobiles exercere, ac dignitates et honores qui nobilibus convenient obtinere, necnon castra, villas, merum [et] mixtum imperium et jurisdictionem omnimodam, feuda nobilia, et alias res quascumque de novo acquirere vel acquisita perpetuo retinere, atque alia insignia omnia prebere militaria, et predictas res in te et tuos justo transferre titulo (b) et jam translatas tibi et eis dimittere absque alia licentia petenda a nobis vel financia requirenda, et quod aliquis ex eo quod tecum vel cum tuis in posterum contraxerit vel contrahet aut (c) contraxit super predictis rebus vel aliis quibuscumque, seu te vel ipsos militaverit, a nobis vel quovis alio reprehendi, mulctari, seu condemnari non possit vel trahi modo quolibet (d) ad emendam aliquam corporalem vel pecuniariam infligendam. Sane ut hec nostra gratiosa con[610]cessio perpetuis temporibus observetur omnibus et singulis personis regni nostri districte precipimus et mandamus sub nostre indignationis incursu et sub pena arbitraria, si contrarium quisquam faceret, infligenda ut te tuosque liberos et omnes contractus et actus predictos et alios quoscumque habitos vel habendos ut veros

a) Bertrandi *au lieu de* Vera de Anicis, *Bal.* — b) *titulo transferre, Bal.* — c) *vel, Bal.* — d) *quomodolibet au lieu de modo quolibet, Bal.*

1. D'après *JJ* 74, fol. 8 v^e, cap. 16 (Archives nationales de Paris).

nobiles recipient et admittant, nullam innobilitatis conditionem quamecumque ad preterita, presentia, et futura improperantes, vel dicto seu facto vos a nobilium actibus in faciendo vel non faciendo consistentibus repellendo. Quod ut firmum et stabile perseveret, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum, salvo in aliis jure nostro, et in omnibus quolibet alieno. Actum apud Sanctum Germanum in Laya anno Domini MCCCXLIIJ, mense februarii. Per dictum regem. Chambellan (a).

XCIII

ACTA¹ CORAM ANDREA DE FLORENTIA CARDINALE, QUIBUS JACOBUS REX MAJORICARUM POLLICETUR SE EA OMNIA FACTURUM QUAE ILLIC CONTINENTUR PRO REVOCANDA CONCORDIA INTER IPSUM ET PETRUM REGEM ARRAGONUM. — Perpignan, 2 mai 1343.

In nomine Domini. Amen. Noverint universi et singuli hoc presens instrumentum publicum inspecturi quod anno a nativitate ejusdem MCCCXLIIJ, indictione xij, die secunda mensis maii, pontificatus sanctissimi patris et domini nostri domini Clementis divina providentia pape VJ anno primo, serenissimus princeps et dominus dominus Jacobus Dei gratia rex Majoricarum illustris, comes Rossilionis et Ceritanie, ac dominus Montispessulani, presentibus nobis notariis et testibus infrascriptis, promisit reverendissimo in Christo patri et domino domino Andree miseratione divina tituli Sancte Anastasie presbitero cardinali apostolice Sedis [611] nuncio, fide data in manu sua, et nobis notariis infrascriptis sicut personis publicis omnia et singula infrascripta solempniter stipulantibus ad opus illius vel illorum cujus vel quorum interest vel interesse potest, quod ipse dominus rex Majoricarum renovabit serenissimo principi domino Petro gratia Dei regi Aragonum illustri homagium ut alia vice fecit, et quod fiant hinc inde omnia que tunc facta et retenta et protestata fuerunt. Et quia in conventionibus que renovabuntur continetur quod teneatur idem dominus rex Majoricarum firmare jus in posse dicti domini regis Aragonum, dictus dominus rex Majoricarum renovatis homagio et conventionibus de facto faciet ipsam firmam in posse domini regis Ara-

a) Per dictum regem. Chambellan, *omis par Bal.*

1. Ex authentico, *Bal.*; pièce non retrouvée.

gonum memorati juxta formam conventionum. Item quod dictus dominus rex Majoricarum recognoscat quod secundum conventiones non erit sibi licitum dare cursum in terris Rossillionis, Ceritanie, Confluentis, Vallispirii, et de Coquolibero alteri monete quam Barchinonensi. Et quia in conventionibus de quibus agitur non est expresse cautum quod liceat dicto domino regi Majoricarum in dictis terris facere cudi monetam, nec est sibi etiam denegatum, promisit ut supra et voluit dictus dominus rex Majoricarum pro bono pacis et ad tollendum omnem materiam questionis quod de isto articulo, an scilicet liceat dicto domino regi Majoricarum facere cudi in predictis terris monetam non dando ei cursum, stetur amicabili ordinationi domini nostri summi pontificis visis dictis conventionibus et auditis partium rationibus hinc et inde, vel stetur eodem modo decisioni et declarationi prefati domini cardinalis nuncii dicte Sedis solius, ut negotium possit celerius terminari; vel, si magis placeat dicto domino regi Aragonum, placet prefato domino regi Majoricarum quod stetur ordinationi et declarationi prefati domini cardinalis et nuncii una cum uno de regalibus do[612]mus Aragonum quem ipse dominus rex Aragonum ad hoc duxerit eligendum; et interim donec dictum negotium fuerit terminatum supersedebit idem dominus rex Majoricarum ab omni cussione monete in terris predictis; salvo semper jure suo cudendi monetam in regno Majoricarum. Item fuit actum quod dictus dominus rex Aragonum, precedentibus hiis que scripta sunt, pro honore domini nostri pape et Ecclesie romane et ad preces domini cardinalis et nuncii predicti remittat omnes penas, si quas per prefatum dominum regem Aragonum incurrisse dicatur dictus dominus rex Majoricarum quacumque ratione vel causa usque ad diem renovati homagii, et renovet homagium de valentia facienda ut alia vice fecit, et consentiat protestationibus faciendis per dictum dominum regem Majoricarum de hiis de quibus fuit alias protestatum, si et prout alias consentiit : que protestationes, prout dictus dominus rex Majoricarum asseruit, facte fuerunt super eo quod dicto domino regi Majoricarum ac successoribus suis et juri eorum in obligatione facta dicto domino regi Majoricarum de potestatibus regni et ceterarum terrarum suarum ratione illarum triginta millium librarum de Terno que fuerunt sibi constitute in dotem cum illustre domina regina domina Constance consorte sua dicti dominiregis Aragonum sorore solvendarum certis terminis, nec etiam in obligatione facta dicto domino regi Majoricarum de jam dictis potestatibus pretextu illarum duodecim millium sexcentarum viginti trium librarum regalium quinque soli-

dorum et duorum denariorum monete Majoricensis minutorum ad quas ascendit armamentum sex galearum quas dominus Philippus de Majoricis tutorio nomine dicti domini regis Majoricarum accommodavit alicui seu aliquibus ex predecessoribus dicti domini regis Aragonum de bonis dicti domini regis Majoricarum pro duobus mensibus ad opus [613] succursus insule Sardinie et pretextu illorum quindecim milium solidorum Barchinonensium que de bonis dicti domini regis Majoricarum dictus dominus Philippus alicui seu aliquibus ex predecessoribus dicti domini regis Aragonum mutuavit et tradidit pro eis seu eo Garsie de Loriz tunc dispensatori inclite infantisse domine Cheresie, prout in chartis factis super hoc dicitur contineri, non prejudicetur, quinimmo supradicte obligationes pro jam dictis quantitatibus salve, predictis non obstantibus, dicto domino regi Majoricarum et suis successoribus remaneant in sui roboris firmitate, nec propter renovationem et homagium fienda dictis obligationibus de dictis potestatibus factis prejudicium aliquod generetur, seu in aliquo detrahatur, immo contenta in eis inviolabiliter observentur. Et versa vice ipse dominus rex Majoricarum remittet omnes penas quas dicit ipsum dominum regem Aragonum incurrisse ratione valentie non facte per ipsum dominum regem Aragonum ipsi domino regi Majoricarum contra dominum regem Francie in facto seu negotio Montis-pessulani. Fuit etiam actum per eumdem dominum regem Majoricarum et acceptatum per eumdem dominum cardinalem et nuncium quod omnia jura, conventiones, et conventionum declarationes habita et firmata, habite et firmate inter antecessores prefatorum dominorum regum Aragonum et Majoricarum remaneant et sint ex expressa et renovata conventione et concessione in eodem statu et eodem jure pro futuris casibus et temporibus in quibus erant ante tempus mote discordie inter eos et petite valentie per dictum dominum regem Majoricarum domino regi Aragonum supradicto contra prefatum dominum Francorum regem, non obstantibus quibuscumque controversiis preteritis et presentis homagii et conventionum renovatione. Pro quibus omnibus complendis per dictum dominum regem Ma[614]joricarum, ut superius sunt inserta, que per ipsum compleri debebunt, idem dominus rex Majoricarum fecit dicto domino cardinali homagium ore et manibus commendatum, et hec tenere et servare promisit et juravit sacris scripturis tactis corporaliter per eumdem in casu in quo concordia tractata per dictum dominum cardinali et nuncium per prefatum dominum regem Aragonum acceptetur et ad finem debitum ducatur. De quibus omnibus dictus dominus

cardinalis et nuncius mandavit fieri publicum instrumentum. Acta fuerunt hec in castro regio Perpiniani die et anno predictis, post horam tertie, presentibus reverendis in Christo patribus Ildebrandino Paduanensi et Antonio Gaietanensi episcopis et nobilibus viris dominis Johanne de Sono vicecomite de Evolo, Garino de Castronovo domino de Apcherio, Petro Raymundi de Codoletto, domino de Pontillano, et Raymundo Flote, militibus, testibus ad premissa rogatis.

Ego vero Guillelmus de Bega, clericus Agennensis diocesis, publicus apostolica auctoritate notarius, familiaris dicti domini cardinalis, predictis omnibus una cum dictis testibus et magistro Pirpiniano Imberti notario infrascripto interfui, et de mandato dicti domini cardinalis et nuncii hoc presens instrumentum scripsi et signo meo consueto signavi, quod fecit suo et dicti domini regis Majoricarum sigillis in veritatis testimonium communiri.

Ego Perpinianus Imberti prefati domini nostri regis Majoricarum secretarius et ejus auctoritate ubique terrarum suarum notarius publicus requisitus una cum prefato magistro Guillelmo de Begua predictis interfui, et ea recepi, et apposui hic solitum meum signum.

Pendent duo sigilla regis Majoricarum in cera flava et Andreae cardinalis in cera rubea.

XCIV

[615] BULLA¹ CLEMENTIS VI DE ELECTIONE EPISCOPORUM CASTRENSIS,
MONTISALBANI, ALECTENSIS, SANCTI PAPULI ET SARLATENSIS. —
Avignon, 29 mai 1343.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.
In sacra Petri sede, cuius sumus, licet immeriti, successores, in plenitudinem potestatis assumpti, tunc potestate ipsa laudabiliter utimur cum inspectis diligenter circumstantiis variis personarum et rerum, locorum et (a) temporum emergentibus necessitatibus articulis utiliter providemus, et presertim in hiis ex quibus capitulorum cathedralium ecclesiarum maxime (b) regularium, qui debent in

a) ac, Bal. — b) ecclesiarum cathedralium necnon, Bal.

1. D'après le registre Vatican 159, fol. 200 v^o, ep. 1040; ex archivio ecclesiae Sarlatensis, Bal.

tranquillitate mentis et corporis Domino famulari, quieti et paci consultitur, summoventur jurgia, et ecclesiarum ipsarum utilitatibus providetur, obviatur periculis futuris ac scandalis, et eorum capitulorum in suorum electione pastorum uniformitas cum capitulo aliis et ecclesiarum cathedralium, a quibus secundum instituta canonica discrepant, procuratur (a). Nuper siquidem ex dilectorum filiorum Castrensis, Montisalbani, Electensis, Sancti Papuli et Sarlatensis ecclesiarum ordinis sancti Benedicti, priorum et capitulorum petitionis serie nobis oblate perceperimus quod olim felicis recordationis Johannes papa XXIJ, predecessor noster, cum predictas ecclesias tunc monasteria dicti ordinis, et de Albiensi, Narbonensi, Tholosanensi, Caturcensi et Petragoricensi dyocesibus existentia, in cathedrales erexit, et Castrensem, Montisalbani, Electensem, Sancti Papuli et Sarlatensem civitates, tunc villas, civitatum vocabulis insignivit, et cuilibet ipsarum ecclesiarum certam dyocesim assignavit, in suburbio Montisalbani Sancti Stephani de Tescone, et in Castrensi Sancti Petri de Burlatio (b), ac in Electensi Sancti Papuli de Fenolhedesio, in Sancti Papuli Castrinovi de Arrio, ac in Sarlatensi dyocesibus Sancte Marie de Capdroto (c) ecclesias in collegiatas erexit, nec[616]non in eisdem Sancti Petri, Sancti Pauli, Castrinovi de Arrio, Sancti Stephani decanos, et in Sancte Marie ecclesiis archipresbiterum, et in earum singulis certum canonicorum secularium collegium auctoritate apostolica ordinavit, statuens inter cetera in erection et ordinatione collegiorum hujusmodi quod decani et archipresbiter, ac omnes et singuli canonici ipsorum collegiorum (d) secularium, quotiens ecclesie ipse cathedrales forent pastoribus pro tempore viduate, vocarentur ad eligendum inibi pontificem, ac eorum singuli vocem haberent, sicut singuli monachorum dictarum ecclesiarum cathedralium, in electionibus antedictis; que ordinatio, si servaretur in posterum, dissensiones, discordias, scandalis et nonnulla pericula inter priores, capitula, ac decanos, archipresbiterum, et (e) collegia memorata parere possit (f), ut subjungebat dicta (g) petitio, multiplicitate in futurum, nisi super hoc per apostolice Sedis providentiam adhibeatur remedium oportunum. Quare prefati priores et capitula ipsarum cathedralium ecclesiarum (h) nobis humiliter supplicarunt ut, cum secundum canonica instituta

a) ac scandalis... procuratur, *passage omis par Bal.* — b) Burlato, *Bal.* —

c) Capdroco, *Bal.* — d) collegiorum ipsorum, *Bal.* — e) ac, *Bal.* — f) posset, *Bal.* — g) eadem, *Bal.* — h) ecclesiarum cathedralium, *Bal.*

ad cathedralium ecclesiarum capitula dumtaxat electiones pontificum pertinere noscantur, ipsos priores et capitula, ad vitanda predicta pericula et scandala in futurum, et ut electiones episcoporum in ecclesiis ipsis cathedralibus, cum pro tempore pastoribus caruerint, possint liberius ac in pace et tranquillitate, ut decet, divino fayente auxilio celebrari, ad jus commune quoad electiones hujusmodi faciendas reducere dignaremur. Nos igitur, considerantes quod antiquorum patrum decrevit auctoritas et predictorum instituta canonum (*a*) censuerunt ad cathedralium ecclesiarum capitula dumtaxat electiones suorum pontificum pertinere, ac debita meditatione pensantes quod ordinatio ipsa in electionibus episcoporum predictorum, cum casus emerget, posset discordiam generare ipsisque cathedralibus ecclesiis spiritualiter et temporaliter ex discordibus electionibus ipsorum monachorum, decanorum, archipresbiteri, et canonicorum, que disparitate status eorum attenta presumi possunt verisimiliter, multiplex inducere detrimentum, ac (*b*) propterea dictorum priorum et capitulorum ipsarum cathedralium ecclesiarum, ut devotius Altissimo faintulari valeant, quieti et paci providere in posterum, necnon dictis futuris scandalis et periculis obviare, ipsisque capitulis aliarum ecclesiarum cathedralium quoad electionem suorum presulum (*c*) pacificare et conformare volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, apostolica auctoritate decernimus et specialiter statuimus quod singuli priores et capitula ecclesiarum cathedralium regularium predictarum, quandocumque et quotiescumque ecclesie prefate pastore carebunt pro tempore, decanis, et archipresbitero et secularibus canonicis predictis collegiorum ipsorum minime convocatis (*d*) nec admissis, sed ipsis prorsus exclusis, ad electionem sui presulis faciendam, cum casus emergat, soli et in solidum libere et sine ipsis ecclesiarum collegiatarum decanis, archipresbitero, et (*e*) canonicis procedere valeant, et quod ad priores et capitula hujusmodi ecclesiarum cathedralium et eorum singula dumtaxat pertineat in posterum sui episcopi eligendi potestas et perpetuis futuris temporibus electio facienda, constitutione et ordinatione prefatis ejusdem predecessoris, seu quod ipsi decani, archipresbiter et collegia sint in possessione forsitan eligendi, ac (*f*) aliis apostolicis constitutionibus, seu statutis et privilegiis ecclesiarum ipsarum (*g*)

a) predicta instituta canonica, *Bal.* — *b)* et, *Bal.* — *c)* pontificum, *Bal.* — *d)* nullo modo requisitis, *Bal.* — *e)* secularibus, *ajouté par Bal.* — *f)* et, *Bal.* — *g)* in parte, *au lieu de* ipsarum, *Bal.*

contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre constitutionis et statuti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumperit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursum. Datum Avi-[618] nione, iii kalendas junii, pontificatus nostri anno secundo.

XCV

PETRI REGIS ARRAGONUM EPISTOLA¹ AD CLEMENTEM VI PAPAM ADVER-
SUS JACOBUM, REGEM MAJORICARUM. — Majorque, 13 juin 1343.

Sanctissimo ac beatissimo in Christo patri et domino domino Clementi, divina providentia sacrosante romane et universalis Ecclesie summo pontifici, Petrus Dei gratia rex Aragonum, Valencie, Majoricarum, Sardinie, et Corsice, comesque Barchinone, ejus humilis filius et devotus pedum oscula beatorum. Quamquam, pie pater, nostrorum fundamenta processuum quos incepimus contra inclitum Jacobum, dudum Majoricarum regem, per informationem primo venerabili Armando, Aquensi archiepiscopo, et denuo reverendo patri Andree, divina providentia tituli Sancte Susanne presbitero cardinali, apostolice Sedis nunciis, tam verbis traditam quam scripturis vestre clare liqueant sanctitati, ne tamen per quempiam precidi valeat assertio veritatis, cause nostre justitiam et ejus felicis executionis seriem stilo describimus certiori. Olim siquidem, cum serenissimus dominus Jacobus dive recordationis, abavus noster, regnum Majoricarum et ei adjacentes insulas, quod eripuerat a manibus paganorum, necnon comitatus Rossilionis et Ceritanie, et terras Confluentis, Vallispirii et Cauquiliberi, Montempessulanum cum sua baronia, et vicecomitatus Omeladesii et Carladesii a principatu suo, cui unita fuerant, separando, inter vivos donasset et subsequenter legasset in suo ultimo testamento illustri Jacobo, filio suo secundo genito, serenissimo domino Petro, fratre suo, recolende memorie, proavo nostro, tunc infante, ut primogenito succedente in regnis Aragonie, Valencie et comitatu Barchi[619]none, se donationi prefate protestationibus et

1. D'après JJ 270, fol. 216 r^o (Archives nationales de Paris) et le ms. latin 6025, fol. 9 r^o-12 r^o (Bibliothèque nationale de Paris), qui ne contient qu'un texte incomplet.

contradictionibus opponente, tandem post obitum dicti abavi nostri prefati mota lite ad invicem inter ipsos fratres, idem Jacobus, Majoricarum rex, secundus genitus, de jure suo plenissime informatus, recepit in feudum regnum, insulas et terras alias memoratas a dicto domino rege Petro sub certis conventionibus atque pactis in infeudatione ipsa consertis, suum ligium hominem et vassallum (*a*) se perinde constituit sub virtute homagii et fidelitatis per eum prestiti juramenti, et subsequenter cum in guerre discriminé que inter illustres Francie ac ipsum dominum Petrum, Aragonum reges, invaluit idem rex Majoricarum dicto regi Francie adhesisset, serenissimus dominus rex Alfonsus, bone memorie, patruus noster, magnus primogenitus et successor in regnis ipsi domino regi Petro, cepit et apprehendit ac in sua tenuit potestate regnum Majoricarum cum insulis memoratis, quod interveniente tractatu sanctissimi domini Bonifacii pape VIIJ, recordationis felicis, fuit per illustrissimum dominum regem Jacobum, bone memorie, avum nostrum, restitutum prefato Majoricarum regi et infeudatio supra tacta renovata cum pactis et conventionibus antefatis, idemque Majoricarum rex se hominem ligium et vassallum prefati domini avi nostri et successorum suorum, sicut pretangitur, cum sacramento et homagio recognovit¹. Et consimiles infeudatio, recognitio, conventiones, et pacta, sacramenta et homagia fuerunt inter illustres reges Aragonum et Majoricarum suis casibus et temporibus sine tergiversatione qualibet renovate. Demum iste dudum Majoricarum rex a generositate sua preclara degenerans, quod utinam tacere possemus, nec ejus sublimi deferens dignitati, set prodigus magnificentie status sui, premissis et magnis beneficiis et favoribus illi dudum pupillo per progenitores nostros exhibitis, que, ne tedium ingerant, hic omittimus enarrare, [620] per ingratitudinis abjecte lubricum retrojectis, adolescentie sue tempus adeptus, jam incipiens superbire (*b*), continuis actibus et ubique vias exquisivit et causas, ac leges et canones usquequaque rimatus est, quibus posset imperii nostri patrimonio per fictiones imaginarias nos privare a nostreque superioritatis dominio resilire. Set cum vidit jura quevis et imaginarias causas quas ipse texuerat resistere suo fini, per fas vel nefphas satagens obtinere sue prave conceptionis intentum, illustres Francie, Castelle ac Scicilie reges, et

a) hominemque suum ligium, *registre JJ.* — *b)* omis par Bal.

1. Voyez t. III, p. 12 et sq.

omnes etiam pene communitates Ytalie, necnon aliquos nostros subditos degentes intra limites regni nostri temptavit super inhiendis contra nos alliganciis, pactionibus et conjurationibus, ac eos variis tractatibus fatigavit : qui tanquam innata (*a*) fidelitate preclari, quia procul abjecerunt hujusmodi factionibus adherere, adhuc obstinatus in culpa nequivit quam sine causa contra nos conceperat malitiam retinere, sed tanquam in desperationis lapsus caligine cum infideli et blasfemo rege Garporum contra nos pactiones inire tractavit et federa, cui nostrorum nisus fuit sanguinem fidelium vendere subditorum, suis illi solempnibus nunciis destinatis; quod nusquam hactenus inter fideles Christicolas reperitur auditum. Sed nec idem Garporum rex admittere voluit tam nephandas et detestabiles factiones. Et cum ad ejusdem dudum Majoricarum regis exitiale (*b*) propositum non procederent supradicta, cepit injuste seditionem ingerere contra dictum Francie regem, et nos ac subditos utriusque, nostro vigore dictarum conventionum cum crebris instantiis subsidio requisito, ut emulus amoris et pacis vigentis inter ipsum Francie regem et nos ac subditos utriusque. Verum quia sagitte, quas super hiis in nos emiserat, in ejus se ignominiam et dispendium converterunt, in alios prorupit enormes excessus. Nam, contra dictarum conventionum inhibitionem expressam, in ipsis terris et comitatibus intra Cathaloniam constitutis aliam [621] monetam preterquam Barchinonensem currere permisit et fecit, et, quod erat gravius, cudit seu publice cudi fecit monetam novam in villa Perpiniani infra limites et principatum nostrum Cathalonie consistente, necnon fecit conflari seu fundi monetam nostram Barchinonensem argenti, que nequaquam tangi, contaminari seu ledi per eum quomodolibet debuisse. Nos quippe videntes ipsum olim Majoricarum regem in lesionem gravem conventionum et infeudationum ipsarum necnon expresse contra jus patrie ac in evidens et universale dispendium rei publice nostre, nec minus in offensam notabilem et injuriam nostre regie magestatis, premissa nobis querelis non vacuis subditorum nostrorum crebris clamoribus patefacta, talia nequiter commisisse, ea tamen inconsultis motibus ascribentes, ac volentes ipsum amicabiliter a tanti erroris invio revocare, requisivimus sibi vistas, quas nobis cum certi tenoris litteris expresse negavit. Cum autem sine gravi scandalo, nostroque dedecore ac enormi contemptu nequiremus predicta nec deberemus sub conniventia preterire, citavimus illum, sibi nichilominus injun-

a) omis par Bal. — b) exequiale, registre JJ.

gentes quod, certa die sibi prefixa, coram nobis personaliter compareret, paratus subire judicium et firmare de directo in posse nostro, et alias procedere in premissis prout juris, rationis, et conventionum ipsarum ac usaticorum Barchinonensium series exhigebat. Sed idem rex olim contra nos rebellionis calcaneum erigendo, loco ac die sibi prefixis vel die sequenti de gratia expectatus comparere vel responsalem seu excusationem mittere renuit coram nobis. Eo quidem per nos contumace legitime reputato, necnon declarato fore procedendum contra ipsum et feuda predicta juxta jura, conventiones et usaticos memoratos, et undique nostris gentibus convocatis pro executione hujusmodi facienda, ad ingentem instantiam archiepiscopi memorati, necnon precibus dicti dudum regis inducti, eumdem [622] guidavimus qui se nostram asseruit presentiam aditum pro concordia reformanda, necnon prorogavimus executionis terminum supra tacte. Dicto quidem olim rege presentiam nostram in civitate Barchinonensi, ad quam dictus nuncius antea venerat, adeunte, licet eum honorifice admittendo, super tractatibus dicti nuncii cupientes, conscientia teste, concordiam reformari, benigne fuerimus prosecuti et caritativam clementiam ostenderimus super ipsis excessibus et injuriis ac aliis per eum contra domum nostram Aragonensem perpetratis, tamen eumdem, quem prius ad firmandum de directo durum inveneramus, post inceptos tractatus concordie reperimus duriorum, neglecta per ipsum pena sevissima que vassallis differentibus et contendentibus firmam facere de directo per dictos usaticos, quibus subest pro dictis feudis, infligitur ipso facto. Rursum cupientes admonendum illius cor saxeum a tanti erroris precipitio lenimento clementie revocare, prorogavimus ei guidaticum; quo pendente, cum ex superhabundantia cordis, quod inviti fari cogimur, non posset ulterius fomitem sue conscientie vulnerate, quem diu tenuerat in occulto, contegere, presens adhuc in civitate prefata prorupit in abusiones sequentes, quod videlicet conventiones et infeudationes prefate viribus et effectu carebant, necnon regnum, comitatus et terras predictas a nobis in feudum tenere cum scripturis publicis contemptibiliter denegavit, non attento quod, modico lapsu tempore, conventiones et infeudationes prefatas, presente copiosa gentium multitudine, tenere pro nobis in feudum cum sacramento et homagio recognoverat, sicut edocent liquide publica monumenta. Nec per dictum apostolicum nuncium seu alium quemvis ad aliquam viam trahi potuit rationis; est ab ipsa civitate repente recessit, relicta inibi preclara Constancia, regina dudum Majoricarum, consorte sua, sorore

nostra carissima, domina utique provida hone^[623]state pudoris aliarumque virtutum pulcritudine decorata, nullo recepto comeagio ab eadem, nec dimissis ei familiis aliquibus. Et, tempore durante guidatici memorati, nullaque diffidatione previa, mercatores et alios nostros subditos cepit, et eorum bona rapuit in terris feudalibus antefatis. Et ex tunc deteriora continuans, predas, invasiones, insultus, neces, expugnationes et vulnera nostris terris et subditis irrogavit. Nec denique rex olim prefatus ejusdem cardinalis tractatibus trahi potuit ad judicium rationis. Quinimmo persuasiones et ex[h]ortationes dicti cardinalis et salutares monitus obaudivit, ac continue moliebatur contra nos hostiles exercere conatus. Nos quidem ad nostri reintegrationem patrimonii et propulsandas tam atroces injurias et conceptus desicere nequeentes, pridem cum armato navigio et felici stolio nostro appulimus ad portum de Pegaria, dicti Majoricarum regni, die vicesima quinta mensis madii proxime lapsi. Rexque dudum prefatus, existens homo noster ligius et vassallus, non erubuit cum exercitibus equitum et peditum dicti regni, erecto vexillo et ordinatis agminibus, nostro personali conspectui hostiliter apparere nostrosque debellare exercitus ac signis nostris victricibus non sine nota sevissima contraire. Illius tamen et ejus numerosi exercitus resistentia non obstante, classem nostram fiximus littori dicti portus, et cum strenuis bellatoribus nostris qui vehebantur in illa dictum olim regem cum suis exercitibus aggressi fuimus viriliter et potenter, in ejus Altissimi nomine qui prosequitur justitiam cause nostre, et qui nostras docuit manus ad prelum, et signis nostris victricibus fecit esse proprium inimicos feliciter superare. Et nonnullis in conflictu peremptis, idem rex olim cum suis exercitibus, quos Almugavari nostri insecuri sunt fere usque ad menia civitatis, per ignominiouse fuge remedium proximum excidium evitavit; et aliqui se per montanearum latibula re^[624]ceptantes interitum evaserunt. Plurimos tamen ex illis quos clementer abire permisimus potuissemus in ore gladii delevisse. Apprehensa siquidem terra potenter, dictique dudum regis et ejus exercituum exterminio subsecuto, tentoria nostra parvimus, et acies nostras ordinari fecimus ad apprehensionem dicte civitatis Majoricarum et castrorum, villarum atque locorum regni ejusdem continue processuri. Die vero ultima dicti mensis, ipso dum rege cum nonnullis suis complicibus a civitate ac regno prefatis per occulte fuge festinanciam jam absente, cives et incole civitatis ipsius, tam justitia nostra agnita quam viribus nostris expertis, super apprehensione civitatis ejusdem nullam nobis fecerunt resistentiam,

set patientiam prestiterunt, prout tenebantur ad hoc ex antiquis conventionibus et promissionibus per eos predecessoribus nostris factis sacramentis et homagiis roboratis. Et tandem castris, villis et locis aliis nostro dominio feliciter acquisitis, dictum regnum cum ei adjacentibus insulis pacifice possidemus. Quibus opportune dispositis, ad apprehensionem aliarum terrarum feudalium nostros proponimus cum Dei auxilio festinare processus. Hec siquidem clementie vestre harum serie intimamus, vestre beatitudini humiliter suppli- cantes quatinus more patris benivoli amplectentes justitiam nostram meridiali radio clariorem, necon excessus gravissimos, atroces injuri- as, et exemplo perniciosa crimina prefati dudum Majoricarum regis, qui dignus ad regimen non extitit nec existit (more namque tirannico sic extorsionibus, impressionibus et rapinis seviebat in subditos, qui nostri erant principaliter homines et vassalli, quod ipsum regnum necon alias terras suas feudales et degentes in eis pararat excidio et exinanitioni deduxerat miserande) recti censura judicii detestantes, nullum contra nos idem rex olim inveniat in sinu vestre sanctitatis auxilium vel favorem. Almam personam [625] vestram ad sua sacra servitia merito preelectam conservet Altissimus per tempora longiora. Et quia sigilla nova nondum fieri fece- ramus, presentem sigillo nostro antiquo jussimus sigillari. Datum in civitate Majoricarum, ydus junii, anno Domini MCCCXLIIJ.

XCVI

CLEMENTIS PAPAE VI RESPONSORIA¹ AD SUPERIOREM EPISTOLAM REGIS
ARRAGONUM. — Villeneuve-lez-Avignon, 1^{er} juillet 1343.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Petro, regi Aragonum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Regalis excellentie litteras, quas ad justificationem processuum et aliorum que per te, fili carissime, facta fuerunt hiis diebus preteritis contra carissimum in Christo filium nostrum Jacobum, regem Majoricarum illustrem, nostro apostolatui noviter destinasti, solita benignitate recepimus, et que continebantur in eis pleno collegimus intellectu. Sane, fili dilectissime, quamvis premissa tam gestis diversis

1. D'après JJ 270, fol. 219 r^o et 235 v^o, le ms. latin 6025, fol. 12 r^o et 31 v^o, et le registre Vatican 137, ep. 121, fol. 41 v^o.

inter clare memorie reges Aragonum et Majoricarum olim habitis quam efficacium rationum eloquiis elegantibus justificare fortiter per illa que describuntur in predictis litteris videaris, pro parte tamen regis predicti excusationes et rationes allegantur que justificare videntur non parum e contrario factum suum. Verum quia rex ipse de domo et prosapia tua regia processisse noscitur, et tibi nexus sanguinis et affinitatis de propinquo non modicum, cum sororem tuam germanam in uxorem habeat, ex qua prolem utriusque sexus suscepit, proculdubio est conjunctus, si laudabilia progenitorum tuorum vestigia imitari, sicut te decet, curaveris, tuis convenire honoribus non videtur ut ad regis prefati suique primogeniti nepotis tui, qui ei de jure debet succedere, [626] aspires exterminium quomodolibet vel intendas. Nam rex ipse nequirit sic confundi, te predictoque nepote tuo, ipsius regis primogenito, ac carissima in Christo filia nostra Constanția, regina Majoricarum illustri, germana tua, ipsiusque regis conjugē, remanentibus inconfusis. Quocirca regalem tuam rogamus excellentiam attentius et per Dei misericordiam obsecramus quatinus hec et alia que regie considerationi possunt super hiis occurrere intra pectoris regii claustra revolvens, et considerans nichilominus diligenter quod postquam super cepto negotio contra regem eumdem honorem recepisti votivum, regius debet animus ad pacem et misericordiam inclinari, cum sacra teste scriptura firmetur clementia thronus regis, erga regem prefatum domumque suam, quam velut propriam ex premissis causis et multis aliis teneris prosequi gratiis ac favoribus opportunis, non solum justitia set etiam gratia velis uti. Porro quia didicimus ab experto quod dilectus filius noster Bernardus tituli Sancti Ciriaci in Termis presbiter cardinalis, apostolice Sedis nuntius, tui honoris et commodi fervidus zelator existit, ipsum ad te, fili amantissime, partesque illas propter premissa specialiter providimus destinandum : cuius monitis, consiliis et exhortationibus in hac parte salubribus sic benigne, clementer et pie, quesumus, adquiescas quod tali et tante tamque honorabili victorie clementia succedente, fama tui nominis et honoris exinde felicia per orbem incrementa suscipiat, et apud Deum, qui pios et misericordes sic diligit quod ipse pater misericordiarum eis misericordiam repermittit uberiorem, in presenti gratiam et in futuro beatitudinis gloriam consequaris. Datum apud Villamnovam, Avignonensis dyocesis, kalendis julii, pontificatus nostri anno secundo.

XCVII

[627] LITTERAE¹ EJUSDEM PETRI, REGIS ARRAGONUM, AD BERNARDUM DE ALBIA CARDINALEM. DE NEGOTIO REGNI MAJORICARUM. — Majorque, 13 juin 1343.

Reverendo in Christo patri domino Bernardo, divina providentia tituli Sancti Ciriaci in Termis presbitero cardinali, speciali amico nostro, Petrus Dei gratia rex Aragonum, Valencie, Majoricarum, Sardinie etc., salutem pariter et honorem. Noveritis nos domino summo pontifici post assuete reverentie titulum scribere in hec verba : Quamquam, pie pater, nostrorum fundamenta processuum, quos incepimus contra incitum Jacobum dudum Majoricarum regem, etc. (ut supra tit. xcv.) Idcirco paternitatem vestram experimento probabili novimus et pro firmo tenemus ex intima cordis affectione, quam erga nos et domum nostram Aragonie geritis, successuum nostrorum felicium non expertem, ac ex adiuste nobis prosperitatis eventu in se leticie jubilum assumere in immensum, premissa vobis ad gaudium providimus intimanda, eamdem paternitatem intimis affectibus deprecantes quatinus apud dominum summum pontificem ne contra nos audiat vel exaudiat aliquas oblocutiones fictas, que coram eo pro parte dicti dudum regis forsitan exponentur sollicite vobis insistere placeat et velitis, sicuti de amicitia vestra plene confidimus, nostris precibus et honore; et regratiabimur quamplurimum illud vobis. Et quia sigilla nova nondum fieri feceramus, presentem sigillo nostro antiquo jussimus sigillari. Datum ut supra.

XCVIII

[628] LITTERAE² AGNETIS DUCISSAE DURACII, QUIBUS TALAYRANDO CARDINALI FRATRI SUO DONAT QUICQUID JURIS SIBI COMPETEBAT IN BONIS ARCHAMBALDI, COMITIS PETRAGORICENSES.—Naples, 11 août 1343.

Agnes ducissa Duracii et comitissa Gravine universis presentis scripti seriem inspecturis tam presentibus quam futuris. Et nature lex dictat et civilis ratio non abhorret ut nobis bona facientibus ad anti-

1. D'après JJ 270, fol. 220 r^o, et le ms. latin 6025, fol. 13 r^o.—2. Ex archivio-regio Palensi; *Bal.*; pièce non retrouvée.

dora obligemur. Notatur enim ingratitudinis vitio qui pro meritis non respondet. Quod quidem vitium divino detestatum judicio, abominabile gentibus, ingratum a beneficiorum perceptione repellit, ut non erubescat negare obsequium qui exinde premium non expectat. Sane attendentes plurima grata et accepta beneficia que venerabilis pater et dominus dominus Talayrandus, Dei gratia tituli Sancti Petri ad vincula presbiter cardinalis, carissimus dominus et frater noster nobis et liberis nostris prestitit, prestat ad presens, et prestare poterit dante Domino in futurum. et potissime attentis laboribus et favoribus per eum prestitis in maritagio Caroli ducis Duracii, primogeniti nostri carissimi, cum spectabili Maria, ejus consorte, nata quondam clare memorie domini Caroli, regis Roberti primogeniti, ducis Calabrie, filia nostra carissima, ex quo domus nostra et liberorum nostrorum extitit multis honoribus et commodis ampliata, necnon et laboribus aliis quos subiit et subit ad presens pro negotiis inclite domine Joanne Dei gratia Jerusalem et Sicilie regine dicte Marie ducisse filie nostre sororis carissime domine nostre apud dominum summum pontificem ejusque sacrum collegium, pro statu nostro prospero et dictorum natorum nostrorum, eidem domino cardinali, fratri [629] nostro, tanquam benemerito ex certa nostra scientia et gratia speciali, ex proprii motus nostri instinctu, in recompensationem laborum et beneficiorum prestitorum per eum et que prestari poterunt, ut prefertur, pro se, heredibus et successoribus suis in perpetuum damus, tradimus, donamus, et cedimus donationis titulo inter vivos omne jus omnemque actionem tacitam vel expressam competentem nobis contra heredes et successores quondam recolende memorie Archambaldi comitis Petragoricensis, fratris ejusdem domini cardinalis et nostri, eorumque terram et bona pro summa viginti duorum milium florenorum auri seu summa quacumque debita per dictos heredes et successores ejusdem comitis fratris ejusdem domini cardinalis et nostri de summa dotis promisse quondam bone memorie domino Johanni, clare memorie domini Caroli secundi illustris Jerusalem et Sicilie regis filio, duci Duracii, tunc Achaei principi, carissimo domino viro nostro, tempore contracti matrimonii inter dictum dominum virum nostrum et nos contemplatione matrimonii supradicti per dictum quondam comitem antedictum, constituentes dictum dominum cardinalem fratrem nostrum procuratorem in rem suam ad premissum debitum petendum et exigendum in judicio vel extra, de jure vel de facto, transferentes in eum omne jus omnemque actionem realem et personalem, hypothecariam tacitam et expressam,

seu omnem aliam actionem quamcumque competentem et competituram nobis, heredibus et successoribus nostris contra heredes et successores dicti domini comitis eorumque fidejussores, terram et bona, ratione debiti supradicti, promittentes per stipulationem legitimam et sollemnem nobili viro domino Rogerio de Vintrono, legum doctori, archidiacono de Conchis in ecclesia Ruthenensi, camerario dicti domini cardinalis fratris nostri, ac procuratori ad premissa per litteras ejusdem domini cardinalis, fratris [630] nostri, specialiter ordinato, presenti, recipienti, et stipulanti donationem, traditionem seu quasi et cessionem predictas procuratorio nomine et pro parte dicti domini cardinalis fratris nostri suorumque heredum et successorum, nullo unquam tempore contra facere vel venire de jure vel de facto, in judicio vel extra, sed donationem, traditionem, et cessionem predictas ratas, gratas perpetuo habere et firmas. Pro quibus omnibus et singulis attendendis et inviolabiliter observandis nec in aliquo mutandis per nos vel heredes aut successores nostros in judicio vel extra obligamus nos, heredes et successores nostros, ac bona omnia nostra inobilia et stabilia, habita et habenda, sollemniter et expresse, dicto domino Rogerio procuratori recipienti et stipulanti procuratorio nomine pro parte dicti domini cardinalis, fratris nostri, suorumque heredum et successorum, cum refectione damnorum, interesse, et expensarum que possent incurrire dictus dominus cardinalis suique heredes et successores, si per nos vel heredes et successores nostros contra premissa vel aliquod premissorum actum fuerit vel temptatum. Hoc tamen reservato in donatione, traditione, et cessione predictis sollemniter et expresse quod in casu tantum quo presentes domini Petragoricensis domus et successores sui per directam lineam descendentes ab eis de domo ipsa communi Petragoricensi, quod Deus avertat, cederent in fata nullo herede legitimo superstite per rectam lineam ex eisdem, licitum et reservatum sit nobis, heredibus ac successoribus nostris expresse, donatione, traditione, et cessione predictis non obstantibus quoquo modo, sed habitis pro cassis et irritis, repetendi summam predictam dicte dotis restantis deberi de dicta summa dotis premissae per dictum dominum comitem, fratrem nostrum, dicto quondam domino viro nostro, ut prefertur, et habendi recursum ad bona obligata nobis pro dote predicta super bonis ipsis [631] pro integro supplemento dotis predicte, integris in suo robore firmitatis remanentibus instrumentis et cautelis aliis factis de promissione dotis predicte tempore contracti matrimonii antedicti pro nobis, heredibus et successoribus nostris, dicto procuratore in

rem suam penitus revocato ipso facto, etiamsi fuerit dominus litis effectus, vel si exacta fuerit summa predicta debita nobis de quantitate dotis promisse per dictum quondam dominum comitem Petragoricensem dicto domino viro nostro donata, tradita, et cessa per nos dicto domino cardinali, fratri nostro, ejusque heredibus et successoribus, ut prefertur, per eumdem dominum cardinalem seu ejus heredes et successores ab heredibus et successoribus dicti quondam domini comitis Petragoricensis in totum vel in partem, et deinde si, quod Deus avertat, accideret casus predictus, scilicet quod presentes domini Petragoricensis domus et successores sui per rectam lineam descendentes ab eis de ipsa domo communi Petragoricensi cederent in fata nullo herede legitimo superstite per rectam lineam ex eisdem, nos heredes et successores nostri nichilominus recursum habere possumus pro dicto debito exigendo contra detentores dictorum bonorum obligatorum nobis pro dote predicta et ad bona obligata premissa, dicta solutione seu exactione facta per dictum dominum cardinalem fratrem nostrum ejusque heredes et successores aliquatenus non obstante ac absolutione et liberatione et quittatione quacumque. Cujus autem procuratorii tenor talis est. TALEYRANDUS, Dei gratia tituli Sancti Petri ad vincula presbiter cardinalis, universis harum seriem inspecturis tam presentibus quam futuris notum facimus per presentes quod nos confisi de fide, prudentia, et legalitate nobilis viri domini Rogerii de Vintrono legum doctoris, archidiaconi de Conchis in ecclesia Ruthenensi, camerarii et capellani nostri dilecti, ipsum presentem et [632] onus infrascripte procurationis in se sponte suscipientem constituimus et ordinamus nostrum verum procuratorem, negotiorum gestorem, et nuncium specialem ad conferendum se personaliter Neapolim coram spectabili domina Agnete ducissa Duracii et comitissa Gravine, sorore nostra carissima, procuratorio nomine et pro parte nostra, et recipiendum ab ea nomine quo super dationem, traditionem, donationem, et cessionem donationis titulo inter vivos viginti duorum milium florenorum auri seu summe cuiuscumque debitorum seu debite eidem domine ducisse, sorori nostre, suisque heredibus et successoribus per heredes et successores recolende memorie domini Archambaldi, comitis Petragoricensis, fratris ejusdem domine ducisse et nostri, de summa dotis promisse bone memorie domino Johanni, duci Duracii, tunc Achaei principi, viro ejusdem domine ducisse, tempore contracti matrimonii inter eos contemplatione ejusdem matrimonii per predictum quondam comitem Petragoricensem fratrem communem seu recipiendum cessionem

juris et actionis cujuscumque realis et personalis, hypothecarie tacite et expresse, vel alterius actionis cujuscumque competentium dicte domine, sorori nostre, ejus heredibus et successoribus contra heredes et successores dicti quondam comitis fratrī communis, dictasque dationem, traditionem, donationem, et cessionem stipulandum per stipulationem legitimam et sollemnem procuratorio nomine quo supra, ac omnia alia et singula faciendum in premissis et quolibet premissorum seu dependentibus ex eisdem que quilibet verus et legitimus procurator, negotiorum gestor, et nuncius specialis facere posset et deberet, et que nos ipsi facere possemus et deberemus, si personaliter interessemus, etiam si mandatum exigant speciale. Hoc tamen in donatione, traditione, et cessione predictis reservato sollemniter et expresse quod si presentes domini Petragoricensis domus et succ[633]essores sui per rectam lineam descendentes ab eis de domo ipsa communi Petragoricensi, quod Deus avertat, cederent in fata nullo herede legitimo superstite per rectam lineam ex eisdem, licitum et reservatum sit dicte domine ducisse, heredibus et successoribus suis expresse repetendi et habendi recursum ad bona obligata eidem predicta dote et super bonis ipsis pro integro supplemento dotium predictarum, donatione, traditione seu quasi et cessione predictis non obstantibus quoquo modo, sed habitis pro cassis et irritis, ipso facto. Et si per nos, heredes et successores nostros etiam facta fuerit exactio dicte dotis restantis ab heredibus et successoribus dicti quondam comitis fratrī communis, et dictus casus accideret, ut prefertur, nichilominus dicta domina ducissa ejusque heredes et successores recursum habere possint et valeant pro dote restante predicta contra detentores dictorum bonorum obligatorum, solutione facta nobis et nostris heredibus non obstante. Promittentes ratum, gratum, et firmum habere et tenere quicquid per eundem dominum Rogerium procuratorem nostrum in premissis et quolibet premissorum aut dependentibus ex eisdem actum fuerit sive gestum, fidejubentes pro eo sub hypotheca bonorum nostrorum omnium. Unde ad futuram memoriam et hujus rei testimonium et cautelam presentes nostras procurationis litteras fieri fecimus nostro patenti sigillo munitas. Datum Avinioni anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo tertio, die secunda mensis maii, undecime indictionis. In cuius rei testimonium et cautelam presens nostrum scriptum fieri fecimus nostro pendenti sigillo munitum. Datum et actum Neapoli, presentibus venerabili patre domino fratre A. episcopo Murano, cancellario, et domino Petro Arnaldi, milite, dicte ducisse filie nostre

senescallo, notario Nicolao de Silvestro de Neapoli, et pluribus aliis consiliariis et familiaribus nostris anno [634] et indictione predictis, die xj augusti.

XCIX

LITTERAE¹ GAUCELMI EPISCOPI ALBANENSIS DE DISPENSATIONE SUPER AFFINITATE SPIRITALI INTER CONJUGES.—Avignon, 1^{er} juillet 1343.

Venerabili in Christo patri Dei gratia archiepiscopo Rothomagensi vel ejus vicario in spiritualibus Gaucelmus miseratione divina episcopus Albanensis salutem et sinceram in Domino caritatem. Ex parte Radulphi le Moine, scutiferi, et Johanne de Guerres, domicelle, conjugum vestre diocesis, nobis oblata petitio continebat quod licet pater ipsius Johanne dictum Radulphum post creationem ejusdem Johanne de sacro fonte levasset, iidem tamen Radulphus et Johanna ignorantes quod predicta impedirent quominus possent ad invicem matrimonialiter legitimate copulari, matrimonium inter se per verba de presenti contraxerunt de facto absque aliis solemnitatibus, et carnali copula subsecuta prolem ex hujusmodi matrimonio procrearunt. Cum igitur quoad alios impedimentum hujusmodi sit occultum, et si fieret divor- tium inter eos, gravia possent inde scandala exoriri, supplicari fece- runt humiliter eis super hoc per Sedem apostolicam de opportuno remedio misericorditer provideri. Nos igitur volentes saluti animarum ipsorum conjugum providere et hujusmodi scandalis obviare, auctoritate domini pape, cuius penitentiarie curam gerimus, et de ejus speciali mandato vive vocis oraculo nobis facto vestre circumspectioni committimus quatenus, si est ita, injuncta inde cuilibet eorum pro modo culpe penitentia salutari, quodque unam capellam fundent, et eam de XV libris turonensium parvorum annui redditus dotent infra annum, eisque ad tempus, prout expedire videritis, quoad thoru- rum separatis, cum eisdem conjugibus quod impedimento non ob- stante predicto [635] possint ad solemnisationem dicti matrimonii pro- cedere et in eo licite remanere misericorditer dispensematis, prolem ex eis susceptam et suscipiendam legitimam decernendo. Datum Avi- nioni, kal. julii, pontificatus domini Clementis pape V anno secundo.

1. D'après une copie prise par Baluze dans le cartulaire de l'archevêque de Rouen, G. 7, fol. 103 v°, aux Archives de la Seine-Inférieure.

C

PETRI REGIS ARRAGONUM EPISTOLAE¹ TRES AD CLEMENTEM VI PAPAM,
 BERNARDUM DE ALBIA CARDINALEM, ET BONIFACIUM FERRARIUM,
 LEGUM DOCTOREM, ADVERSUS JACOBUM, REGEM MAJORICARUM,
 VOLENTEM, UT FAMA ERAT, VENDERE VICECOMITATUS CARLADESII
 ET OMELADESII ET BARONIAM MONTISPESULANI. — Barcelone,
 10 septembre 1343.

*Sanctissimo ac beatissimo in Christo patri domino domino Clementi,
 divina providentia sacrosancte romane ac universalis Ecclesie summo
 pontifici, Petrus Dei gratia rex Aragonum, etc., pedum oscula beatorum.
 Auditui nostro, pater sanctissime, noviter est deductum quod inclitus
 Jacobus de Majoricis in nostri grande prejudicium et lesionem non
 modicam nostrorum jurium que habemus queque ad nos spectant
 in vicecomitatibus Carladesii et Omeladesii, et baronia et villa Mon-
 tispessulanii, tam ratione executionis justitie quam contra dictum
 Jacobum facere incepimus et continuare intendimus, Domino conce-
 dente, ratione denegationis predictorum et aliorum que pro nobis
 tenet in feudum, quam ratione juris substitutionis seu vinculi vel
 successionis nobis et nostris successoribus pertinentis vel spectantis
 in vicecomitatibus et baronia et villa predictis et aliis universis bonis
 que dictus Jacobus possidet, casu quo ipsum vel prolem legitimam
 suam absque filiis masculis mori contingeret quandocumque, tractat
 dictos vicecomitatus et baroniam vel partem eorum vendere seu in
 alios in fraudem pre[636]dictorum nostrorum jurium transportare,
 cuius tractatibus se immiscent auresque suas prebent, ut perpen-
 dimus, aliqui cardinales. De quo vehementer admirari cogimur et mo-
 veri, cum non deceat statum tam notabilium personarum sicuti car-
 dinalium in prejudicium et exheredamentum nostri dominii et juris
 nostri patrimonialis se ingerere nec assumere in se onus tante ingra-
 titudinis in lesionem non modicam et offensam nostri, qui nullam
 eis causam scimus nec intendimus prebuisse. Quare, beatissime pater,
 predicta ad vestram notitiam deducentes, vestre Sanctitati humiliter
 supplicamus quatinus vestrum sacrum collegium cardinaliumigne-
 mini ex[h]ortari eisque et eorum singulis sub virtute obedientie vel*

1. D'après JJ 270, fol. 257 v^o (Archives nationales de Paris), et le ms. latin 6025, fol. 53 r^o (Bibliothèque nationale de Paris).

alias, prout Sanctitati vestre videatur expediens, inhibere quod in nostrorum jurium tantum prejudicium et gravamen aliquibus tractatibus super venditione vel quacumque alia alienatione vel impignoratione eis vel ipsorum alicui de dictis vicecomitatibus et baronia, in totum vel in partem, fienda nullatenus se involvant, quinimo, si super eo processum est in aliquo, id provideat vestra Sanctitas revocari. Almam personam vestram conservare dignetur Altissimus incolument Ecclesie sue per tempora longiora. Datum Barchinone, iiiij ydus septembbris, anno Domini millesimo CCCXLIIJ.

Reverendo in Christo patri Bernardo, divina providentia tituli Sancti Ciriaci in Termis presbitero cardinali, speciali amico nostro, Petrus, Dei gratia rex Aragonum etc., salutem et honoris incrementum. Significamus paternitati vestre quod nos scribimus domino summo pontifici post assuete recommendationis preambulum in hec verba : Auditui nostro, pater sanctissime, noviter est deductum, etc... revocari. Vestram igitur paternitatem, de qua plenam fiduciam gerimus ab experto, precamur attente quatinus dicto domino (a) summo pontifici velitis preinsertam litteram presentare ipsumque infor[637]mare de jure nostro et instare penes eum quod nullo modo permittat quinimo expresse prohibeat ne aliquis cardinalis se ingerat in premissis in nostrorum jurium tam maximam lesionem. Datum Barchinone, iiiij ydus septembbris, anno Domini MCCCXLIIJ.

Petrus, Dei gratia rex Aragonum etc., dilecto nostro Bonifacio Ferrario, legum doctori, procuratori nostro in romana curia, salutem et dilectionem. Significamus vobis quod nos scribimus domino summo pontifici post assuete recommendationis preambulum in hec verba : Auditui nostro, pater sanctissime, noviter est deductum, etc. Quocirca vos attente rogamus quatinus sollicitetis reverendum cardinalem Ruthenensem, qui pro hiis per alias nostras litteras scribimus, ut litteram preinsertam velit quantocitius poterit dicto domino summo pontifici presentare ipsumque de jure nostro informare et instare penes eum quod ad venditionem predictorum nostrorum jurium in totum vel in partem nullatenus procedatur, nec minus, si vos sentiretis procedi in aliquo in premissis, mox vos opponatis eisdem de jure nostro, prout expedierit, protestando. Et de hiis omnibus que circa premissa occurrere noveritis, curetis nos vestris litteris reddere certiores. Datum Barchinone, iiiij ydus septembbris, anno MCCCXLIIJ.

a) omis par Bal.

CI

ALIAE EJUSDEM REGIS EPISTOLAE¹ AD PAPAM CLEMENTEM VI ET QUOS-DAM CARDINALES, DE EODEM ARGUMENTO. — Valence, 12 octobre 1343.

Sanctissimo ac beatissimo in Christo patri et domino domino Clementi, divina providentia sacrosancte romane ac universalis Ecclesie summo pontifici, Petrus, Dei gratia rex Aragonum, etc., ejus humilis filius et devo-tus pedum oscula beatorum. Abhominabile Deo et hominibus judicium rationis se[638]quentibus per[h]orrendum ingratitudinis vitium detes-tantes, et magnis a Sedis apostolice largitate collatis progenitoribus nostris ac nobis honoribus atque favoribus gratiarum induci, quorum censeri nolumus inmemores aut ingrati, habet, pater sanctissime, non immerito nostra filialis devotio unde Domino Deo nostro in vocem exultationis et confessionis erumpat et fateatur humiliter vobis de immenso ipsius dono fore concessum et cordi vestre Sanctitatis infu-sum ut vestra beatitudo, que justitiam vere colit, equitatem diligit, ac veritatem prosequitur in omnibus viis suis, super processu executionis per nos contra [inclitum] Jacobum de Majoricis, ejus obstinata exigente protervia, inchoate, prout relatu fide dignorum accepimus, jus nostrum libenter amplectitur et justitie nostre favet adversus aliquos obloquentes, processum ipsum justis rationibus duffendendo, nec illis credentiam adhibendo. Pro quibus devotas laudes et gratiarum supplices actiones vestre referimus Sanctitati, disponentes ex hoc ad vestra et sancte matris Ecclesie grata servitia nos semper reddere promptiores. Ceterum, pater sanctissime, quia nonnulli Sedis apostolice cardinales, videlicet Prenestinus, de Puteo, de Neapoli et etiam Hostiensis, ut pro certo didicimus, stateram justitie nostre subvertere et nos in executione predicta, prout se offert eis possilitas, impedire, predicto inclito Jacobo de Majoricis de certis mutuo quantitatibus florenorum subvenerunt, et contra executionem predictam justitie robore circumfultam favorem et auxilium prebuerunt et impendere non desistunt, ideo beatitudini vestre seriem litterarum quas post assuetum preambulum super hoc singulis eorum dirigimus presentibus jussimus intercludi. Quibus

1. D'après JJ 270, fol. 268 r°-271 r° (Archives nationales de Paris) et le ms. latin 6025, fol. 64 v°-67 r° (Bibliothèque nationale de Paris).

diligenter attentis, consideret vestra Sanctitas si per dictos cardinales premissa honeste vel licite fieri potuerunt. Almam personam vestram conservet Altissimus suo sancto servitio per tempora longiora. Datum [639] Valencie, iiiij ydus octobris, anno Domini MCCCXLIIJ.

Reverendo in Christo patri domino Petro, divina providentia Prenestinensi episcopo, ac sacrosante romane Ecclesie vicecancellario, speciali amico nostro, Petrus, Dei gratia rex Aragonum, etc., salutem et dilectionis affectum. Quantis et quam gravibus nos ac nostrum regale dominium incliti Jacobi de Majoricis detestanda temeritas provocarit offensis, dampnis affecerit et injuriis perturbarit, cudo monetam novam in villa Perpiniani, ac currere faciendo in comitatu Rossilionis aliam preterquam monetam Barchinonensem, quam indebite fundi fecit, regnumque Majoricarum et terras alias (*a*) cismarinias a nobis in feudum tenere contra juramenta et homagia per eum ter prestita cum litteris suis et instrumentis publicis denegando, firmam juris pro ipsis feudis facere recusando, quamvis eam per fidem et homagium facere teneretur, nostrosque subditos in dictis terris feudalibus sub ejus securitate degentes capiendo, bonaque ipsorum per violentiam occupando, et alias ipsis dampna plurima inferendo, aliaque plura detestabilia perpetrando que conventiones inter utriusque progenitores inita, juramento et homagio roborate, fieri prohibent manifeste, ac demum, quod in omnibus mundi partibus, et potissime in Yspenia, nedum perniciosum exemplo, set [h]orrendum plurimum valdeque nefandissimum reputatur, se contra nos ejus utique dominum ad bellum erigere et in campestri prelio decertare nequiter presumendo, non expedit exprimi litteris aut verborum oraculis aperiri, cum id, prout verisimili conjectura supponitur, per multas orbis provincias fame discurrentis assertio vulgarit, nec dubitemus ad vestre paternitatis notitiam ea liquido pervenisse. Propter quod et alios detestabiles actus suos inceptos antea et postmodum subsecutos premissa omnia neonam tam notabilem sectionem nostre [640] corone regie non valentes neque debentes ultimo sustinere, necessario nos opportuit ad arma convertere, potentie nostre brachium contra illum dirigere, et pro reintegratione jurium nostrorum executionem debitam facere justitia exigente. Hiis itaque et aliis que infra describimus recte persensis, nedum in admirationem, sed quodam modo in stuporem hoc maximum nos inducit quod dictus inclitus Jacobus de Majoricis contra sua demerita toti mundo et illis potissime qui vassallos tempo-

a) aliquas, *Bal. et ms. latin.*

raliter obtinent exemplo perniciosa tantum reperiat in Romana curia apud quosdam Sedis apostolice cardinales in sua detestabili et dampnanda rebellione favorem, qui potius deberent appetere ut illius execranda superbia taliter plecteretur ne sua presumptuosa rebellione contra nos (*a*) ejus dominum, cuius ligius et astrictus vassallus existit, nequiter attemptata ad Ecclesie vassallos vel alios per exemplares alveos derivaretur. Et quia de amicitia vestra specialem fiduciam habemus et gerimus, potissime cum in terris nostris obtineatis redditus satis notabiles et prebendas, vehementius cogimur admirari quod, sicut plurium et quorumdam fide dignorum relatu conceperimus, vos in auxilium et succursum dicti incliti Jacobi de Majoricis in temerariis contra nos et famosis rebellionibus persistentis de certa quantitate ac non modica florenorum illi nunc mutuo subvenistis, et alias eidem adversus exequitionem nostram justitie robore circumfultam favorem et auxilium prebuistis et impendere non cessatis. Huic autem admirationi non immerito causam prebet. Nam si clara erga Deum et romanam Ecclesiam progenitorum nostrorum devotio, qua succensi ad laudem et gloriam divini nominis, exaltationem catholice fidei, et honorem ipsius matris Ecclesie, velut fervidi Christi pugiles, regna Majoricarum, Valencie et Murcie, aliasque Sarracenorum terras Mahometica labe pollutas subjugarunt viriliter et divina eis assi-[641] stente clementia reduxerunt ad cultum fidei christiane, sollicite attendatur, si servitia per serenissimum dominum regem Alfonsum, genitorem nostrum, Sedi apostolice grataanter impensa, qui regnum Sardinie et Corsice non absque sudoribus bellicis et tediosis laboribus, strage non modica subditorum, et inmensis profluvii expensarum, jam dicte romane Ecclesie, cui semper rebellaverat, acquisivit, diligentius cogitentur, profecto non illi nobis rebelli, sed nobis, qui pro ipso regno Sardinie et Corsice sumus ejusdem vassallus Ecclesie, ab eadem ejusque ministris precipuis favores hujusmodi et subsidia deberentur. Quesumus igitur ut vestra summa prudentia in claustro pectoris premissa revolvens, et alia circa hec consideranda diligenter adver tens, solerter discutiat si premissa fieri potuerint atque debuerint licite vel honeste. Datum Valencie, iiiij ydus octobris, anno Domini MCCCXLIIJ.

Similes littere de verbo ad verbum fuerunt misse cardinalibus infrascriptis :

Reverendo in Christo patri domino Bertrando (*b*) divina provi-

a) nostros, reg. JJ 270. — b) Bernardo (sic), Bal. et ms. latin.

dentia Ostiensi et Velletriensi episcopo, non facta mentione de beneficiis.

Reverendo in Christo patri domino Imberto, tituli Sancte basilice XIJ Apostolorum presbitero cardinali, facta mentione de beneficiis.

Reverendo in Christo patri domino Anibaldo, divina providentia Tusculanensi episcopo, non facta mentione de beneficiis.

Reverendo in Christo patri domino Johanni, divina providentia Portuensi episcopo, speciali amico nostro, Petrus Dei gratia rex Aragonum etc., salutem et honoris incrementa. Licet ex pluribus evidentibus causis neverimus ab experto quod vestra reverenda paternitas ad nos et inclitam domum nostram cordialiter gerens sincere dilectionis affectum in prosequendis hiis que honorem nostrum concernunt impedit auxilium benivolum et favorem, grata tamen nobis plu[642]rimum quorumdam fide dignorum relatio nos plene nunc docuit qualiter in negotio exequutionis per nos contra inclitum Jacobum de Majoricis obstinatum, exigente protervia, inchoate amicitia vestra jus nostrum habet et habuit placidum et acceptum et justitie nostre favet adversus aliquos obloquentes, processum nostrum validis rationibus deffendendo. Quibus alta mente conceptis, ad uberes gratiarum vobis assurgimus actiones, eamdem amicitiam vestram affectuose rogantes quatinus incepta laudabiliter continuando benigne, sicut pro justitia nostra apud dominum summum pontificem in consistorio et alias constanter hactenus astitistis, sic nobis in illa de cetero faveatis in hoc. videlicet specialiter et signanter ut dominus papa ad importunitatem aliorum legatum vel nuncium aliquem pro premissis mittere non concedat, ne ob hoc super feudis nostris incepta exequutio retardetur. Scimus namque et experientia facti collegimus quod concess o seu extorsio potius hujusmodi nunciorum nostris processibus obstaculum attulit et exequutionem ipsam multipliciter impedivit. Ex hoc etenim ad ea que ad honorem vestrum respiciant reddemur in posterum promptiores. Datum Valencie, iiiij ydus octobris, anno Domini MCCCXLIIJ.

Similes litte.e de verbo ad verbum fuerunt destinate per ipsum dominum regem cardinalibus infrascriptis, videlicet :

Reverendo in Christo patri domino Gotio, divina providentia tituli Sancte Prisce presbitero cardinali (*a*).

Reverendo in Christo patri domino Petro, divina providentia tituli Sancti Clementis presbitero cardinali.

a) Reverendo... cardinali, paragraphe omis par Bal. et le ms. latin.

Reverendo in Christo patri Petro, divina providentia Sabinensi episcopo.

Scripsit etiam idem dominus rex Bonifacio Ferrarii, legum doctori, procuratori suo in romana curia, per suam litteram, cuius tenor hic insertus mandato dicti domini regis sequitur in hunc modum :

Petrus, Dei gratia rex Aragonum, etc., dilecto suo Bonifacio Ferrarii, legum [643] doctori, procuratori nostro in romana curia, salutem et dilectionem. Significamus vobis nos noviter scribere domino pape et certis cardinalibus per singulares nostras litteras; quarum tenores in quodam caterno clauso et sigillo nostri vicecancellarii sigillato, quem vobis mittimus, continentur. Cumque omnino expeditat quod prescripte littere, quas portant hii cursores nostri, qui vobis hanc nostram litteram presentabunt, presententur celeriter tam domino pape quam cardinalibus, quibus diriguntur, ideo vobis dicimus et mandamus quatinus, omni tarditate rejecta, curetis quod prescripte littere (*a*) per vos vel eo meliori modo quo poteritis presententur domino pape et cardinalibus supradictis, et de eo quod de premissis per vos actum fuerit nos reddatis per vestram litteram predictis nostris tradendam cursoribus certiores. Datum Valencie, pridie ydus [14] octobris, anno Domini MCCCXLIIJ.

CII

EJUSDEM REGIS ARRAGONUM LITTERAE¹ AD CLEMENTEM VI
DE EADEM RE. — Valence, 5 novembre 1343.

Sanctissimo ac beatissimo in Christo patri et domino domino Clementi, divina providentia sacrosancte romane ac universalis Ecclesie summo pontifici, Petrus, Dei gratia rex Aragonum, etc., ejus humilis filius et devotus, pedum oscula beatorum. Cum inter ceteros catholicos reges et principes, quorum gesta magnifica tam fama laudabilis quam fidelis antiquitas, clari continuatione preconii titulis commendandis, intitulat illustres progenitores nostri ad Deum et ecclesias rectitudine fidei et devotionis integritate ferventes multa et magna ardua ser-

a) Quas portant hii cursores... prescripte littere, *passage omis par JJ 270.*

1. D'après *JJ 270*, fol. 278 r^o et le ms. latin 6025, fol. 74 r^o.

vitia et in factis propriis et alias pro exaltatione ipsius catholice fidei Ecclesie romane sacrosancte prestiterint, et nos, qui post ipsos Deo volente regnamus, non intendamus [644] illorum laudanda vestigia non utique deserenda relinquere, sed in premissis et aliis favente Domino illos potius imitari, multa, pater sanctissime, mentis amaritudine concitamus quod nos, qui pro regno Sardinie et Corsice sumus ejusdem vassallus Ecclesie, cui serenissimus dominus genitor noster, clare memorie, regnum ipsum non absque nimia effusione sanguinis et expensarum profluvii adquisivit, in processu nostro justissimo, executionis videlicet quam incepimus contra inclitum Jacobum de Majoricis, de quo tam per relationem veridicam nuntiorum nostrorum quam per claram informationem Sanctitati vestre in scriptis traditam potuit ipsa plenissime informari, nullam potuimus apud eamdem Ecclesiam favorablem assistentiam invenire, et dictus inclitus Jacobus, qui tot nefanda crimina et scelera detestanda contra nos nostrumque regale dominium dampnatis ausibus et relaxatis habenis noscitur perpetrasse, sic et tantum reperiat in Ecclesia romana favorem quod ad turbandum et enervandum processus executionis premissae (*a*), nedum ab eadem Ecclesia cardinales et alios in nuncios et legatos pro libito jugiter obtinet et extorquet, sed in pluribus aliis, per que possit intervertere jura nostra, quorumdam cardinalium, qui ore proprio sine causa nobis in execuzione hujusmodi sunt infesti, et in sua rebellionis obstinata protervia illi favent, fulcitur auxiliis et consiliis adjuvatur. Qui siquidem inclitus Jacobus, cum factus non fuerit in sua iniquitate remissior, set in committendo cotidie prioribus deteriora ferventior, promissa per eum reverendo cardinali Rutinensi (*b*), Sanctitatis vestre legato, non erubuit violare nec veretur, ut fida nunc relatione didicimus, sed nititur et intendit favore sibi faventium obtainere quod Sanctitas vestra cum sacro collegio cardinalium terminet et declareret se ratione peccati intromittere posse de execuzione predicta, quam ex causis rationabilibus atque justis per usa[645]ticos Barchinone, antiquas consuetudines Cathalonie, et jura municipalia patrie, quibus subest, incepimus contra eum et continuare ac perficere intendimus tanquam contra vassallum et feudatarium nostrum nobisque rebellem quousque terre feudales quas adhuc possidet in Cathalonia, quarumque nostrum directum dominium tenere denegavit, eidem nostro dominio pleno jure, ut convenit, integrantur. Sane, pater sanctissime, cum dictus inclitus Jacobus de

a) predicte, Bal. — b) lege Ruthenensi.

Majoricis, qui et ejus predecessores vigore et sub vinculo usaticorum, consuetudinum, et jurium municipalium predictorum, que in partibus illis et in romana curia ignorantur, possederunt regnum Majoricarum et terras feudales predictas sub directo et superiori progenitorum nostrorum dominio atque nostro, et Sanctitas vestra, salva in omnibus ejus reverentia et honore, de feudo nostro temporali ac processu vassallorum nostrorum secularium intromittere se non debeat, quod si fieret, quantum nos et jurisdictionem nostram temporalem offenderet, omnium jura regum et principum lederet, omniumque scandalizaret regimina, et commotionem ac turbationem vehementem ingereret, et ad indevationem nimiam provocaret, quod nos et illi non possemus sub dissimulatione transire, beatitudo vestra satis potest perpendere, premissis omnibus introductis in examine rationis. Quocirca Sanctitati vestre humiliter supplicamus et filiali fiducia petimus quatinus ad instantiam dicti incliti Jacobi, qui exquisitis coloribus et figuris subdolosisque suggestionibus satagit in premissis Sanctitatem vestram involvere ut debitam possit ultionem evadere, aut aliorum ei faventium nolit se vestra Sanctitas intromittere, set a tanta lesionis injuria nobis et ceteris mundi principibus inferenda, ex quibus periculosa orirentur discrimina, dignetur et placeat abstinere. Almam personam vestram conservet Altissimus suo sancto servitio per tempora longiora. Datum Valencie, nonis novembris, anno Domini MCCCXLIIJ.

CIII

EJUSDEM REGIS EPISTOLA¹ AD COLLEGIUM CARDINALIUM, EJUSDEM ARGUMENTI CUM SUPERIORE. — Valence, 5 novembre 1343.

Reverendis in Christo patribus dominis sacrosante romane Ecclesie collegio cardinalium, specialibus amicis nostris, Petrus, Dei gratia rex Aragonum etc., salutem et honoris incrementa. Cum inter ceteros catholicos reges et principes, etc., ut in superiore usque potius imitari, multa, reverendi patres, amaritudine concitamus quod nos, qui pro regno, etc., usque adquisivit, et a rebellantium manibus potenter eripuit, in processu nostro justissimo, etc., usque relationem veridicam

1. D'après JJ 270, fol. 279 v^o, et le ms. latin 6025, fol. 75 r^o.

Sedis apostolice nuntiorum quam per claram informationem sanctissimo domino summo pontifici vestroque sacro collegio in scriptis traditam ipsum et vos plene credimus informatos, nullam potuimus apud Sedem eamdem favorabilem assistentiam invenire, et dictus inclitus Jacobus, qui tot nephanda crimina et scelera detestanda contra nos, ejus superiorem dominum et principem, dampnatis ausibus et relaxatis habenis noscitur perpetrasse, talem et tantam reperiat, etc., usque exequotionis nostre premissae, nedum ab eadem Ecclesia cardinales et alios in nuncios et legatos, quando et sicut vult obtinet et extorquet, set in pluribus aliis, per que possit subvertere jura nostra, quorumdam in ipsa curia, qui ore proprio, etc., usque Rutinensi (a), Sedis apostolice nuncio, non erubuit violare nec veretur, ut veridica nunc relatione didicimus, [sed innititur et intendit] favore sibi faventium obtainere quod dictus dominus papa cum sacro vestro collegio terminet et declareret quod ratione peccati de exequotione se possit [647] intromittere supradicta, quam ex causis rationabilibus evidentibus atque justis per usatios Barchinone, antiquas consuetudines Cathalonie, et jura municipalia patrie, quibus subest, que omnia in partibus illis et in Romana curia probabiliter ignorantur, contra eum incepimus, et continuare ac perficere intendimus, dante Deo, tanquam contra vassallum, hominem ligum, et feudarium nostrum, nobisque rebellem, quounque terre feudales quas adhuc possidet in Cathalonia, quarumque nostrum directum dominium (b) tenere denegavit, et multas felonias commisit intolerabiles, nostro regali dominio pleno jure, ut convenit, integrantur. Verum, cum dictus inclitus Jacobus de Majoricis, qui et ejus predecessores vigore et sub vinculo usaticorum, consuetudinum et jurium municipalium predictorum, regnum Majoricarum et terras feudales predictas possederunt sub directo et superiori progenitorum nostrorum dominio atque nostro, que omnia per prestationem juramenti et homagii ter prestiti dictus inclitus Jacobus recognovit, prout per publica documenta noscitur apparere (c), et dictus dominus papa, salva in omnibus ejus reverentia et honore, de feudo nostro temporali aut processu seculari vassallorum nostrorum intromittere se non debeat, cum eum non deceat quod suam in alienam segetem falcam ponat, idecirco, cum si ad hec, quod absit, dictus dominus papa procederet, nedum graviter nostram jurisdictionem temporalem offenderet, sed omnium jura regum et principum

a) lege Ruthenensi. — b) dominium directum, *Bal.* et *ms. latin.* —
c) apparenter, *Bal.*

lederet, et eorum omnium scandalizaret regimina, commotionem ac (*a*) turbationem vehementem apud omnes ingereret, et ad indevationem nimiam provocaret, quod non posset sine (*b*) dissimulatione transire, reverendum ac honorabile collegium vestrum intima cordis affectione precamur quatinus vos, qui estis patres conscripti ad seniora consimilia constituti sensus et rationis excellentiam obtinentes, predictum dominum sum[648]mum pontificem providis et sollicitis exhortationibus placeat solerter inducere ne ad instantiam predicti Jacobi de Majoricis (*c*), qui suggestionibus subdolis, exquisitis coloribus, et excogitatis figmentis ad impediendum processum nostrum nititur ipsum involvere, se de premissis aliquatenus intromittat, sed ab hiis ex quibus nobis et ceteris mundi principibus notabilis infertur injuria, atque gravia scandala et periculosa nimium suscitarent discrimina, dignetur, ut convenit, abstinere. Datum Valencie, nonis novembbris, anno Domini MCCCXLIIJ.

CIV

ALIA EJUSDEM REGIS EPISTOLA¹ AD PETRUM GOMESII DE BARROSO,
CARDINALEM, DE EADEM RE. — Valence, 3 novembre 1343.

Reverendo in Christo patri domino Petro, divina providentia Sabinensi episcopo, speciali amico nostro, Petrus, Dei gratia rex Aragonum, etc., salutem et honoris incrementa. Ad nostrum auditum quorundam relatio fide digna perduxit quod licet sanctissimus in Christo pater et dominus dominus summus pontifex de processu nostro justissimo, exequutionis videlicet per nos inceppe contra inclitum Jacobum de Majoricis, tam per relationem veridicam nuntiorum suorum quam per claram informationem Sanctitati ejusdem in scriptis traditam, plenissime fuerit informatus, attamen idem Jacobus, non abhorrens nephanda crimina et scelera detestanda per eum, contra nos nostrumque regale dominium flagitiosis ausibus perpetrata, et que contra Deum et fidem per eum domino cardinali Rutinensi (*d*), nuncio Ecclesie romane, pollicitam continuando multiplicat et multiplicando

a) et, *Bal.* — *b)* sub, *Bal.* — *c)* de Majoricis, *omis par Bal.* — *d)* lege Ruthenensi.

1. D'après JJ 270, fol. 280 v^o-282 r^o et le ms. latin 6025, fol. 76 r^o-78 r^o.

continuat incessanter, ad cujus instantiam et importunitatem maximam quorumdam cardinalium, qui ore proprio sine causa nostre justitie sunt infesti et in suis obsce[649]nitatibus illi favent, nititur ac intendit quod dictus dominus papa cum sacro collegio cardinalium declararet se ratione peccati intromittere posse de executione predicta, quam ex causis rationabilibus et evidenter atque justis per usaticos Barchinone et antiquas consuetudines Cathalonie et jura municipalia patrie, quibus subest, inchoavimus, ut prefertur, et contra eum tanquam vassallum et feudatarium nostrum nequiter nobis rebellem et terras feudales, quas adhuc possidet in Cathalonia, continuare atque perficere intendimus, Deo dante. Super quibus omnibus vehementer cogimur admirari, nostreque mentis multa vexat turbatio, quod cum progenitores nostri propter multa et ardua servitia romane Ecclesie, in factis propriis et alias pro exaltatione catholice fidei, velut ipsius strenui pugiles et electi at[h]lete Domini, per eos impensa, pro quibus etiam sanguinem proprium sepius effudere, ab eadem Ecclesia precipui inter alios reges et principes orbis terre obedientie filii et singulares devotionis alumpni fuerint reputati, nos qui pro regno Sardinie et Corsice speciales sumus ipsius vassallus Ecclesie, quique pro conservatione jurium nostre corone regie, pro qua tenemur personam exponere, justitiam nostram prosequimur, nullam apud eamdem Ecclesiam circa hec reperire potuimus favorabilem assistentiam, et ille tot enormia scelera et nephanda delicta committens assidue tantum inveniat in curia romana favorem quod ad turbandum executionem premissam, quotiens vult et placet, ab eadem cardinales et alios in nuncios et legatos extorquet et obtinet successive. Sane, cum infeudatio que de regno Majoricarum et terris aliis, quas dictus inclitus Jacobus de Majoricis possidet, per nostros suis progenitoribus facta fuerit juxta dictos usaticos Barchinone, consuetudines antiquissimas Cathalonie, et jura municipalia patrie concessa, et per ipsum ter juramento et homagio recognita fuerit, [650] que jura, consuetudines et usatici in illis partibus et in romana curia ignorantur, dictus dominus papa, salva sue reverentia Sanctitatis, ad instantiam dicti Jacobi, qui exquisitis coloribus et figuris ac suggestionibus subdolis satagit in hoc ipsum involvere, de feudo nostro temporali se non debet intromittere. Ob hoc enim offenderemur nos graviter, juraque omnium mundi regum et principum in similibus ledarentur, et fieret ex hoc nobis et eis grandis offensa et injuria manifesta, quibus velut contagiosis et inefficientibus omnes principes seculares magna et periculosa suscitarentur in mundo dis-

erimina, ac vehemens oriretur commotionis et turbationis materia per exemplum, illosque ad indevationem multipliciter provocaret. Idecirco paternitatem vestram, de cuius sinceritate ab experto confidimus, affectuose rogamus et in Domino exhortamur quatinus premissis omnibus et aliis attendendis in vestre considerationis examine ponderatis, ad vitandum scandala imminentia dictum dominum papam providis exhortationibus inducatis quod nulla sacre conscientie sue januam infringat prava vel importuna suggestio aut inclinet quod se de dicto negotio intromittat vel verbum etiam patiatur audire. Nam istud, tanquam cordi nostro insidens vehementer, regraciabimur vobis multum. Datum Valencie, iiij nonis novembris, anno Domini MCCCXLIIJ.

Similes littere de verbo ad verbum fuerunt misse cardinalibus infrascriptis, videlicet :

Reverendo in Christo patri domino Gotio, tituli Sancte Prisce presbitero cardinali, speciali amico nostro.

Reverendo in Christo patri domino Petro, divina providentia tituli Sancti Clementis presbitero cardinali, speciali amico nostro.

Reverendo in Christo patri domino Guidoni, divina providentia tituli Sancte Cecilie presbitero cardinali, speciali amico nostro.

[651] Reverendo in Christo patri domino Johanni, divina providentia Portuensi episcopo, speciali amico nostro.

Reverendo in Christo patri domino Bertrando, divina providentia tituli Sancti Marchi presbitero cardinali, speciali amico nostro.

Scripsit etiam idem dominus rex Bonifacio Ferrariai, legum doctori subscripto (*a*), per suam litteram hic insertam, mandato dicti domini regis (*b*), cuius tenor talis est :

Petrus, Dei gratia rex Aragonum, etc., dilecto Bonifacio Ferrariai, legum doctori, procuratori nostro in romana curia constituto, salutem et dilectionem. Ecce quod nos mittimus ad dominum summum pontificem et aliquos cardinales et etiam sacro collegio cardinalium nostras litteras super quibusdam que nobis scripsistis. Quocirea vobis dicimus et mandamus quatinus dictas litteras presentetis dictis domino pape et cardinalibus et collegio eorumdem, et faciatis pro posse quod in consistorio legatur littera quam collegio mittimus supradicto. De littera vero domini pape transumptum vobis mittimus cum presenti. Datum Valencie, nonis [5] novembris, anno Domini MCCCXLIIJ.

a) omis par Bal. — b) mandato dicti domini regis, omis par Bal.

CV

EJUSDEM REGIS ARRAGONUM EPISTOLA¹ AD PAPAM CLEMENTEM VI
DE EODEM NEGOTIO REGIS MAJORICARUM. — Valence, 4 novem-
bre 1343.

Sanctissimo ac beatissimo in Christo patri et domino domino Clementi, divina providentia sacrosancte romane et universalis Ecclesie summo pontifici, Petrus, Dei gratia rex Aragonum, etc., ejus humilis filius et devotus, pedum oscula beatorum. Beatissime pater, sicut vestra Sanctitas non ignorat factam per nos, agente Domino prepotente, qui prosequitur non est dubium causam nostram, exequitionem nostram in partibus ultramarinis adversus [652] nobilem Jacobum de Majoricis, vassallum nostrum, nobis rebellem, justitia exigente, nos in persona propria, nostris congregatis agminibus equitum et peditum, ut negotii qualitas exposcebat, volentes contra dictum nobilem citra mare nostrum continuare processum, ad partes Rossilionis accessimus, ibique fiximus castra nostra, et demum exequentibus nobis ea pro quibus illuc, ut pretangitur, veneramus, nos in presentia reverendi in Christo patris Bernardi, divina providentia tituli Sancti Ciriaci in Termis presbiteri cardinalis, vestre nuncii Sanctitatis, propterea ad nos missi, ob Dei reverentiam atque vestri, cuius instantia maxima et preces multiplices ad supersessionem subscriptam nostrum animum induxerunt, ejusdem nobilis rebellis insania non attenta, usque ad primam diem mensis madii instantis proxime exclusive supersedere gratiouse concessimus ad predicta; declarato tamen primitus inter cetera et retento quod in castris de Caneto et Beate Marie de Mari sitis infra limites vicecomitatus de Caneto, et quibuscumque aliis locis et juribus que nos vigore dicte exequitionis justitie in eismarinis partibus apprehenderamus realiter et tunc tenebamus, dictus nobilis per se vel alium aut gentibus in eisdem locis degentibus vel bonis eorum seu etiam locis ditioni nostre subjectis in partibus eismarinis, atque nobilibus vicecomitibus de Insula et de Caneto, Ademario de Mosseto, Dalmatio et Raymundo Tetzoni, Pauqueto de Bellcastell, Guillelmo Alberti, Guillelmo Rubei, Berengario, et Guillelmo de

1. D'après *J.J. 270*, fol. 283 v^o, et le ms. latin *6025*, fol. 79 v^o.

Podio, Thome de Marziano, Arnaldo de Fenolletto, aut aliis qui nobis adheserunt, vel eorum familie atque locis, terris aut bonis que prenominati tenent in terris predictis vel bonis eorum malum sive dampnum aliquod non inferret. Quia vero dictus nobilis Jacobus de Majoricis, nobis in regno Valencie existentibus, a priori ejus ignominioso proposito non discedens, post supersessionem eamdem non suspicantibus in ali[653]quo inde nobis, sed potius ea intute credentibus remanere, convocatis exercitibus suis accessit hostiliter ad loca de Insula, de Corbaria et de Bulla, que sunt dicti vicecomitis de Insula et inter terras superius enarratas, eaque fixis suis tentoriis extra muros ac erectis maxinis et ingeniis, quibus ipsa de die fortiter et de nocte fortius expugnabat, cepit effrenus omni abjecto decore violenter. Nec minus subditi nostri aliqui, qui sub ejus fide fuerant terram Rossilionis ingressi, in locis ac prope locum de Bellaguarda et de Cauquolibero ac aliis locis suis pluries extiterunt per subditos suos usque ad interulas depredati: aliaque fecit et permittit persepe ac permisit contra nostros per suos subditos attemptari temere et committi. Et nichilominus adversus castrum de Caneto predictum, sicut audivimus, noviter insurrexit, parando se citius quanto potest pro invadendo ipsum castrum et alia loca in dicta supersessione expressa eaque, si poterit, capiendo. Et licet indubie teneamus quod jam predicta et cetere factiones temerarie et audaces per eum contra nos hactenus perpetrate ad vestre beatitudinis scientiam pervenerunt, sicut nec ea mundus universus ignorat, verumtamen clementie vestre predicta omnia providimus reverenter presentis serie intimare, eidem humiliter supplicantes quatinus dignetur vestra Sanctitas abstinere quod ad regiam nostram magestatem de cetero pro aliquo dictam justitie executionem tangente in favorem dicti nobilis Jacobi vel alias nuncium aliquem non transmittat pro faciendo nobiscum tractatum aliquem super eis, neque velit alias Sanctitas vestra nos iterato rogare de aliquo quod censeatur quomodolibet executionem tangere memoratam, scituri quod nos nolentes notam vitiouse pusillanimitatis incurrere pro decore virtutis, qui a principio usque nunc negotium dissimulare sategimus quantum jus nostrum absque lesionе aliqua tolerare potuit, novit Deus, cuius [654] super hiis testimonium invocamus, confestim intendimus, non expectato termino supersessionis jamdicte, nostros continuare processus justitie et executionem potenter facere contra nobilem Jacobum supradictum, prout mansuetudinem nostram excitat justitia et compellit, nec alias intendimus quoslibet audiare nuncios seu tractatus aliquos admittere de cetero super eis. Et

conservet Altissimus clementiam vestram incolumem ad sua sancta servitia annis plenis. Datum Valencie, pridie nonis novembbris, anno Domini MCCCXLIIJ.

CVI

ITEM ALIA EJUSDEM REGIS EPISTOLA¹ AD PAPAM DE EODEM NEGOTIO. —
Valence, 1^{er} décembre 1343.

Sanctissimo ac beatissimo in Christo patri et domino domino Clementi, divina providentia sacrosante romane et universalis Ecclesie summo pontifici, Petrus, Dei gratia rex Aragonum, etc., ejus humilis filius et devotus, pedum oscula beatorum. Abhominabile Deo et hominibus judicium rationis sequentibus, etc. (ut supra tit. CI. usque promptiores). Ceterum, pater sanctissime, cum dictus inclitus Jacobus de Majoricis, prout auditui nostro noviter est perlatum, in sua rebellione proterva jugiter perseverans apud vestram clementiam obtinere nitatur quod cum sacro collegio cardinalium determinet et declareret ut de processu exequutionis juste, quam facimus contra eum, ratione peccati aut alias pretextu reformande concordie se intromittat, quodque instet assidue ut contra regnicolas Majoricarum, quos intendit de perjurio et de fide rupta deferre, sibi judices concedantur, ac alia procurare conetur per que processum exequutionis preitate valeat enervare, idcirco, pater sanctissime, non indigne mirantes ac moleste ferentes quia super facto exequutionis [655] premissae venerabilem Aquensem archiepiscopum in Sedis apostolice nuncium, prout audivimus, nunc extorsit, Sanctitatem vestram cupimus non latere quod cum nos, prout sepe vestre beatitudini scripsimus, contra dictum inclitum Jacobum de Majoricis, qui in dicto regno Majoricarum et aliis terris feudalibus cismarinis progenitorum nostrorum ac nostrum directum dominium juraque omnia ad nos in eis spectantia denegavit, legitime procedamus ex causis evidenteribus atque justis per usaticos Barchinone, antiquas consuetudines Cathalonie et jura municipalia patrie, sub quibus omnibus predecessoribus suis ac sibi predictorum omnium infeudatio facta fuit, in magnum, pater sanctissime, prejudicium, lesionem enormous, ac manifestam injuriam nostri aliorumque regum et principum redundaret, multumque ipsorum omnium temporali jurisdictioni

1. D'après JJ 270, fol. 28⁴ v^o, et le ms. latin 6035, fol. 81 r^o.

detraheret, et ad indevationem nimiam provocaret, si de feudis temporalibus et processibus secularium vassallorum se vestra Sanctitas intromitteret, vel ad cognoscendum de eis suam extenderet potestatem. Preterea, pater sanctissime, si dictus inclitus Jacobus consultius attendisset et prudenter attendere voluissest quod ex juramento et homagio per dictos Majoricarum reges domino Jacobo, regi Aragonum, avo nostro, de consensu et mandato expresso incliti Jacobi, olim Majoricarum regis, avi sui, prius prestito, predicti Majoricenses in omni casu quo reges Majoricarum conventiones super premissorum infeudatione conscriptas, prout ab antiquo inite (*a*) fuerunt, non servarent, ad ipsum aictum avum nostrum et successores suos in regno Aragonum recurrerunt, ad eos tanquam eorum dominos attenderunt, seque illis submittere tenebantur, quodque per dictum regem Majoricarum eo tunc dominum fuerunt super hoc ab omni homagio, fidelitate et juramento liberati ac penitus absoluti, profecto illos de perjurio et fide erupta deferre nul[656]latenus attemptasset, nec ad obtinendum super hoc judices aliquatenus institisset, cum fidelitatem per eos promissam solenniter, qua nobis erant astricti, servaverint laudabiliter et observent, quamque sine bausie et proditionis nota non poterant aliter evitare. Sane, quia, dirigente Domino, vias nostras sic juste processus nostros direximus illaque consilii matura directione ac directa maturitate firmavimus et continuare, Domino favente, disponimus quod nec illi in conspectu Dei, cui soli nos tanquam supremus in Cathalonia princeps tenemur solum in et de nostris processibus temporalibus reddere rationem, nec etiam coram hominibus in ambiguitatis lubricum incident, nec de revocatoria correctione formident, eapropter Sanctitati vestre supplicamus humiliiter et devote quatinus subdolis dicti Jacobi de Majoricis suggestiibus super premissis nullatenus acquiescat, nec velit ad ejus instantiam vel sibi faventium nobis et ceteris mundi principibus, intromittendo se de processibus secularibus et inter seculares personas, tantam inferre prejudicialem injuriam et offensam. Almam personam vestram conservet Altissimus suo sancto servitio per tempora longiora. Datum Valencie, kalendis decembris, anno Domini MCCCXLIIJ.

a) juste, Bal.

CVII

EPISTOLA¹ CLEMENTIS VI AD PETRUM INFANTEM ARAGONIAE
DE NEGOTIO REGNI MAJORICARUM. — Avignon, 9 juin 1344.

Dilecto filio nobili viro Petro infanti, nato clare memorie Jacobi regis Aragonum, comiti Ripacurcie, salutem etc. Attentis pacis commodis, et guerrarum periculosis discriminibus diligent meditatione pensatis, et nichilominus quantum deceret Deoque gratum et rei publice utilitati accommodum existeret si caritatis, pacis et unitatis vin-[657] culum inter carissimos in Christo filios nostros Petrum, Aragonum, nepotem tuum, et Jacobum, Majoricarum reges illustres, quos de eadem regali prosapia descendentes nexus sanguinis et affinitatis conjungit, vigeret indissolubiliter, odiorum et dissensionum, quibus eos invicem disjungi procuravit hostis humani generis, vepribus extirpatis, sepius in nostre considerationis examine non sine mentis anxietate deducto, pro reformanda inter reges ipsos sic periculose dissidentes concordia non parum hactenus, sicut tue nobilitatis novit prudentia, laboravimus, propter hoc diversas et varias apostolicas litteras et solempnes nuncios tam sancte romane Ecclesie cardinales quam alios destinando. Sane quia hostis ipse sator discordie cunctorumque malorum inceptor suo flatu venenoso sic ignem dissensionum ipsarum in flamas nocivas et perniciosas non modicum accendere procuravit quod labores hujusmodi nequaquam fructum quem exspectabamus desiderabiliter produxerunt, nos more patris benivoli, quem non pretereunt filiorum incommoda, verentes regum ipsorum discriminosa dispendia, oppressiones innocentum, et pauperum, ac ipsorum, et aliorum, lapsus rerum, personarum excidia, et animarum amarius deploranda pericula, innumeraque alia mala et scandala ex guerris, quibus divina majestas graviter provocatur et offenditur, provenientia, et eis quantum possumus salubribus occurrere remediis cupientes, non desistendo quomodolibet ab inceptis, dilectum filium nostrum Bertrandum², tituli Sancti Marci presbiterum cardinalis, apostolice Sedis nuncium, virum utique profundi pectoris, litterarum

1. D'après le registre Vatican 138, fol. 12 r°, ep. 44. Baluze s'est servi du ms. latin 4124 (ancien Colbert 1302) de la Bibliothèque nationale de Paris, copie fort imparfaite du xvne siècle. — 2. Voir Rinaldi, *Annales ecclesiastici*, ad annum 1344, § 34.

scientia, circumspectionis et probitatis maturitate conspicuum, zelatorem pacis, veritatis, justitie, ac in magnis et arduis expertum negotiis, ad eosdem reges et partes illas pro premissis de fratum nostrorum consilio providimus destinandum. Cum autem inter ceteros de domo regali Aragonum des[658]cendentes te, fili, multum, ut existimamus, deceat circa reformandam hujusmodi pacis et unitatis concordiam et extirpandam discordiam studiosis et benevolis sollicitudinibus laborare, nobilitatem eamdem rogamus et attentius in Domino exhortamur quatinus ea que premisimus, necnon quantum ex tuis hujusmodi laboribus mereri, preter laudis humane preconium, poteris apud Deum, quantumque honoris accrescat regi predicto Aragonum si postquam Deus sibi contra dictum regem Majoricarum gloriosam dederit victoriam, clementer erga eum rigore temperato mansuetudine se gesserit, in examine recte considerationis adducens, prefatum regem Aragonum ad viam admittendam et prosequendam pacificam, et guerrarum fremitus, quibus Deus pacis graviter, sicut premissum est, offenditur, declinandos inducere tueque cooperationis ministerium efficaciter exhibere circa hoc tam pie quam benebole non postponas, prefato cardinali operosis assistendo nichilominus studiis in hac parte. Datum Avinioni, v (a) ydus junii (b), anno tertio (c).

CVIII

EPISTOLA¹ CLEMENTIS VI AD JACOBUM, REGEM MAJORICARUM,
DE EADEM RE. — [1344].

Carissimo in Christo filio Jacobo regi Majoricarum illustri salutem.
Magnificentie tue nuper litteras recepimus, per quas inter cetera prudentia regia cum instantia postulabat a nobis ut non obstante missione dilecti filii nostri Bertrandi tituli Sancti Marci presbiteri cardinalis apostolice Sedis nuncii ad te, carissime fili, et carissimum in Christo filium nostrum Petrum regem Aragonum illustrem, quos hostis pacis suscitatis invicem odiis et rancoribus procuravit disjungi, ad partes illas pro tractanda et reformanda inter vos mutua concordia

a) ii, Bal. — b) maii, Bal. — c) secundo, Bal.

1. D'après le ms. latin 4124, p. 29. (Bibliothèque nationale de Paris).

per nos de fratum [659] nostrorum consilio specialiter destinati, tibi tam contra regem ipsum quam contra Majoricenses subditos exhibere justitiam curaremus, quibusdam aliis expressis in eisdem litteris concludentibus ad hoc ex debito pastoralis officii nos teneri. Sane, fili dilectissime, tuam volumus celsitudinem non latere quod super missione cardinalis predicti et hiis que agenda essent circa negotium hujusmodi dudum habita cum eisdem fratribus deliberatione provida et matura, nobis et ipsis visum fuit expediens fore super eodem negotio per vias tractatus amicabilis, omissa pro tunc via justitie, procedendum. Tuncque cardinalis prefatus presens in predictis omnibus fuit coram nobis et eisdem fratribus protestatus expresse quod si per viam justitie vellemus procedere, illuc veniret, et postquam accessisset, et audiret processus fieri per viam hujusmodi, a vobis inchoari quomodolibet, remanere non intendebat in eisdem partibus, nisi per nos ordinaretur, sed ad nostram potius redire presentiam festinaret. Porro super contentis in predictis litteris deliberatione prehabita diligentia, adhuc credimus expedire quod per modum tractatus predicti, omissa quoad presens via justitie, que, attentis statu personarum et qualitate negotii non parum ardui. sicut nosti, prolixa nimis cogente necessitate juris existeret, et per eam forsitan non posses sic celeriter ut estimas quod intendis assequi, procedatur. Verumtamen si eam tua circumspectio regia velit omnino aggredi, super quo tue intentionis propositum cures prefato cardinali clarius explicare, nos illam, in qua sumus ex debito servitutis apostolice debitores omnibus, denegare tibi non possumus nec debemus. Quam ob rem prefato cardinali scribimus ut si procedi per viam justitie volueris, ut preferitur, ad quam exhibendam, quantum cum Deo fieri poterit, offerimus nos paratos, redire ad eamdem presentiam nostram, si expedire cognoverit, non postponat. Datum.

CIX

[660] EPISTOLA¹ CLEMENTIS PAPAE VI AD PETRUM REGEM ARRAGONUM, QUOD GRATIOSE AGAT CUM REGE MAJORICARUM. — Ville-neuve-lez-Avignon, 10 août 1344.

Carissimo in Christo filio Petro regi Arragonum illustri salutem, etc.
Sicut justitie debitum exigit debite correctionis antidotum adhibere

1. D'après le registre Vatican 138, fol. 62 r°, ep. 207. Baluze s'est servi du ms. latin 4124 (Bibliothèque nationale de Paris).

perversis, sic misericordia suggestit conversis et humilibus gratiam non negare. Gloriosa quidem illa merito reputatur in principe victoria quam clementia, qua juxta sapientis eloquium thronus firmatur regius committatur (*a*). Hec autem, fili carissime, pro tanto premissimus quia, sicut audivimus et fama per celebris attestatur, rex ille summus et eternus, qui solus est potens, et in cuius ditione cuncta sunt posita, sic in suis benedictionibus te preuenit quod quemque adversus carissimum in Christo filium nostrum Jacobum, Majoricarum regem illustrem, tibi, ut asserebatur, rebellem et inobedientem concepisti facere quasi successerunt pro voto, ut tandem regno Majoricarum et majori parte terrarum ejusdem viribus tue potentie subjugatis, rex idem, certis per dilectum filium nobilem virum Petrum de Cherita sibi promissis, ut fertur, ad presentiam tuam regiam veniens humiliiter et devote terram illam in posse tuo posuit, misericordiam implorando, adeo quod aliud circa negotium hujusmodi restare non videtur nisi mansuetudo misererationis et clementie regalis erga regem ipsum sic miserabiliter prostratum; ad quam nempe clementiam exercendam exuberanter et liberaliter in hac parte non solum compassionis affectus, quem casus tanti principis sive tibi conjuncti nexu propinquuo sanguinis et affinitatis indicit, ac honoris tui regii stimulus, neconon recolenda clare memorie progenitorum tuorum gesta magnifica debent magnificientiam regiam inducere, sed etiam non parum brutorum exempla movere. Nam de leone rege animalium legitur quod pecori humiliato et prostrato miseretur et parcit. Ideoque celsitudinem rogamus regiam et in Domino attentius exhortamur quatinus premissis et aliis regie circumspectioni circa hoc occurrentibus et benigna consideratione attentis, sic benigne, liberaliter et clementer tractare velit regem prefatum tua celsitudo regia et de statu suo benignius ordinare quod illi qui omnipotentiam suam parcendo et miserando maxime manifestat et misericordiam viris misericordibus repromittit reddaris acceptior, et ipsius benedictionem et gratiam in majoribus et altioribus merearisi, quodque ad tui dilationem honoris et fame rex prefatus de sua humilitate reportet gratiam, et cum consorte germana et liberis suis utique nepotibus tuis merito remaneat consolatus. Datum apud Villanovam, Avinionensis diocesis, mⁱ idus augusti, anno tertio (*b*).

a) communicat, Bal. — b) apud... tertio, omis par Bal.

CX

EJUSDEM PAPAE EPISTOLA¹ AD PETRUM REGEM ARRAGONUM DE NEGOTIO
REGIS MAJORICARUM. — Avignon, 29 mars 1344.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Petro, regi Arragonum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Paternis desiderantes affectibus te, fili carissime, domumque tuam regiam intra nostra et apostolice Sedis precordia recumbentes pacis, salutis et honoris habundare commodis, et ad hec reformationem unitatis et concordie mutue inter te ac carissimum in Christo filium nostrum Jacobum, regem Majoricarum illustrem, tanto tibi tamque propinquo vinculo sanguinis et affinitatis conjunctum quod confundi nequiret te domoque predicta remanentibus inconfusis, opportunam immo necessariam multipliciter extimantes, te ad ipsam concordiam per nostros [662] solemnes nuncios et litteras ad te missos sepius, sicut novit regalis circumspectio, duximus ex[h]ortandum. Et licet hostis antiqui humani generis, pacis et caritatis emuli, ac odiorum et dissensionum nutritoris nequissimi malitia prevalente nondum satisfactum in hac parte fuerit votis nostris, adhuc tamen circa cepta per nos hujusmodi, de radice caritatis utique prodeuntia, tanto ferventius providimus insistendum (a) quanto sincerius et affectuosius tua et ejusdem regis spiritualia et temporalia commoda affectione paterna zelamus. Quocirca tuam regalem magnificentiam rogamus et hortamur attentius ac per Dei misericordiam obsecramus quatinus premissa et alia que sepe super hiis scripsimus intra pectoris claustra regii matura et diligenter consideratione revolvens, et attendens nichilominus quod nobilis valde reputatur illa victoria et magnis laudibus extollenda que per clementiam consummatur, quodque predicta concordia, si eam dederit pacis auctor, tibi honoris augmentum non modicum, quietem animi et alia innumerabilia Deo placibilia commoda, non solum tibi, fili dilectissime, sed etiam tuis et regis predicti devotis et subditis fideique catholice proculdubio ministrabit, ad eam eorū inclines regium et coaptes. Et ut tractari per vias tibi honorabiles et alias oportunas et justas utilius et liberius, quiescentibus guerrarum discriminibus, quibus Deus pacis offenditur, valeat, ad

a) au lieu de providimus insistendum Bal. et le ms. latin mettent insistimus.

1. D'après JJ 270, fol. 309 v^o (Archives nationales de Paris), le ms. latin 6025, fol. 89 r^o, et le registre Vatican 137, ep. 838, fol. 225 v^o.

treugas inter te dictumque regem ac utriusque valitores, adherentes, et subditos ineundas vel indicendas usque ad instans festum beati Michaelis archangeli duraturas, consensum benignum et favorablem prebeat, obnixe quesumus, regia celsitudo, venerabili fratri nostro Armando, archiepiscopo Aquensi, apostolice Sedis nuncio, quem ad partes illas propterea destinavimus, clementer et benigne super premissis nichilominus intendendo. Datum Avinioni, iiiij kalendas aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

CXI

[663] PETRI REGIS ARRAGONUM EPISTOLA¹ AD PAPAM CLEMENTEM VI
DE EODEM. — Barcelone, 23 mars 1343.

Sanctissimo ac beatissimo in Christo patri et domino domino Clementi divina providentia sacrosancte romane et universalis Ecclesie summo pontifici, Petrus, Dei gratia rex Aragonum, etc., ejus humilis filius et devotus, pedum oscula beatorum. Quia cuncta, pie pater, acta per nos circa processus contra nobilem Jacobum de Majoricis habitos, qui lucem non oderunt, beatitudinem vestram cupimus non latere, transumptum litterarum quarumdam per nos ipsi Jacobo transmissarum necnon responsonis per nos facte reverendo patri Armando, Aquensi archiepiscopo, Sedis apostolice nuncio, per latorem presentium vestre beatitudini destinamus, eidem humiliter supplicantes ut ea videre non tedeat vel audire. Almam personam vestram conservare dignetur Altissimus incolumem plenis annis. Datum Barchinone, x kalendas aprilis, anno Domini millesimo CCCXLIIJ.

CXII

EJUSDEM EPISTOLA² AD JOANNEM DE CONVENIS CARDINALEM. —
Barcelone, 23 mars 1343.

Reverendo in Christo patri Johanni, divina providentia Portuensi episcopo, amico speciali nostro, Petrus, Dei gratia rex Aragonum etc., salutem pariter et honorem. Noveritis nos scribere domino summo pontifici post solite reverentie titulum in hec verba : Quia cuncta, pie pater, acta per nos, etc. Quocirca paternitatem et precordiale am-

1. D'après JJ 270, fol. 310 r^o, et le ms. latin 6025, fol. 89 v^o. — 2. D'après JJ 270 fol. 310 r^o, et le ms. latin 6025, fol. 90 r^o.

citiam vestram precamur intimis affectibus et ex corde quatinus faciat ut ipsa transumpta, quorum vobis copiam per [664] hujusmodi latorem mittimus, per dictum dominum summum pontificem et per vos sollicite videantur. Datum Barchinone, x kalendas aprilis, anno Domini millesimo CCCXLIIJ.

Et sub consimilibus verbis scripsit cardinalibus infrascriptis, vide-licet Petro divina providentia tituli Sancte Praxedis presbitero cardinali, et Bernardo, divina providentia tituli Sancti Ciriaci in Termis presbitero cardinali.

CXIII

ALIA EJUSDEM REGIS ARRAGONUM RESPONSORIA¹ AD PAPAM CLEMENTEM VI DE EODEM NEGOTIO REGIS MAJORICARUM. — Barcelone, 24 avril 1344.

Sanctissimo ac beatissimo in Christo patri et domino domino Clementi, divina providentia sacrosante romane et universalis Ecclesie summo pontifici, Petrus, Dei gratia rex Aragonum, etc., ejus humilis filius et devotus pedum oscula beatorum. Filiali devotione vestre clementie litteras per venerabilem Armandum, Aquensem archiepiscopum, noviter nobis missas reverenter accepimus; quarum in effectu series continebat quod cum Sanitas vestra paternis optaret affectibus, etc. (ut in editione quae extat inter probationes libertatum Ecclesiae Gallicanae, cap. vii, num. 12). Almam personam vestram Altissimus conservet suo sancto servitio per tempora longiora. Datum Barchinone, viii kalendas maii, anno Domini millesimo CCCXLIIIIJ.

CXIV

[665] ÉPISTOLA² CLEMENTIS VI AD PETRUM, REGEM ARAGONUM, DE NEGOTIO JACOBI REGIS MAJORICARUM. — Avignon, 12 mai 1344.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Petro, regi Aragonum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Fili carissime, licet pro reformanda pace et concordia inter te et carissimum in Christo filium nostrum Jacobum, regem Majoricarum illustrem, quos pacis emulus zizanie seminator ab unitate sejunxit, impen-

1. D'après JJ 270, fol. 310 v°, et le ms. latin 6025, fol. 90 v°. — 2. D'après JJ 270, fol. 329 r°, et le ms. latin 6025, fol. 108 r°.

derimus nostra studia toto posse, et venerabilem fratrem nostrum Armandum, archiepiscopum Aquensem, primo, et deinde bone memorie Andream, tituli Sancte Susanne, ac ipso hujusmodi negotium prosequendo sublato de medio, dilectum filium nostrum Bernardum, tituli Sancti Ciriaci in Termis presbiteros cardinales, et postmodum dictum archiepiscopum iterato successive ad partes ipsas duxerimus destinandos, ac eorum operationis ministerium, impediente satore discordie, non fuerit sortitum effectum, quia tamen, sicut displi-
center referimus, et evidentia facti notoriat, hujusmodi discordia non diminuta sed potius aucta videtur et durius aggravata, nos volentes tot et tantis malis, periculis, et scandalis que premissa (*a*) dis-
sensio paritura minatur occurrere, ne invalescant ulterius et fortius incalescant, salubriter obviare, presertim propter singularis et pa-
terne dilectionis affectum, quem ad te ipsumque Majoricarum regem habuimus et habemus, et vitanda dispendia que propterea tuis et ejusdem subditis ac toti reipublice provenerunt hactenus et dino-
scuntur assidue provenire, ac diligentius attendentes quam grandis ex
tua et ipsius regis Majoricarum unanimitate utilitas sequeretur, non intendimus ab inchoatis per nos desistere, sed eis insi[666]stere, nos-
trique officii debitum adimplere ut zizaniarum radices inter te et ipsum totaliter extirpentur, fomes cuiuslibet odii exting[u]atur, ab hostilibus hinc inde cessetur insultibus, et pacis integritas reformatetur.
Verumtamen, quia ad hujusmodi nostrum exequendum desiderium non possemus, sicut vellemus, nostram personalem (*b*) presentiam exhibere, dilectum filium nostrum Bertrandum, tituli Sancti Marchi presbiterum cardinalem, apostolice Sedis nuncium, virum utique laudande virtutis et in arduis experientie comprobate, scientia et innata prudentia peditum, cultorem justitie, et pacis amicum, et concordie zelatorem, licet ejus presentia nobis et Ecclesie generali necessaria nimium careamus inviti, ad partes ipsas pro hujusmodi sedanda discordia, necnon pace et concordia inter te et ipsum Majoricarum regem, actore Domino, reformandis providimus de fratrum nostrorum consilio tanquam pacis angelum destinandum. Ideoque serenitatem tuam requirimus, monemus et hortamur attente, per Salvatoris nostri aspersionem pretiosi sanguinis, obsecrans, quatinus diligenter considerans predicta et alia non facile numeranda dispendia que discordia ipsa parit, animum tuum ad pacis solide unitatem inter te et ipsum regem Majoricarum, summotis impedimentis qui-

a) predicta, *Bal.* — *b)* personaliter, *Bal. et ms. latin.*

buslibet, actore Domino, reformandam sic habiles et coaptes quod inter te et ipsum, cujuslibet odii et rancoris occasione sublata, concordia desiderata proveniat, communibus occurratur periculis, et communibus utilitatibus consulatur, et nichilominus prefatum cardinalem ob nostram et apostolice Sedis reverentiam et suorum meritorum excellentiam, immo nos in ipso potius benigne recipiens ac debita honorificentia prosequens et pertractans, ejus in premissis salubribus monitis et paternis exhortationibus effectualiter acquiescas, ac ea que tibi super hiis, ex nostra parte, vive vocis ministerio sugeret credas indubie, illaque sic devote susci^[667]pias et efficaciter exequaris quod nos tue bone intentionis propositum et devotionis sinceritatem erga nos et Sedem eamdem possimus per effectum operis dignis in Domino laudibus commendare. Datum Avinioni, iiiij ydus maii, pontificatus nostri anno secundo.

CXV

EJUSDEM PAPAE CLEMENTIS EPISTOLA¹ AD EUMDEM REGEM DE EADEM RE.
— Avignon, 3 novembre 1344.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Petro, regi Aragonum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Et si nos, qui licet insufficientibus meritis vices illius in terris gerimus cuius miserationes sunt super omnia opera ejus, afflictis quibusvis miserationis et compassionis debeamus affectum, illis tamen magis tenemur compati qui adverse fortune calami[t]ate concussi de altiori statu dignitatis et preminentie corruerunt. Sane dudum inter te, fili carissime, et carissimum in Christo filium nostrum Jacobum, regem Majoricarum illustrem, cognatum tuum, pacis emulo procurante, gravis dissensionis et scandali materia suscitata, nos non sine cordis amaritudine intuentes (*a*) quam esset tua et dicti regis periculosa dissensio, quamque tua et illius discordia existeret nocitura, quasi palpabiliter sentientes, et attendentes quod rex idem tibi, fili dilectissime, affinitatis et sanguinis proximitate conjunctus, et de regia tua stirpe progrediens, ledi aut confundi non poterat, ad inclitam prolem quam ipse ex carissima in Christo filia nostra Constantia, regina Majoricarum illustri, consorte ipsius, germana tua, Domino

a) omis par Bal.

1. D'après le ms. latin 9261, n. 42 (Bibliothèque nationale de Paris); original.

largiente, suscepit consideratione habita, quominus tu principaliter tangereris, pro reformatione pacis et concordie Deo grata ac mundo perutilis inter te ac regem eumdem invicem procurande ad te ipsumque regem et [668] partes illas nonnullos sancte romane Ecclesie cardinales aliosque prelatos et magne auctoritatis viros duximus, sicut tuam non ambigimus tenere memoriam, destinandos, nostris super hoc frequenter et sepe litteris exhortatoriis affectione plenis et caritate non vacuis inculcatis. Sed ipse pacis emulus et caritatis invidus et infestus invasor tua et dicti regis vota perturbans, sparso pestifere discordie semine, pro dolor, adeo concitavit quod preter et contra spem nostram nichil proficere potuerunt. Propter quod ad prefatum regem et statum, ad quem devenit, pia et anxia compassionem commoti, sperantes indubie quod ipsius conditio pietatis tue viscera erga eum ad compassionem debeat commovere, apud te pro hujusmodi reformatione concordie adhuc providimus insistendum, indubie supponentes quod benignitatis tue clementia tanto promptius nostris in hac parte beneplacitis condescendet quanto in prefati regis humiliatione voluntatis sue vota complevit, quantoque affectionem nostram ad ipsius revelationem collapsi per accumulatas preces et iteratam sepius instantiam cognoverit ampliorem. Quocirca serenitatem tuam obsecramus, rogamus, et hortamur attente, tui honoris obtentu nichilominus instantius suadentes, quatinus quantum sit pulcrum vindicte genus ignoscere, quantumque misereri prostratis deceat (*a*) regiam celsitudinem, cuius thronus clementia roboratur, prudenter attendens, et considerans provide quantum titulis regie dignitatis accrescit regem habere subditum et vassallum, quodque prefato regi suscepti ex eadem sorore tua filii, non extranei, sed nepotes tui sunt successuri, et quod subditi tui omnes ad excellentiam tuam majori nimirum ducentur reverentia et devotione si erga prefatum regem exhibueris te clementem, animum tuum ad concordiam coaptes et inclines ad pacem, et non solum in hiis que inter te ipsumque regem agenda sunt in justitia te clementer habeas erga eum, [669] sed ei pro reverentia apostolice Sedis et nostra in benigna exhibitione grātie favorabiliter aperias misericordie tue sinum, ita quod a rege regum, per quem datur regnare principibus, uberioribus preveniri benedictionibus et gratiis et humane laudis preconia merearis, ac nos et eamdem Sedem in tuis opportunitatibus et beneplacitis reperias propterea promptiores. Datum Avinioni, *iiij* nonas novembris, pontificatus nostri anno tertio.

a) decet, *Bal.*

CXVI

EPISTOLA¹ CLEMENTIS VI PAPAE AD ITERIUM DE MAGNACO, BAILLIVUM
ANDEGAVENSEM, IN GRATIAM PETRI DE SANCTO MARTIALE, DOMI-
CELLI LEMOVICENSESIS. — Avignon, 19 mai 1344.

*Dilecto filio nobili viro Iterio domino de Magnaco, Lemovicensis dyo-
cesis, baylivo Andegavensi.* Cum, sicut intelleximus, dilectus filius
nobilis vir Petrus de Sancto Martiale, domicellus, magister hostiarius
et familiaris noster, de quadam terra cum jurisdictione alta et bassa,
que in partibus Lemovicensibus a te teneri dicitur in feudum, emenda
certo pretio a dilecto filio nobili viro Guidone Senescalli, Picta-
vensis dyocesis, certum pactum habuerit cum eodem, nobilitatem
tuam attentius deprecamur quatinus eumdem domicellum habens (*a*)
super hiis precum nostrarum obtentu favorabiliter commendatum,
sibi dictam terram emendi ac retinendi possessionemque illius et
saysinam apprehendendi velis licentiam concedere specialem, et
deinde ab ipso recognitionem et homagium libere recipere, ad que
prestanda ille a quo causam habebit tibi antea tenebatur, sic preces
nostras hujusmodi ad effectum exauditionis favorabiliter admissurus
quod nos devotionem tuam exinde commendare merito valeamus.
Datum Avinione, xiii kalendas junii, anno tertio (*b*).

CXVII

[670] EPISTOLA² CLEMENTIS PAPAE VI AD JOANNEM, EPISCOPUM EXO-
NIENSEM, PRO ADEMARO ROBERTI CARDINALE. — Villeneuve-lez-
Avignon, 11 septembre 1344.

Venerabili fratri Johanni, episcopo Exoniensi. Displicibilis conques-
tio dilecti filii nostri Ademari, tituli Sancte Anastasie presbiteri cardi-

*a) habeas, Bal. et ms. latin. — b) Avinione... tertio, omis par Bal. et le ms.
latin.*

1. D'après le registre Vatican 138, fol. 3 r°, ep. 9. Baluze s'est servi du ms.
latin 4124 (Bibliothèque nationale de Paris). — 2. D'après le registre Vati-
can 138, fol. 81 v°, ep. 275. Baluze s'est servi du ms. latin 4124 (Bibliothèque
nationale de Paris).

nalis, nostri apostolatus auditui patefecit quod tu procuratores suos ymo cardinalem eumdem quominus fructus, redditus, et proventus ecclesie de Ayemynstre, tue dyocesis, annexe duabus prebendis ecclesie Eboracensis, quarum unam ipse obtinere noscitur, prout ad eum pertinet, percipere valeat et habere impedis contra justitiam et molestas. Cum autem impedimentum hujusmodi non solum in ejusdem cardinalis, cui saltem super suis juribus conservandis deferre ob Sedis apostolice, cuius honorabile membrum existit, reverentiam et sui status excellentiam tenebaris, sed in ipsius Sedis contemptum et contumeliam cedere dignoscatur, fraternitatem tuam rogamus attenuus et hortamur quatinus, ab impedimento predicto desistens fructus, redditus et proventus ecclesie predicte per ipsum cardinalem et procuratores suos (*a*) predictos percipi et haberi permittas pacifice, sicut predecessores ejusdem cardinalis in eadem prebenda habuerunt et perceperunt per tempora de quibus memoria in contrarium non existit, sic te super hiis habiturus quod inde possis apud Sedem prefatam commendari potius quam merito reprehendi, dictumque cardinalem super tuis oportunitatibus tibi propitium constituas et benignum. Datum apud Villamnovam, Avignonensis dyocesis, iiij ydus septembris, anno tertio (*b*). .

CXVIII

[671] BULLA¹ CLEMENTIS VI PAPAE, QUA HUGONEM DE RUPE CONSTITUIT RECTOREM COMITATUS VENAYSSINI. — Villeneuve-lez-Avignon, 10 septembre 1344.

Dilecto filio nobili viro Hugoni de Rupe, militi, rectori Comitatus Venayssini, salutem, etc. Inter ceteras terras et provincias nobis et Ecclesie romane immediate subjectas comitatum Venayssini paternis affectibus velut nostre recreationis pomerium intuemur, desideriis optantes intensis ipsum sic preservari ab incursibus malignorum et in eo sic vigere continue cultum justitie, fidelitatis et pacis quod habitatores et incole comitatus ejusdem in pacis ejusdem pul-

a) omis par Bal. et le ms. latin. — b) apud... tertio, omis par Bal. et le ms. latin.

1. D'après le registre Vatican 138, fol. 85 v^o, ep. 282. Baluze s'est servi du ms. latin 4124 (Bibliothèque nationale de Paris).

critudine sedeant, fiducie tabernaculum habitent, et requie opulenta quiescant. Intendentes igitur ad horum promotionem et observationem deputare personam juxta cor nostrum ydoneam, et ad te, per cuius fidelem et circumspectam industriam posse confidimus in hac parte satisfieri votis nostris, nostre considerationis aciem dirigentes, te generalem rectorem ejusdem comitatus ipsiusque districtus et pertinentiarum usque ad nostrum et apostolice Sedis beneplacitum in temporalibus deputamus, et volumus quod juriditionem spiritualem, que in fulcimentum temporalis dumtaxat exerceri per rectores ejusdem comitatus consuevit, ibidem facias per personam ydoneam ecclesiasticam a te super hoc deputandam in fulcimentum hujusmodi tantummodo, cum necesse fuerit, exerceri, disponendi, ordinandi, statuendi, precipiendi, mandandi, et alia omnia et singula faciendi, gerendi et exequendi plenarie, alienatione tamen bonorum ejusdem comitatus tibi penitus interdicta, que ad officium rectorie hujusmodi pertinere noscuntur, contra rectores quoslibet et rebelles, quotiens expedierit, tempora[672]liter per te ac spiritualiter per eamdem personam ecclesiasticam appellatione postposita compescendi facultatem tibi plenam et liberam concedentes. Quocirca nobilitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus onus rectorie hujusmodi reverenter et devote suscipiens, sic fideliter et utiliter rectoriam ipsam studeas exercere quod per tuam solerter et providam diligentiam nobis et Ecclesie romane predicte necnon dicto comitatui ejusque habitatoribus et incolis sperata commoda proveniant, tuque nostram et apostolice Sedis gratiam valeas uberioris promerer. Nos enim processus et sententias sive penas quas rite per te temporaliter et per dictam personam spiritualiter feceris, tuleris seu statueris in rebelles, ratos habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari, non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus quibusvis personis, cujuscumque status, gradus vel conditionis existant, ac communitatibus, universitatibus et locis ab eadem Sede concessis per que tue ac persone predice jurisdictionis executio posset quomodolibet impediri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Datum apud Villamnovam, Avignonensis dyocesis, mⁱ idus septembris, anno tertio (a).

a) apud... tertio, omis par Bal. et le ms. latin.

CXIX

**EPISTOLA¹ CLEMENTIS PAPAE VI AD ODONEM, DUCEM BURGUNDIAE,
PRO HUGONE DE RUPE ROMANAEE CURIAE MARESCHALLO.** — [1344 ?]

Dilecto filio nobili viro Odoni duci Burgundie. Relatu percepimus fide digno quod dilectus filius nobilis vir Hugo de Rupe, miles, nepos noster, romane curie marescallus, castrum Montisfortis situm in Burgundia cum castellania et aliis juribus et pertinentiis suis dudum a dilecto filio nobili [673] viro Aymerico de Malomonte, milite, ad quem jure successionis pervenerat, justo titulo acquisivit. Cum autem idem marescallus tam ratione sui officii quam obsequiorum nostrorum familiarium, quibus incessanter insistit, occupatus continue ad tue nobilitatis presentiam pro faciendis et prestandis hiis ad que tibi pro castro et castellania predictis tenetur accedere personaliter nequeat commode de presenti, nobilitatem eamdem plenis affectibus deprecamur quatinus procuratorem suum super predictis ydonea potestate suffultum, quem ad eamdem presentiam destinare providit, ad facienda et prestanda illa que dictus marescallus tibi pro premissis tenetur velis admittere favorabiliter de gratia speciali, aut alicui de quo possis confidere in hiis partibus committere recipiendi ab eodem marescallo premissa tuo nomine concedere potestatem, vel saltem usque ad certi competentis temporis spatium, infra quod idem marescallus possit ad eamdem tuam presentiam se conferre, negotium hujusmodi ponere in sufficientia et respectu, eidem interim saisina et possessione castri et castellanie juriumque predictorum sic expeditis plene ac libere quod eis gaudere valeat ac si fecisset ac prestisisset ea que tenetur facere, ut premissum est, et prestare, te, fili, taliter quesumus super hiis habiturus quod nos exinde tibi ad gratiarum actiones uberes teneamur. Datum.

CXX

**EPISTOLA² CLEMENTIS VI AD BERTRANDUM DE TURRE CONSOLATORIA
SUPER MORTE GUILLELMI FILII.** — Avignon, 4 novembre 1344.

Dilecto filio nobili viro Bertrando domino de Turre salutem. Quamvis fidelibus qui moriuntur in Domino, cum de laboribus ad quietem et de

1. D'après le ms. latin 4124, p. 693 (Bibliothèque nationale de Paris). — 2. D'après le registre Vatican 138, fol. 116 r°, ep. 384. Baluze s'est servi du ms. latin 4124 (Bibliothèque nationale de Paris).

miseriis ad beatitudinem transeant, [674] a suis caris potius congaudendum esset, si posset imperio rationis cohiberi doloris acerbitas, quam dolendum, auditu tamen nuper transitu quondam Guillelmi de Turre nati tui, non potuimus, cum simus inter homines, non dolere; presertim dum gratam familiaritatem ipsius et affinitatem placidissimam, qua nobis et nostris conjunctus noscebatur existere, attenta meditatione pensamus. Sed dum diligenter attendimus viam universe carnis, quam omnem humanam creaturam tam sublimem quam humilem ingredi cogit indicta moriendi hominibus necessitas, non parcens sexui vel etati, cuiusquidem mortis judicium differri nequit, dum de creatoris beneplacito, etiam per momentum, audi[veri]-musque relatibus fide dignis quod idem Guillelmus, tanquam vir devotus et catholicus, sacramentis premunitus ecclesiasticis finierit laudabiliter et feliciter terminum vite sue, consolamur in Domino, et ei gratiarum referimus in humilitate spiritus actiones. Ideoque nobilitatem tuam rogamus attentius et hortamur quatinus premissa, necnon quod ille qui eum tibi de sua gratia dederat, absque tua et alterius cuiusvis injuria ipsum ad se potuit juxta sue voluntatis beneplacitum revocare, in eo qui totius consolationis est pater consolatione recepta, super hiis divinis beneplacitis te coaptes, et mitigatis suspiriis, et abstersis penitus lacrymis, tam illos de domo tua quam ceteros mestos de dicto transitu tanquam vir fortis et magnanimus, presertim cum aliis multis liberis elegantibus te misericordiarum ditaverit Dominus, studeas consolari, pro certo sciturus, fili, quod tua et tuorum consolatio super hiis cedet in nostri beneplaciti et consolationis augmentum, quodque propter subtractionem nati tui predicti erga te, domum et liberos tuos nostre dilectionis affectus quomodolibet non decrescat. Ceterum precibus nostris adjicimus ut dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Helitz, relictam dicti [675] defuncti, neptem nostram, super tanti viri amissione doloris acerbitate respersam, paterna consoleris dulcedine, ipsamque habeas specialiter commendatam. Datum Avinione, iij nonas novembris, anno tertio (a).

a) Avinione... tertio, omis par Bal. et le ms. latin.

CXXI

EJUSDEM PAPAE CLEMENTIS EPISTOLA¹ CONSOLATORIA AD HELIDEM DE BELLOFORTI VIDUAM GUILLELMI DE TURRE. — Avignon, 4 novembre 1344.

Dilecte in Christo filie nobili mulieri Helitz, nate dilecti filii nobilis viri Guillelmi vicecomitis Bellifortis, nepti nostre, salutem. Quia te, filia, de subtractione quondam Guillelmi de Turre, viri tui, quem hiis diebus sortis humane conditio sustulit ab hac luce, arbitramur verisimiliter doloris acerbitate respersam, tibi compatimur in visceribus caritatis. Cum autem mortis judicium, quod omni humane creature sublimi et humili proculdubio est commune, restitutionis beneficium non admittat, te attentius in Domino exhortamur quatinus repressis quantum poteris suspiriis et lacrymis in Domino consoleris, scitura quod te paterne caritatis affectibus habemus et habere intendimus favorabiliter commendatam. Datum [Avinione, 15 nonas novembris, anno tertio (a).]

CXXII

EJUSDEM CLEMENTIS PAPAE EPISTOLA² AD PHILIPPUM VI, REGEM FRANCORUM, QUOD GRAVAMINA PER GENTES SUAS ECCLESIAE IRROGATA FACIAT REVOCARI. — Villeneuve-lez-Avignon, 12 mai 1345.

Carissimo in Christo filio Philippo, regi Francie illustri, salutem etc. De sinceritate regali tenemus indubie, sicut etiam sepius ab experto cognovimus, dum status inferior nos haberet, quod sic tua devotio ad Deum et Ecclesiam sanctam suam dirigitur incessanter quod ecclesias et personas ecclesiasticas [676] regni sui non permitteret scienter in suis juribus et libertatibus indebite opprimi vel gravari. Quam ob rem tanto confidentius super hiis porrigitur celsitudini regie preces

a) Datum ut supra, *Reg. Vat.*; Datum, *Bal. et ms. latin.*

1. D'après le registre Vatican 138, fol. 116 v^o, ep. 396. Baluze s'est servi du ms. latin 4124 (Bibliothèque nationale de Paris). — 2. D'après le registre Vatican 138, fol. 282 r^o, ep. 1062. Baluze s'est servi du ms. latin 4124 (Bibliothèque nationale de Paris).

nostras quanto eas speramus ad exauditionis gratiam favorabilius introduci. Sane quia quedam gravamina prejudicialia nimis nobis sepe exposita illata de novo dicuntur minus provide per gentes regias senescallie Tholosane venerabili fratri nostro Guillelmo, archiepiscopo et ecclesie Tholosane, quorum fit mentio succincta narratione in quadam supplicatione presentibus interclusa, que sibi vera sunt ut habet sufficiens assertio fide dignorum ac fervidorum honoris et commodi regii zelatorum, qui noverunt per diutinam experientiam statum illius patrie, presertim in juribus regiis conservandis, velut alias insolita ac de novo presumpta juri et rationi obviant manifeste, quibusque, si remanerent irreparata et non revocata, quod absit, libertas ecclesiastica enormiter lederetur, et ecclesia Tholosana predicta oppressa nimium in suis juribus et honoribus remaneret, magnificentiam tuam attentius deprecamur quatinus super contentis in dicta supplicatione nobis pro parte dicti archiepiscopi presentata velit excellentia regia absque litigiorum anfractibus super eorumdem revocatione gravaminum celerem ac favorablem expeditionem facere, prout suadebit equitatis benignitas, exhiberi, ac prefatum archiepiscopum, qui vir multorum meritorum et eminentis existit scientie, qui que sue ecclesie nequit prosequi negotia senio et aliis impedimentis detenus, habere ob divinam et apostolice Sedis reverentiam super hiis et aliis pietate regia propensius commendatum, sic quod a Deo eterne retributionis mansuetudo regia acquirat premium et digne laudis preconiis attollatur. Datum apud Villamnovam, Avignonensis dyocesis iij ydus maii, anno tertio (a).

CXXIII

[677] EPISTOLA¹ CLEMENTIS VI PAPAE AD STEPHANUM EPISCOPUM SANCTI PONTHI THOMERIARUM, QUA EUM CONSTITUIT CAMERARIUM SANCTAE ROMANAEC ECCLESIAE. — Avignon, [11] janvier 1347².

Venerabili fratri Stephano, episcopo Sancti Pontii Thomeriarum, camerario nostro. Dum fidelitatis ac prudentie ceterasque traditas

a) apud... tertio, omis par Bal. et le ms. latin.

1. D'après le registre Vatican 140, fol. 200 v^o, ep. 882. Baluze s'est servi du ms. latin 4124 (Bibliothèque nationale de Paris). — 2. Le registre porte sans doute par erreur la date « iij januarii ». La lettre précédente est du 4 des ides de janvier et la suivante du 2 des ides de janvier.

tibi virtutes a Domino, fructusque laudabiles qui ex tuis operibus circa commissa per nos tue sollicitudini hactenus provenerunt atten-dimus, ex hiis profecto circa experientiam nobis notis colligimus evidenter quod te tanquam fidelem et prudentem constituere fiducialiter possumus supra multa. Cum itaque nuper bone memorie Gasbertus, archiepiscopus Narbonensis, camerarius noster, clauserit, sicut Domino placuit, apud Sedem Apostolicam terminum hujus vite, nos nolentes camerariatus nostri officium remanere gubernatore provido destitutum ulterius, et ad personam tuam, quam premissis et aliis donis virtutum insignivit Dominus, dirigentes intuitum mentis nostre, te nostrum et Ecclesie romane camerarium tenore presentium constituimus et etiam deputamus, mandandi, precipiendi, corrigendi, gerendi, faciendi et exercendi omnia et singula que ad predictum spectant officium tibi, a quo fidelitatis prestari per camerarios Ecclesie predice juramentum solitum recepimus, potestatem plenam et liberam concedentes. Datum Avinioni, iiij [ydus] januarii, anno quinto.

CXXIV

[678] EPISTOLA¹ CLEMENTIS PAPAE VI AD PHILIPPUM VI, REGEM FRANCORUM, QUA EI COMMENDAT GUILLEMUM ROGERII, VICECOMITEM BELLIFORTIS, QUI EMERAT TERRAM ALESTI. — Avignon, 7 août 1345.

Carissimo in Christo filio Philippo, regi Francie illustri. In regali credimus memoria residere quod dudum regie celsitudini exposito qualiter dilectus filius nobilis vir Humbertus, dalphinus Viennensis, volens vendere terram illam quam in partibus Alesti ex assidentia regia fuerat assecutus, ad emptionem illius dilectum filium nobilem virum Guillelmum Rogerii, vicecomitem Bellifortis, germanum nostrum, sepius duxerat invitandum, quodque nos eidem germano super hoc absque beneplacito regio nostrum impetriri nolebamus assensum, magnificentia regia multum benevole, super quo eidem gratias referimus, nobis scripsit plus placere sibi de dicto germano nostro quam de alio, et volebat nichilominus quod per materiam emptionis vel

1. D'après le registre Vatican 139, non folioté, ep. 219. Baluze s'est servi du ms. latin 4124 (Bibliothèque nationale de Paris).

scambii, prout sibi videretur utilius, haberet et acquireret terram ipsam. Quam ob rem nos tunc temporis super premissis litteris regiis assensum prebuimus. Cum autem dolphinus predictus ad eam approbandam et obtinendam confirmationem regiam super ea procuratores suos ad celsitudinis regie presentiam providerit destinandos, eamdem celsitudinem attentius deprecamur quatinus super hiis regalis excellentia tam nostri quam prefati dolphinii consideratione benevolentiam exuberando hujusmodi se super confirmatione ipsa velit benignam et propitiam exhibere. Datum ut supra (a) [vix ydus augusti anno quarto].

CXXV

[679] LITTERAE¹ COMMISSIONIS CUJUSDAM PER NICOLAUM ROGERII,
ARCHIEPISCOPUM ROTHOMAGENSEM, FACTAE MAGISTRO MARTINO LA
CHAPOLIA ET DOMINO MATTHAEO CAMPION SUPER HOMAGIIS RECI-
PIENDIS VIRTUTE GRATIAE REGIAE EIDEM ARCHIEPISCOPO FACTAE ET
CONCESSAE. — Avignon, 4 février 1345.

Nicolaus, permissione divina archièpiscopus Rothomagensis, provido viro et discreto magistro Martino la Chapolia, in spiritualibus et temporalibus vicario nostro, et nobili viro domino Mattheo Campion, militi, senescallo temporalitatis nostre et ecclesie Rothomagensis, salutem in Domino sempiternam. Litteras excellentissimi principis domini Philippi Dei gratia regis Francorum illustris, et gratiam nobis factam per eumdem super infrascriptis nos recepisse noveritis sub hiis verbis.

Philippe, par la grace de Dieu roy de France, à tous cels qui ces presentes lettres verront salut. Comme nous pour contemplation de nostre saint Pere le pape aions octroié et octroions par ces presentes à nostre amé et feal Nicole à présent archevesque de Roüen que pour ce que il est anciens et que sans grant travail et peril de son corps ne pourroit venir és parties par deça, et afin que le droit de son archèveschié ne

a) Datum, *Bal. et ms. latin.*

1. D'après une copie prise par Baluze dans le cartulaire de l'archevêché de Rouen, G 7, fol. 422 v°, aux archives de la Seine-Inférieure.

puisse periller en aucune maniere, que il les fois et hommages, seremens de fealté, et autres devoirs à lui deus pour cause du temporel de sondit archeveschié puisse recevoir par personnes suffisans par lui députés, et que lesdits députés puissent contraindre tous ceuls qui sont tenus à les prester et faire ce à quoy chascun sera tenus tout en la forme et maniere que ledit archevesque feist ou peust faire se il fust present ou pais, non contestant que de droit ou de coustume il les deust recevoir en sa personne, nous [680] mandons et commandons au bailli de Roüen et à tous autres baillis et justiciers, si comme à chacun appartendra, que ledit archevesque et les deutez de par lui laissent et facent user et joir de ceste presente grace et les aident et confortent si et quantes fois en sera mestiers et seront requis, si comme il appartendra. Donné à Paris, le xiv jour de décembre, l'an de grace MCCCXLIII.

Nos igitur volentes et intendentes uti gratia hujusmodi nobis facta, ac desiderantes providere ne jus nostrum et ecclesie nostre Rothomagensis predicte lapsu temporis vel alio quovis modo valeat deperrire, et ut honor ejusdem sine diminutione integer perseveret, ut vice nostra et nomine fidem et homagia ac juramenta fidelitatis et alia deveria exigere et recipere possitis a quibuscumque qui ad fidem vel homagium seu juramentum fidelitatis aut alia deveria nobis prestandum tenantur ratione seu pretextu temporalitatis nostre et dicte nostre ecclesie seu superioritatis ejusdem, compellendi quoque omnes et singulos qui ad hoc aut eorum aliquid vel aliqua nobis de jure vel consuetudine patrie sunt astricti ut eadem, prout tenantur, faciant atque prestent, et distringendi ipsos et eorum singulos modo et forma quibus nos faceremus seu facere possemus, vobis, de quorum fidelitate, diligentia, et industria plene confidimus, et vestrum cuilibet in solidum damus tenore presentium specialem et liberam potestatem, faciendi quoque et exercendi in premissis et circa premissa omnia et singula que fieri juxta tenorem dicte gratie possunt seu poterunt quovis modo, et que faceremus aut facere possemus si presentes essemus, et in hiis et super hiis plenarie commitimus vices nostras. In quorum omnium testimonium presentes litteras sigilli nostri fecimus appensione muniri. Actum et datum Avinioni, die quarta mensis februarii, anno a nativitate Domini MCCCXLV.

CXXVI

[681] BULLA¹ CLEMENTIS VI QUA PETRUM DE JUDICIA PRAEFICIT ECCLESIAE CESARAUGUSTANAE. — Villeneuve-lez-Avignon, 2 mars 1345.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Petro, electo Cesaraugustanensi, salutem et apostolicam benedictionem. Quam sit onusta periculis, quam plena dispendiis, quantaque secum incommoda pertrahat ecclesiarum vacatio diurna, solicite considerationis indagine perscrutantes, libenter operarias manus apponimus et studium efficax impertimur ut viduatis ecclesiis pastores preficiantur ydonei et ministri deputentur, quorum fulte presidiis et favoribus communite malignorum insultus non metuantet pravorum non vereantur incursus, quinimmo auctore Domino felicibus proficiant incrementis. Dudum siquidem bone memorie Petro, archiepiscopo Cesaraugustanensi, regimini Cesaraugustanensis ecclesie presidente, nos intendentes eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice Sedis providentiam ydoneam preesse personam, provisionem ipsius ecclesie Cesaraugustanensis dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane si securus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum ejusdem Petri, qui extra romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos vacatione hujusmodi fide dignis relatis intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potest reservatione et decreto hujusmodi obsistentibus, ne ipsa Cesaraugustanensis ecclesia longe vacationis exponatur incommodis paternis et solicitis studiis intendentis, et cupientes eidem [682] ecclesie talem preesse personam que sciret, vellet et posset eam preservare a noxiis et adversis, et in suis manuteneret juribus et etiam adaugere, post deliberationem quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te tunc abbatem monasterii Crassensis, ordinis sancti Benedicti, Carcassonensis dyocesis, in sacerdotio constitutum, litterarum scientia preditum, religionis zelo conspicuum, morum et vite honestate decorum, in spiritualibus providum, et in temporalibus circumspectum, ac aliis multiplicium virtutum meritis, prout etiam testimoniis fide

1. D'après le ms. Baluze 383, n. 157 (Bibliothèque nationale de Paris); original.

dignis accepimus, insignitum convertimus oculos nostre mentis. Quibus omnibus diligenti meditatione pensatis, de persona tua nobis et eisdem fratribus nostris ob hujusmodi tuorum exigentiam meritorum accepta, non obstante quod pateris in estate defectum, cum tantummodo in vicesimo quarto etatis anno constitutus existas, super quo tecum auctoritate apostolica dispensamus, eidem ecclesie Cesaraugustanensi de dictorum fratrum consilio auctoritate predicta providemus, teque illi preficimus in archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod eadem Cesaraugustanensis ecclesia sub tuo felici regimine, gratia tibi assistente divina, prospere dirigetur et salubria suscipiet incrementa. Jugum igitur Domini tuis impositum humeris suscipiens reverenter, et suavi ejus oneri humiliter colla summittens, ejusdem Cesaraugustanensis ecclesie solicitam curam geras, gregem dominicum in illa tibi commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod dicta Cesaraugustanensis ecclesia gubernatori circumspecto et fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, tuque, preter eterne retributionis premium, nostre benivolentie gratiam [683] uberius valeas promerer. Datum apud Villamnovam, Avignonensis dyocesis, vj nonas martii, pontificatus nostri anno tertio.

CXXVII

EPISTOLA¹ CLEMENTIS PAPAE VI AD PETRUM REGEM ARAGONUM, QUA EI COMMENDAT PETRUM DE JUDICIA, ARCHIEPISCOPUM CAESARAU-GUSTANUM. — Avignon, 26 mars 1345.

Carissimo in Christo filio Petro, regi Aragonum illustri, salutem.
Pridem ecclesie Cesaraugustane vacanti de persona dilecti filii Petri electi Cesaraugustani, tunc monasterii Crassensis, ordinis Sancti Benedicti, Carcassonensis dyocesis, abbatiali regimini presidentis, nepotis nostri, doctoris decretorum, ad magnam fratrum nostrorum instantiam et de ipsorum consilio providimus, et ipsum eidem ecclesie

1. D'après le registre Vatican 138, fol. 241 v^o, ep. 925. Baluze s'est servi du ms. latin 4124 (Bibliothèque nationale de Paris).

prefecimus in archiepiscopum et pastorem. Cum autem idem electus ministros et procuratores suos cum litteris provisionis predicte ad ecclesiam memoratam providerit destinandos, excellentiam regiam attentius deprecamur quatinus prenominatos electum et ecclesiam habens regalis magnificentia pro divina et nostra Sedisque Apostolice reverentia favore regio commendatos, dictos ministros et procuratores velit benigne recipere ipsisque assistere ac per gentes et officiales regios assisti facere favoribus opportunis, ita quod nos et Sedes predicta proinde commendare celsitudinem regiam cum gratiarum actionibus merito debeamus. Datum Avinione, vij kalendas aprilis, anno tertio (*a*).

CXXVIII

[684] EJUSDEM PAPAE EPISTOLA¹ AD CAPITULUM SANCTI PETRI DE URBE, QUA JUBET UT AYMERICUM DE CASTROLUCHII CARDINALEM SINANT CELEBRARE MISSAM IN ALTARI SANCTI PETRI, SI SUPPETANT HUJUSMODI EXEMPLA. — Avignon, 4 avril 1345.

Dilectis filiis capitulo basilice principis apostolorum de Urbe salutem.
 Relatu fide digno percepto quod dilectus filius noster Aymericus tituli Sancti Martini in montibus presbiter cardinalis, apostolice Sedis legatus, est in proximo transiturus per Urbem, nos volentes eum ibidem prout decet status ejus eminentiam honorari, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus eidem cardinali honorem congruum et debitum exhibentes, si retroactis temporibus extiterit consuetum per cardinalem sancte romane Ecclesie officio legationis fungentem vel alium in altari majori basilice principis apostolorum de Urbe missarum solemnia celebrari, super quo vos habere supponimus notitiam plenioram, per ipsum cardinalem in eodem altari solemnia celebrari hujusmodi, vobis eidem circa hec honorabiliter ut decebit assistentibus, permittatis. Datum Avinione, iij nonas aprilis, anno tertio (*b*).

a) Datum apud Villamnovam, Avignonensis diocesis, vi nonas martii, anno tertio, *Bal.* — *b)* Avinione... tertio, *omis par Bal. et le ms. latin.*

1. D'après le registre Vatican 138, fol. 244 r°, ep. 933. Baluze s'est servi du ms. latin précité.

CXXIX

CLEMENTIS VI BULLA¹ DE MATRIMONIO GUILLELMI ROGERII, VICECOMITIS BELLIFORTIS, ET GARINAE DE CANILHACO. — Villeneuvelez-Avignon, 16 mai 1345.

Dilecto filio nobili viro Guillelmo Rogerii, vicecomiti Bellifortis, militi, et dilekte in Christo filie nobili mulieri Garine, nate dilecti filii nobilis viri Marquesii domini de Canilhaco, Mimatensis dyocesis, salutem. Cum, sicut intelleximus, tractatu et consensu [685] utriusque vestrum amicorum intervenientibus contrahere invicem matrimonium intendatis, nos supplicationi pro parte vestra nobis exhibite benignius inclinati, cum fide dignorum relatu perceperimus nullum impedimentum legitimum quominus possitis licite matrimonialiter assistente vobis divina gratia copulari, ut temporibus quibus solempnizari matrimonia canones interdicunt vel aliis, prout magis vobis fuerit opportunum, ac bannis non editis, dictum matrimonium inter vos invicem ubi et quando vobis videbitur per sacerdotem quem eligendum duxeritis in facie Ecclesie solempnizare facere, quibuscumque constitutionibus, statutis et consuetudinibus contrariis nequaquam obstantibus, libere valeatis, tam sacerdoti qui matrimonium solempnizabit hujusmodi quam vobis plenam tenore presentium licentiam elargimur. Datum apud Villamnovam, Avignonensis dyocesis, xvij kalendas junii, anno tertio (a).

CXXX

CLEMENTIS PAPAE VI EPISTOLA² AD PHILIPPUM VI, REGEM FRANCORUM, PRO NICOLAO ROGERII, ARCHIEPISCOPO ROTHOMAGENSI. — Avignon, 28 avril 1346.

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Super non-nullis detestandis et perniciosis excessibus per habitatores ville de Locoveris, Ebroicensis dyocesis, temporali jurisdictioni venerabilis

a) apud... tertio, omis par Bal. et le ms. latin.

1. D'après le registre Vatican 138, fol. 286 v°, ep. 1079. Baluze s'est servi du ms. latin précité. — 2. D'après le registre Vatican 139, non folioté, ep. 1122. Baluze s'est servi du ms. latin précité.

fratris nostri Nicolai archiepiscopi Rothomagensis, subjecti vel majorum partem habitatorum ejusdem loci non sine multe temeritatis audacia in personas officialium et gentium archiepiscopi predicti, ac domos, res et bona ipsorum, ut asseritur, perpetratis gentes ipsius archiepiscopi habuerunt, ut intelleximus, et habent pro satisfactione prestanta super hiis debita civiliter in hac parte pro complemento justitie ad curiam regalem recursum. Quocirca magnificentiam regiam deprecamur quati[686]nus tam zelo justitie quam precum interventu nostrarum super premissis habere velit gentes ejusdem archiepiscopi favorabiliter commendatas. Datum Avinione, iii kalendas maii, anno quarto (*a*).

CXXXI

ALIA EJUSDEM PAPAE EPISTOLA¹ AD EUMDEM REGEM PRO EODEM NICOLAO, ARCHIEPISCOPO ROTHOMAGENSI. — Avignon, 12 août 1346.

Carissimo in Christo filio Philippo, regi Francie illustri. Noviter intelleximus quod licet vicarii venerabilis fratris nostri Nicolai archiepiscopi Rothomagensis in villa sua de Dieppa, Rothomagensis dyocesis, unum capitaneum cum sex hominibus armorum et quadraginta balistariis, sicut hactenus consuetum est fieri, posuerint et deputarint pro custodia dicte ville, gentes tamen regie partium illarum alium capitaneum ibidem nomine regio cum decem armorum hominibus deputarunt, satagentes prefatos vicarios et ministros alias dicti archiepiscopi ut de bonis archiepiscopalibus mense ipsius archiepiscopi solverent stipendia capitaneo et hominibus armorum pro parte regia in eadem villa positis, ut prefertur, et quod id prefati vicarii et ministri facere contradicant, gentes predictae regie temporalitatem prelibati archiepiscopi posuerunt ad manum regiam, blada et alia bona ipsius archiepiscopi recipiendo, segetesque ipsius executando in grangiis, granum exinde secum asportando, et repetendo debita que archiepiscopo supradicto debentur. Cum autem, fili carissime, ab hactenus inaudita sint talia, et nisi per regiam corrigerentur providentiam,

a) Avinione... quarto, omis par Bal. et le ms. latin.

1. D'après le registre Vatican 140, fol. 85 v^o, ep. 375. Baluze s'est servi du ms. latin précité.

in magnum gravamen dicti archiepiscopi et detrimentum juris ecclesie Rothomagensis procul dubio redundarent, excellentiam regiam deprecamur attente quatinus taliter velit regalis benignitas super hiis prvidere quod archiepiscopus et ecclesia supradicti ab [687] hujusmodi gravaminibus et dispendiis releventur, et regalis magnificentia, que consuevit ecclesias et ecclesiasticas personas favore benevolo prosequi, exinde a Domino eterne retributionis meritum consequatur. Nos siquidem ecclesiam ipsam, que nos tunc in minoribus constitutos sponsum, ut regia non ignorat sublimitas, habuit, et nunc patrem et dominum recognoscit, ac eumdem archiepiscopum, patrum nostrum, specialis prerogativa dilectionis non indigne prosequimur. Propter quod ipsos cordialius benevolentie regie commendamus. Datum Avinione, iij ydus augusti, anno quinto (a).

CXXXII

PISTOLA¹ CLEMENTIS VI AD PHILIPPUM VI REGEM FRANCORUM, QUA APUD EUM EXCUSAT GALHARDUM DE MOTA, CARDINALEM, FALSO APUD EUM ACCUSATUM. — Avignon, 1^{er} août 1346.

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Sagittantur in occulto quandoque detractoriarum linguarum ictibus innocentes, et eos sic percussos perire sepe contingit, cum destituuntur excusatoria medicina. Propter quod pium esse credimus cum veritate suffragante antidotum eis medicine hujusmodi ministratur. Hec pro tanto, fili carissime, premittimus, quia dudum duo homines impii, videlicet Deodatus de Alunihaco et Assinus de Grimaldo, tunc familiares dilecti filii nostri Galhardi Sancte Lucie in silice dyaconi cardinalis, non verentes venenosas acuere in lesionem proximi linguas suas, dilecto filio Petro Vitalis, servienti nostro armorum, familiari domestico cardinalis predicti, latenter imposuerunt et subdole quod ipse contra tuum, fili carissime, ac carissime in Christo filie nostre Johanne regine Francie illustris, consortis tue, honorem obloquutus

a) Avinione... quinto, *omis par Bal. et le ms. latin.*

1. D'après le registre Vatican 140, fol. 73 v^o, ep. 307. Baluze s'est servi du ms. latin précité.

fuerat et detractotoriam seu maledicam nimis temere laxaverat lingua suam, ac ipsum, quem [688] iniquo prosequerantur odio, capi per gentes regias procurarunt; sed demum romane curie restitutus, et carcerali custodie diutine mancipatus ibidem, factis inquisitionibus et processibus solempnibus, vocatis ad hoc gentibus regiis, contra ipsum, repertus extitit de impositis hujusmodi penitus innocens et immunis; dictique falsi delatores in suis depositionibus adversus dictum servientem factis inventi manifeste fuerunt varii et perjuri. Propter quod matura deliberatione prehabita prefatus serviens exigente justitia absolutus a premissis sententialiter extitit, et per tuam curiam regiam hujusmodi absolutoria sententia ex certa scientia approbata. Subsequenter autem, cum falsi delatores predicti essent merito ab hospitio et familiaritate dicti cardinalis expulsi, se, ut intelleximus, ad curiam regiam Francie conferentes, curiam ipsam suis excitasse clamoribus et adversus cardinalem predictum, qui maturitatis modestia, morum refurgentia, prudentia et honestate prepollens, tuum et ejusdem regine totiusque domus regie honorem, prosperitatem et incolumentem dilexit et observavit hactenus, ac continue diligit et observat, laxasse labia dicuntur detractoria, presertim dictus Assinus, mendaciter asserendo eumdem cardinalem aliquos familiares suos tenere secum detractores domus regie ac fovere; tantumque garrulationes suas falsas hujusmodi continuasse dicuntur quod ad aures dicte regine instillate sunt, sicut fertur. Cum itaque talibus maledicis ac reprobis hominibus credulus non debeat accommodari auditus, sed sint potius tanquam venenum inficiens repellendi, excellentiam regiam attentius deprecamur quatinus eos abjici de curia regia facias et repelli, nullam fidem eis contra cardinalem prefatum honoris et commodi tui et domus regie, sicut experti sumus sepius, fervidum zelatorern, et experiri potest regia sublimitas evidenter, cum ejus frater, nepotes et consanguinei quamplures tam [689] in guerris quam aliis obsequiis regiis se tantum fideles ac devotos exhibuerint potenter et viriliter hactenus et exhibeant etiam, ut fide dignis relatibus incessanter, adhibeat quomodolibet serenitas regia, imo potius cardinalem ipsum verum amicum confidenter reputet et fidelem. Datum Avinione, kalendis augusti, anno quinto (a).

a) Avinione... quinto, omis par Bal. et le ms. latin.

CXXXIII

EJUSDEM PAPAE EPISTOLA¹ AD JOANNAM, REGINAM SICILIAE, QUA EI
SUPPLICANTI CONCEDITUR UT IDEM PAPA SIT PATER SPIRITALIS
PARTUS SUI. — Avignon, 15 janvier 1346.

Carissime in Christo filie Johanne, regine Sicilie illustri. Regalis magnificentie tue, filia carissima, litteras sub data diei tertie mensis decembris proximo preteriti confectas recepimus die duodecima presentis mensis januarii, affectu benignitatis solite inter cetera continentibus, quod cum partus, quem gestas in utero, cum gratia divina sperares (*a*) in lucem hujus mundi progressurum feliciter infra mensem, eidemque partui naturali patre orbato, proh dolor, nos, qui sumus pater universalis cunctorum fidelium, optares spiritualem patrem existere in regeneratione baptismi, humiliter supplicasti ut alicui, qui hoc nostro nomine adimpleret in illis partibus, committere dignarremur. Nos igitur, qui tuum et regni tui statum zelamus prosperum, et ejusdem partus felicem et votivum editum ad laudem Dei, ac tuam et regni consolationem predicti suppliciter a Domino (*b*) postulamus, devotioni tue, quam multiplicitate commendamus in Domino, super hiis respondemus benigne quod, licet in litteris non exprimatur predictis, an tua serenitas de baptismatione partus ejusdem, dum donante Domino editus fuerit, vel ipsius susceptione de sacris fontibus, id a nobis duxerit postulandum, placibiliter tamen volumus quod in utroque casu, vel de illo de quo tua [690] intellexit celsitudo, videlicet de baptismatione, per unum ex venerabilibus fratribus nostris... Neapolitano,.. Barensi, vel .. Brundusino archiepiscopis vel prelatis aliis per te, filia carissima, super hoc eligendis, de susceptione vero per unum de prelatis eisdem vel nobilibus secularibus, sicut de tuo benefacito fuerit, cui vel quibus vices nostras super hiis per presentes committimus, hujusmodi tue devotionis votum nostro nomine compleatur. Porro quod de impositione nominis eidem partui, si masculus fuerit, posterior litterarum tuarum clausula subjungebat, tue dispositionis arbitrio, sive masculus sive femina extiterit, providimus relinquendum, tuam regalem excellentiam nichilominus exhortantes

a) spes, Bal. — b) admodum au lieu de a Domino, Bal.

1. D'après le registre Vatican 139, non folioté, cap. 808. Baluze s'est servi du ms. latin précité.

quatinus circa tuam et prolis, quam tibi Dominus dederit custodiam, et ipsius prolis educationem adhibere curam et operosam diligentiam studeas, sicut decet. Datum Avinione, xviiij kal. februarii, anno quarto (a).

CXXXIV

EJUSDEM PAPAE EPISTOLA¹ AD EAMDEM REGINAM GRATULATORIA
DE FELICI PARTU. — Avignon, 7 février 1346.

Carissime in Christo filie Johanne, regine Sicilie illustri. Mente leta jocundoque animo recepimus serenitatis tue litteras describentes qualiter divina clementia, que nunquam cessat a benedictionibus gratiarum, conceptum tuum, de quo inclite memorie Andreas, rex Sicilie, vir tuus, te gravidam reliquerat, sic ad optatum terminum sua ineffabili pietate perduxit quod, nocte nativitatis dominice proximo preterite, post dolores tui partus anxios, vita tibi comite, filium, astantibus et presentibus tam dilecta in Christo filia Isabella, Hungara, nutrice quondam viri tui regis predicti, quam aliis non nullis de magnatibus regni et civitate Neapolitana nobilibus et honestis mulieribus, in [691] tua camera et ante portam ipsius multis nobilibus existentibus, feliciter peperisti : quem quidem natum naturilibus membris completum inter ulnas suas mox nutrix eadem tenuit, ac deinde, die festivitatis beati Stephani protomartiris subsequenti, venerabilis frater noster Philippus, episcopus Cavallicensis, cancellarius tuus, eundem natum filium (b), vice nostra, de sacris elevavit fontibus, Caroli nomine imposito, ut progenitorum suorum clare memorie nuncupatorum hoc nomine memoria celebris recenseretur in eo. Et licet, filia carissima, partum hujusmodi prosperum et jocundum ante receptionem litterarum tuarum predictarum letis rumoribus audissemus, earum tamen viso et intellecto tenore cor nostrum amplius (c) in Domino exultavit. Subsequenter autem eodem episcopo Cavallensi et dilecto filio nobili viro Petro, comite Bellaudi, tue regie celsitudinis nunciis, ad presentiam nostram venientibus et

a) Avinione... quarto manquent dans le ms. latin. — b) tuum, Bal. — c) omis par Bal.

1. D'après le registre Vatican 139, non folioté, cap. 910. Baluze s'est servi du ms. latin précité.

premissa nobis referentibus seriose, perfusa fuerunt exinde rore consolationis et gaudii uberius intima cordis nostri, sperantes in Domino quod ipse, cuius misericordiarum non est numerus, ad laudem sui nominis ac grata et fidelia obsequia Ecclesie sancte sue, reique utilitatem publice (*a*), ac regni et regnicolarum consolationem, gubernationem et pacem ipsum puerum, virtuosis adornatum dotibus et clara progenitorum suorum vestigia imitantem, in annos producit longevos, sicut a largitore bonorum omnium devotis precibus postulamus. Porro que per prefatum Cavallicensem episcopum, levando, vice nostra, dictum puerum de sacris fontibus, facta sunt, ut prefertur, habentes grata multipliciter et accepta, tuam regiam excellentiam attentius exhortamur quatinus amorem maternum, quem ad ipsum filium te gerere supponimus incomparabiliter et habere, circa custodiam et educationem ipsius sedulam adaugeat nostre dilectionis affectus, quem ad ipsum puerum velut spiritualem filium gerimus specialiter, ut donante Domino [692] de ipso continue rumores votivos et prosperos audiamus. Datum Avinione, viij ydus februarii, anno quarto (*b*).

CXXXV

CLEMENTIS PAPAE VI EPISTOLA¹ AD PHILIPPUM VI, REGEM FRANCORUM, DE FACTO MACHLINIAE ET DUCE BRABANTIAE. —
[Anno 1346?].

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Intellectu pleno collectis hiis que regie littere super facto ville de Machlinia, Cameracensis diocesis, nobis presentate ultimo continebant, regiam excellentiam volumus non latere quod licet afficeremur et afficiamur ad perfectionem debitam tibique, fili carissime, regnoque utilem et honorabilem negotii de quo inter tuam celsitudinem et dilectum filium nobilem virum Johannem, ducem Brabantie, agitur de presenti, tamen post deliberationes solemniter super hiis habitas non fuit justum quod in alia forma quam illa que continetur in nostris inde confectis litteris eas deberemus concedere salva justicie honestate. Sed nunc prefato duci ac venerabili fratri nostro Engilberto, episcopo,

a) publice utilitatem, Bal. — b) Avinione... quarto, omis dans Bal. et le ms. latin.

1. D'après le ms. latin 4124, p. 412 (Bibliothèque nationale de Paris).

et dilectis filiis capitulo Leodiensi scribimus juxta formam quam cedula continet presentibus interclusa, intendentes, si forsitan, quod non credimus, difficultatem adhiberent vel impedimenta interponerent indebita episcopus et capitulum supradicti, nos quantum cum Deo poterimus de opportuno remedio providere. Datum.

CXXXVI

EJUSDEM PAPAE EPISTOLA¹ AD LUDOVICUM REGEM HUNGARIAE DE EDUCATIONE FILII REGIS ANDREAE ET DE GUBERNATIONE REGNI SICILIAE. — Avignon, 6 mai 1346.

Carissimo in Christo filio Ludovico, regi Ungarie illustri, salutem.
 Re[693]galis tue magnificentie litteras nostro nuper apostolatui presentatas solite benignitatis affectu recepimus, et earum intelleximus seriem diligenter. Cumque per eas regia sublimitas inter cetera suppli- carit ut circa custodiam et educationem decentem et securam inclyti pueri Caroli, nati clare memorie Andree, regis Sicilie, germani tui, curam adhiberi fidelem et solicitam mandaremus, et ut hoc melius, utilius (*a*) et securius compleretur, ordinare quod puer ipse (*b*) alendus, nutrien- dus et custodiendus assignaretur carissime in Christo filie nostre Elizabeth, regine Ungarie illustri, genitrici tue puerique predicti avie, administratioque regni Sicilie traderetur tibi, fili carissime, ac (*c*) dilecto filio nobili viro Stephano, germano tuo, duci Trans- silvanensi, et eidem genitrici usque ad etatem ejusdem pueri legitimam dignaremur, et ulterius adjecerit sublimitas regia supplicationi predicte (*d*) quod Johanne, regine Sicilie, relicte dicti Andree regis, nullatenus concederemus licentiam vel dispensationem cum aliquo de domo regia Sicilie matrimonium contrahendi, nos tue celsitudini super hiis breviter respondemus quod licet sepe scripserimus eis de quibus nobis expediens visum fuit ut super custodia et educatione predicti pueri, cuius longevam vitam et prosperam largiente Domino peroptamus, curam fidelem et sedulam adhibeant (*e*), quia tamen nobis placeret admodum et honestum et expediens crederemus quod puer prefatus sub cura, custodia et educatione felicibus dictae genitricis tue regine Ungarie teneretur, dilecto filio nostro Bertrando,

a) omis par Bal. — b) iste, Bal. — c) et, Bal. — d) hujusmodi, Bal. — e) adhiberi, Bal.

1. D'après le registre Vatican 139, ep. 1154. Baluze s'est servi du ms. latin précité.

tituli Sancti Marci presbitero cardinali, quem ad regnum predictum cum plene legationis officio providimus destinandum, mandabimus quod ipse interponere studeat efficaciter super hiis partes suas. Verum super administratione regni predicti, quam tibi ac germano et genitrici tuis petiisti concedi, non possumus presentialiter respondere, quod, sicut alias serenitati tue scripsisse [694] meminimus¹, dicta regina Johanna, cui dictum regnum ex successione pervenit, eodem privata per viam justitie non existit. Quamobrem absque juris injuria nequit amoveri ab administratione illius. Sed dictus legatus ad faciendum et fieri procurandum justitiam super nece crudelissima dicti regis et aliis commissis maleficiis circa eam providendumque super salubri et utili regimine dicti regni est ad partes illas Deo duce in proximo prefecturus, et que agi per ipsum circa premissa contigerit eidem tue celsitudini curabimus, prout opportunum extiterit et expedire videbimus, intimare, volentes te, fili dilectissime, tenere pro certo quod post ejusdem Andree regis (*a*) obitum dicte Johanne nullam licentiam vel dispensationem super contrahendo matrimonio cum aliquo concessimus nec concedere intendimus sine magna deliberatione provida et matura. Et si forsitan tuis aut germani vel genitricis tuorum preditorum auribus quicunque contrarium satagerent verbo vel litteris inculcare, sicut aliqui falsi homines falsas litteras sub nomine dicte Johanne regine fabricatas in aliquibus partibus Lombardie nitebantur facere hiis diebus, nullatenus adhibeatis tu et ipsi, quesumus, credulas aures vestras. Datum Avenione, iij nonas maii, anno quarto (*b*).

CXXXVII

BULLA² CLEMENTIS VI QUA DISPENSAT CUM GUILLELMO DE AGRI-
FOLIO, QUI POSTEA FUIT CARDINALIS, UT «non obstante minori estate
possit episcopari. Et erat de genere principali.» ITA HABETUR IN
TITULO ISTIUS EPISTOLAE. — Avignon, 7 janvier 1347.

Dilecto filio magistro Guillelmo de Agrifolio, camerario monasterii Crassensis, ordinis Sancti Benedicti, Carcassonensis dyocesis, notario nostro. Apostolice Sedis circumspecta benignitas personas venustate

a) regis Andree, Bal. — b) Avenione... quarto, omis par Bal. et le ms. latin.

1. Voir Rinaldi, *ad an. 1346*, § 53; *1347*, § 12 et *1348*, § 5. — 2. D'après le registre Vatican 140, fol. 199 v^o, ep. 879. Baluze s'est servi du ms. latin 4124 (Bibliothèque nationale de Paris).

morum perspicuas, quibus talenta scientie ad erudiendum [695] gremium dominicum bonorum omnium distributor concessit, prerogativa favoris attollere consuevit et circa eas interdum juris rigorem per dispensationis gratiam, sicut in Deo expedire conspicit, mitigare. Hinc est quod nos personam tuam, quam dote scientie, discretionis et probitatis maturitate, aliisque virtutum multiplicium meritis familiariter nobis notis decoravit largitor omnium gratiarum, volentes prosequi gratiose, tecum, qui in vicesimo octavo etatis tue anno vel circiter constitutus existis, ut defectu etatis hujusmodi ac generalis concilii et aliis quibuscumque constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus ad episcopales et archiepiscopales aliasque quascumque dignitates ecclesiasticas eligi canonice, assumi seu promoveri, aut transferri totiens quotiens casus super hiis emerserit licite valeas auctoritate apostolica et ex certa scientia de speciali gratia dispensamus. Nulli ergo, etc. Datum Avinione, viij ydus januarii, anno quinto (a).

CXXXVIII

LITTERAE¹ JOANNIS DUCIS NORMANNIAE PRO MONASTERIO SANCTIMONIALIUM CARTUSIENSIMUM TOLOSAE. — Aiguillon-en-Agenais, juin 1346.

Jehan ainsné fils et lieutenant du roy de France, duc de Normandie et de Guienne, conte de Poitou, d'Anjou et du Maine. Savoir faisons à tous presens et à venir que les religieuses, abbesse et convent de Saint Saturnin de Toulouse, de l'ordre de Chartreuse, nous ont supplié humblement que comme pour la sustentation de leurs pouvres vies il aient ja pieça aquis certaines pocessions qui pevent valoir de rente par an, si comme on dit, cinquante livres tournois ou environ tant seulement, lesquelle ne sont enquores amorties, que sur ce leur veullions eslargin nostre grace, nous inclinans à leur supplication, afin que le service divin soit [696] mieux et plus devotement fait et célébré en leurdite eglise, et que nostre treschier seigneur et pere, nostre tres chiere dame et mere, nous, nostre tres chiere et amée compaigne la duchesse, et nos tres chiers enfans soions en leurs devotes prières et oraisons accueillis et participans, à icelles religieuses du povoir et

a) Avinione... quinto, omis par Bal. et le ms. latin.

1. Ex veteri regesto senescalliae Tolosanae inscripto B; *Bal.*; pièce non retrouvée.

auctorité à nous donnez en ceste partie par nostredit seigneur et pere, de certaine science et de grace especiale avons octroyé et octroions par la teneur de ces presentes que elles leursdites pocessions acquises jusques à la valeur dessusdite tant seulement, sans sié aiant jurisdiction, puissent tenir, avoir, et posseder à tousjours perpetuellement, sens ce que par nostredit seigneur ou ses successeurs roys de France elles ne leurs successeurs seront tenuës au temps à venir à mettre leursdites pocessions hors de leurs mains. Et voulons que ces presentes aient tel effect et vertu que se elles estoient passées et signées par la Chambre des Comptes de nostredit seigneur et de nous à Paris. Et que ce soit ferme chouse et stable à tous jours, nous avons fait metre le seel de nostre secret en l'absence du grant à ces presentes. Sauf le droict de nostredit seigneur en autres chouses, et l'autrui en toutes. Donné en nos tentes devant Agulhon, l'an de grace MCCCXLVI ou mois de juing.

CXXXIX

LITTERAE ¹JOANNIS, COMITIS ARMANIACENSIS, PRO DURANDO, EPISCOPO CONSERANENSI. — Toulouse, 16 octobre 1346.

Johannes Armaniaci et Fesensiaci comes, vicecomes Leomanie et Altivillaris, ac locum tenens dominorum nostrorum regis Francie ejusque primogeniti ducis Normandie et Aquitanie, seneschallo Tholose vel ejus locum tenenti ceterisque justiciariis regis ad quos presentes littere pervenerint sa[697]lutem. Cum reverendus pater dominus Durandus, episcopus Conseranensis, ratione temporalitatis dicti episcopatus teneatur homagium seu sacramentum fidelitatis facere seneschallo Tholose nomine domini nostri regis, dictusque episcopus sit consanguineus germanus domini nostri summi pontificis ac sibi assistens in curia Romana, propter quod de presenti commode pro illo prestando non potest hinc ad festum natalis Domini instans tempus dicti homagii faciendi et juramenti prestandi facere teneretur, nos attentes premissa, de gratia speciali dictum tempus faciendi homagium seu prestandi juramentum per unum annum a festo natalis Domini proxime venturum sibi prorogamus, et ex nostra scientia per presentes mandamus vobis et cuilibet vestrum ne ipsum pro predictis

1. Ex eodem regesto; *Bal.*; pièce non retrouvée.

citram dictum tempus compellatis nec compelli per alios permittatis.
Datum Tholose sub nostro sigillo parvo, magno absente, die xvi
octobris anno Domini MCCCXLVI.

CXL

CLEMENTIS VI BULLA¹ QUA PETRUM DE JUDICIA, ARCHIEPISCOPUM
CAESARAUGUSTANUM, TRANSFERT AD ECCLESIAM NARBONENSEM. —
Avignon, 10 janvier 1347.

*Clemens, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Petro,
olim archiepiscopo Cesaraugustanensi, in archiepiscopum Narbonen-
sem electo, salutem et apostolicam benedictionem. Romani pontificis,
quem pastor ille celestis et episcopus animarum potestatis sibi plen-
itudine tradita ecclesiis pretulit universis, plena vigiliis solicitude
requirit ut circa cuiuslibet statum ecclesie sic vigilanter excogitet
sicque prospiciat diligenter quod per ejus providentiam circumspect-
tam, nunc per simplicis provisionis officium, nunc vero per ministerium
translationis accommode, prout [698] locorum et temporum qualitas
exigit, ecclesiis singulis pastor accedat ydoneus et rector providus
deputetur, qui populum sibi commissum per suam circumspectionem
providam et providentiam circumspectam salubriter dirigat et infor-
met, et bona ecclesie sibi commisso non solum gubernet utiliter, sed
etiam multimodis efferat incrementis. Nuper siquidem ecclesia Nar-
bonensi per obitum bone memorie Gasberti archiepiscopi Narbo-
nensis, qui apud Sedem apostolicam diem clausit extremum, pas-
toris solatio destituta, nos ad provisionem ipsius ecclesie, ne ex vaca-
tione diutina posset incurtere detrimenta, solicitis studiis intendentibus,
cum nullus preter nos hac vice de provisione ipsius ecclesie Narbo-
nensis se intromittere possit pro eo quod nos diu ante vacationem
hujusmodi provisiones omnium ecclesiarum archiepiscopalium et
episcopalium tunc apud dictam Sedem quomodocumque vacantium
et in antea vacaturarum dispositioni et ordinationi nostre specialiter
reservantes decrevimus ex tunc irritum et inane si secus super hiis
per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contin-
geret attemptari, post deliberationem quam de preficiendo eidem
Narbonensi ecclesie personam utilem ac etiam fructuosam habuimus
cum nostris fratribus diligentem, demum ad te tunc Cesaraugus-*

1. D'après le registre Vatican 177, ep. 42. Ex authentico, *Bal.*

tanensem archiepiscopum, grandium et multiplicium virtutum meritis insignitum, et in executione pontificalis officii jam expertum, direximus oculos nostre mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, te a vinculo quo Cesaraugstanensi ecclesie, cui tunc preeras, tenebaris de predictorum fratrum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, te ad predictam Narbonensem ecclesiam transferimus, preficiendo te illi in archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi licentiam concedendo ad dictam [699]Narbonensem ecclesiam transeundi, in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod eadem Narbonensis ecclesia sub tuo felici regimine, gratia tibi favente divina, salubriter et prospere dirigetur ac salubria suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus impositum tibi onus a Domino devote suscipiens, sic ipsius ecclesie Narbonensis regimen solicite studeas exercere, gregem dominicum in ea tibi creditum doctrina verbi et operis informando, quod eadem Narbonensis ecclesia per tue circumspectionis studium votivis jugiter proficiat commodis et successibus prosperis augeatur, tuque proinde divinam et apostolice Sedis ac nostram benedictionem et gratiam uberioris consequi merearis. Datum Avinioni iv ydus januarii, pontificatus nostri anno quinto.

CXLI

LITTERAE¹ PHILIPPI VI, REGIS FRANCORUM, DE MACHLINIA. —
Saint-Quentin, 5 juin 1347.

Philippe par la grace de Dieu roys de France. Savoir faisons que comme nostre tres-chier et feal cousin Loys, contes de Flandres, de Nevers et de Rethel de nostre volonté et de nostre requeste doie transporter à nostre chier cousin Henry, ainé fil de nostre tres-chier cousin le duc de Braibant pour certaines causes tructiées et accordées entre nous et ledit duc, et parmi certaine recompensation que nous en devons faire au conte nostredit cousin, tout le droit, action, possession et propriété, et quelcunques autres choses que ledit conte a ou peut avoir en la ville de Machlines et és appartenances pour cause de l'achat et acqués que nostre tres chier et feal cousin Loys, jadis conte de Flandres, pere dou conte nostre cousin dessusdit, fist d'icelle à

1. Ex authentico; *Bal.*; non retrouvé; voir Meyer, an. 1347.

l'evesque et chapitle du Liege et à damoisele Margherite, fille du conte de Ghelre, desqueles [700] ville et appartenances il avoit fait hommage ou temps que il vivoit à l'evesque du Liege de tant comme à lui appartenoit, et promis sus certainnes peinnes, seremens, submissions, et obligations pour soy ou ses successeurs contes de Flandres que il ne translateroit ou transporteroit ladite ville de Machlines que elle ne feust de tous jours mais encorporée en la conté de Flandres, et aussi successivement devoient faire ses hoirs contes de Flandres, avons promis et promettons loiaument et en bonne foy au conte de Flandres nostredit cousin lui garder de damage envers lesdits evesque, chapitle et eglise du Liege et le faire delivrer et ses hoirs et successeurs contes de Flandres et avoir pleinne quittance à nos coux et à nos frais de toutes submissions, seremens, et obligations, quelcunques elles soient, par lesqueles ou quels ledit conte ou ses successeurs eussent esté, seroient, ou porroient estre obligiez és peinnes quelcunques personnelles ou reeles que pour cause du transport dessusdit ou occasion d'icelui ledit conte aroit encouru, encourroit, ou porroit encourir par le temps avenir envers les dessusdis evesque, chapitle et eglise du Liege et envers tous autres, et lui rendre tous frais, coux et tous damages que pour defaute ou delay de la garandie et acquittement et accomplir et de non venir à l'encontre par nous ou par autrui en maniere que ce soit ou temps avenir, nous obligeons nous, nos hoirs et successeurs roys de France, nos biens et les biens de nosdis hoirs quelcunques. En tesmoing de ce nous avons fait mettre nostre seel à ces presentes lettres. Donné à Saint Quentin en Vermandoys, le cinquiesme jour de juing, l'an de grace mil CCCquarante-sept.

CXLII

[701] CLEMENTIS VI EPISTOLA¹ AD PHILIPPUM VI, REGEM FRANCORUM,
DE BONIS ECCLESIASTICIS AD MANUM REGIAM RECEPTIS. — Avignon,
2 avril 1347.

Carissimo in Christo filio Philippo² regi Francorum illustri.
Super eo (*a*) quod de tua, fili carissime, curia regia quasdam litteras
de recipiendis ad manum tuam, occupandis, et contractandis bonis,

a) Super eo, omis par Bal.

1. D'après le registre Vatican 140, fol. 252 r°, ep. 1107. Baluze s'est servi du ms. latin 4124 (Bibliothèque nationale de Paris). — 2. Voir Rinaldi, *Annales ecclesiastici ad annum 1347*, § 24.

decimis, et proventibus ecclesiasticis in regno tuo consistentibus illorum prelatorum et personarum ecclesiasticarum que, die tertia decima februarii proximo preteriti, in regno non erant presentes eodem, cum stupore ac (*a*) admiratione magnis (*b*) dolenter et dispercenter audivimus emanasse, extimantes probabiliter (*c*) quod si ea que continentur in eisdem litteris advertisset tua excellentia diligenter, ipse littere minime processissent; presertim cum ex contentis in eis divina majestas offendatur graviter et vehementer ipsius indignatio provocetur, libertas ecclesiastica periculose ledatur, non modicum honori et statui sancte romane ac totius universalis Ecclesie derogetur nimium, tuisque saluti et nomini quamplurimum detrahatur; et nichilominus verisimiliter arbitrantes quod illi qui tibi suaserunt talia, si tue salutis et status prosperitatem zelarent et diligerent, quod tamen litterarum ipsarum series indicare prima facie non (*d*) videtur (*e*), earum tenorem ac continentiam ponderassent prudenter, te ad attemptanda (*f*) talia nullatenus induxissent. Nos igitur ex magne dilectionis affectu quo te, fili dilectissime, ac statum et regnum tuum prosecuti fuimus hactenus et prosequimur incessanter, te caritativis et paternis monitis et exhortationibus salubribus ut a tam nocivis seminibus antequam in perniciosiorem cohalescant (*g*) segetem, manus tuas retrahas providimus inducendum. Ideoque venerabiles fratres nostros Pastorem, archiepiscopum Ebredunensem, et Guil[702]lelmum, episcopum Carnotensem, apostolice Sedis nuncios, viros utique profunditate scientie predictos, probitatis et maturitatis venustate conspicuos, tuique honoris et commodi, velut oriundos de regno tuo predicto, zelatores sinceros, super predictis omnibus instructos et informatos plenius, ad te tuamque presentiam, de fratribus nostrorum consilio, providimus fiducialiter destinandos, tuam regiam celsitudinem rogantes et hortantes attentius, tibi, fili amantissime, sano paternoque consilio suadendo, quatinus ipsos nuncios super explicandis per eos circa premissa ex parte nostra plene, patienter et benigne audias, eisque fidem adhibeas credulam in hac parte, tandemque per te intellectis plenius explicandis per ipsos, et sicut honori Dei et Ecclesie sancte sue ac tuo congruit ad exauditionem favorablem effectualiter introductis, ipsos celeriter ad nos remittat tua regalis sublimitas favorabiliter expeditos. Datum Avinione, IIII nonas aprilis, anno quinto (*h*).

a) et, Bal. — b) omis par Bal. — c) probabiliter existimantes, Bal. — d) omis par Bal. — e) videbatur, Bal. — f) attentata, Bal. — g) valescant, Bal. — h) Avinione... quinto, omis par Bal. et le ms. latin.

CXLIII

EJUSDEM PAPAE EPISTOLA¹ AD FULCONEM DE CHANACO, EPISCOPUM
PARISIENSEM. DE EADEM RE. — Avignon, 2 avril 1347.

Venerabili fratri Fulconi, episcopo Parisiensi. Non sine magne admirationis et turbationis materia intellectis contentis in quibusdam litteris que contra Deum et libertatem ecclesiasticam multorumque perniciem et injuriam a curia carissimi in Christo filii nostri Philippi, regis Francie illustris, nescimus quorum minus providis consiliis hiis diebus preteritis emanarunt (*a*), nos, qui salutem et status prosperitatem regis predicti dilectione sincera et caritate paterna zelamus, super tam gravibus novitatibus tacti dolore cordis intrinsecus, ad ipsum regem penitus retrahendum a talibus venerabiles fratres nostros Pastorem, archiepiscopum Ebredunensem, et Guillelmum, episcopum Car[703]notensem, apostolice Sedis nuncios, ad ejusdem regis presentiam proptere[*a*] destinamus. Ideoque fraternitatem tuam rogamus et hortamur quatinus prefatis nunciis super hiis que circa premissa tibi ex parte nostra explicare curaverint fidem adhibe[*a*]s credulam, eis consiliis, auxiliis, et favoribus oportunis assistas, et erga regem ipsum ut a predictis deviis se totaliter retrahat interponas, sicut (*b*) commodius et utilius poteris, partes tuas. Datum Avinione *mij* nonas aprilis, anno quinto (*c*).

CXLIV

EJUSDEM PAPAE EPISTOLA¹ AD FIRMINUM DE COQUERELLO DECANUM
ECCLESIAE PARISIENSIS. DE EADEM RE. — Avignon, 13 avril 1347.

Dilecto filio magistro Firmino de Coquerello, decano ecclesie Parisiensis, carissimi in Christo filii nostri Philippi, regis Francie illustris, consiliario. Fidelem et solerter diligitiam quam circa ea que super

a) evenerunt, Bal. — b) sicuti, Bal. — c) Avinione... quinto, passage omis par Bal. et le m. latin.

1. D'après le registre Vatican 140, fol. 252 v^o, ep. 1108. Baluze s'est servi du ms. latin 4124 précité. — 2. D'après le registre Vatican 140, fol. 255 r^o, ep. 1138. Baluze s'est servi du ms. latin précité.

revocatione illarum novitatum que attemptate per litteras carissimi in Christo filii nostri Philippi, regis Francie illustris, hiis diebus preteritis fuerant, tue prudentie imposuimus adhibere sedulis curasti studiis nobis et nostris fratribus (*a*) multum gratam multipliciter in Domino commendamus, acceptum habentes etiam (*b*) nos et fratres ipsi (*c*) admodum quia sic celeriter post adventum tuum ad ejusdem regis presentiam illos qui tibi circa premissa moliebantur detrahere mendaces per facti evidentiam reddidisti. Ceterum tuis receptis litteris ea que facta erant super revocatione predicta describentibus, et subjungentibus nichilominus quod cum carissima in Christo filia nostra Johanna, regina Francie illustri, super integra et perfecta novitatum revocatione predictarum, sicut nobis scripsit, etiam laborare intendat, videremus si erat expediens expectare quid super hiis fieret, antequam aliquem vel aliquos, etiamsi essent in itinere, mitteremus, nos habita cum eis[704]dem fratribus deliberatione matura (*d*) pro meliori credimus expedire quod venerabiles fratres nostri Pastor, archieписcopus Ebredunensis, et Guillelmus, episcopus Carnotensis, quos ad regem prefatum ordinaveramus de consilio dictorum fratrum mittendos, quique jam in itinere per multas (*e*) dies processerant, illud prosequi non desistant; presertim cum litteras nostras non deferant asperas, sed caritativas preces et exhortationes continentis dumtaxat. Et nichilominus nos, tuis et ejusdem regine receptis litteris, eis mandavimus quod primo tecum in aliquo loco convenienti loquantur et sciant statum negotii, a (*f*) teque directionem et consilium habeant quo modo expedito vel non expedito totaliter et perfecte negotio pro quo vadunt ad presentiam regis et regine predicatorum accedere habeant et se gerere in premissis. Ideoque discretionem tuam, de qua fiducialiter et plene confidimus, exhortamur quatinus ad ipsos nuncios in loco, si commode fieri poterit, aliqualiter ab illo in quo fuerint rex et regina predicti remoto accedas, habiturus super predictis cum eis familiare colloquium et tractatum, sciturus quod super processibus contra regem Anglie faciendis, de quibus prefata (*g*) regina hiis diebus preteritis nobis scripsit, amore pacis, quam desideravimus et desideramus ferventer, et ne tractatus impediretur ipsius per cardinales nuncios, sicut ipsi nobis scripserunt, cessatum extitit usque modo. Sed nunc aliquos (*h*) ordinari de novo

a) fratribus nostris, Bal. — *b) etiam habentes, Bal.* — *c) omis par Bal.*
— d) omis par Bal. — *e) multos, Bal.* — *f) ad, Bal.* — *g) predicta, Bal.* — *h) omis par Bal.*

fecimus diligenter, et cum ordinati breviter fuerint, illorum copiam regine mittemus predicte, ipsosque faciemus absque cunctatione qualibet, nichil expectando ulterius, expediri. Datum [Avinioni, ydibus aprilis, pontificatus nostri anno quinto (*a*)].

CXLV

[705] EJUSDEM EPISTOLA¹ AD CARDINALES NUNCIOS. DE EODEM NEGOTIO. — Avignon, 28 avril 1347.

Venerabili fratri Anibaldo, episcopo Tusculano, et dilecto filio Stephano, tituli Sanctorum Johannis et Pauli presbitero cardinali, apostolice Sedis nunciis. Dudum carissimi in Christo filii nostri Edwardi, regis Anglie illustris, receptis litteris continentibus in effectu quod, quia regnum suum Anglie tempore suo fuerat et adhuc erat guerrarum turbinibus lacessitum et subjectum, ex[h]austo erario regis, ut eodem subjungebant littere, multis oneribus importabilium expensarum, idem rex fructus beneficiorum ecclesiasticorum que per quascumque personas alienigenas in regno tenebantur predicto recipiendos in manu sua ex causa crediti et pro defensione dicti regni, deductis tamen beneficiorum ipsorum oneribus, ordinaverat expendendos, et per nos nichilominus intellecto quod ipse rex ad hec utique dampnanda et illicita, divino et humano juri ac statutis sanctorum patrum et catholicorum principum contraria exequenda procedens, beneficiorum ecclesiasticorum in predicto regno consistentium, que non solum per diversas personas tam apud Sedem apostolicam quam alibi ex causis justis et rationabilibus commorantes, sed etiam per aliquos ex fratribus nostris sancte romane Ecclesie cardinalibus tenebantur, fructus, redditus, et proventus capi fecerat, et juxta suam ordinationem seu deordinationem potius hujusmodi retineri, nos regem eumdem ab hiis tam perniciosis, divinam majestatem (*b*) graviter offendentibus, et enormiter ledentibus ecclesiasticam libertatem, ipsius regis saluti, honori, et fame non parum obviis, retrahere pa-

a) Datum ut supra, reg., *c'est-à-dire comme la bulle transcrise au folio 254 r°, sous le n. MCXXXVI. — b) tam, ajouté par Baluze.*

1. D'après le registre Vatican 140, fol. 255 v°, ep. 1139. Baluze s'est servi du ms. latin 4124 (Bibliothèque nationale de Paris).

ternis et caritativis monitis ac salubribus inductionibus cupientes, litteras nostras inde sibi direximus, quas per [706] vos eidem voluimus et mandavimus presentari. Et licet vos litteras ipsas ex eo presentare distuleritis, sicut vestris nobis litteris intimastis, quia tractatum pacis inter ipsum regem et carissimum in Christo filium nostrum Philip-pum, regem Francie illustrem, per nos sollicitudini vestre commissum exinde timebatis (*a*) posse turbari vel etiam impediri, nosque diutius dissimulando expectaverimus quod ipse ad cor rediens, nostrisque monitis hujusmodi salutaribus acquiescens, novitates predictas perniciosas et pestiferas revocaret, ex eisdem tamen monitis, expectatione ac (*b*) dissimulatione predictis nullum fructum vel commodum percepimus prodiisse, quin potius, pro dolor, ex perniciose exemplo hujusmodi prefatum regem Francie ad novitates alias dampnandas et execrandas super captione ac retentione fructuum et bonorum beneficiorum ecclesiasticorum in regno suo consistentium, que per quascumque personas tunc a regno absentes predicto tenentur, minus provida deliberatione consilii, quod dolentes referimus, prosilisse, quosdam alios principes ad similia, quod avertat Dominus, inclinari. Quamobrem de fratrum nostrorum concordi et maturo consilio per vos procedi volumus isto modo. Videlicet quod tu, frater Anibalde episcope, cum litteris nostris de credentia caritativis eidem regi Anglie ac aliis quibusdam existentibus juxta ipsum directis, quarum seriē cedula presentibus interclusa continet, ad ipsius regis presentiam te conferens, ipsum ad revocandas novitates predictas ab ipso, ut premittitur, attemptatas inducere viis et modis quibus melius et utilius juxta concessam tibi a Domino prudentiam poteris, non postponas, cum hoc etiam i[m]iscendo (*c*), prout expedire videris et tibi Dominus ministraverit, super tractatu pacis predice mutue utilia verba tua. Deinde vero juxta illa que tibi rex prefatus responderit et ab ipso super predictis obtinere potueris, inter vos deliberationis consilium habeatis; ut si forsan, [707] quod absit, rex predictus revocare noluerit novitates easdem, tam litteras predictas dudum, ut premittitur, vobis missas regi presentandas eidem quam alias quas de novo etiam dirigimus, et vobis cum aliis primis (*d*) predictis dupplicatis (*e*) mittimus sub tenore, quem cedula interclusa presentibus (*f*) continet, memorato regi, si tutus ad eum accessus pateat, modis omnibus presentetis seu faciatis ut commodius fieri poterit

a) tenebatis, Bal. — b) et, Bal. — c) miscendo, Bal. — d) previis, Bal. — e) omis par Bal. — f) presentibus interclusa, Bal.

presentari. Rursus intellectis contentis in litteris dicti regis Anglie per vos nobis missis, tam illarum quam aliarum nostrarum dudum transmissarum eidem vobis copiam hic inclusam mittimus, ut videre possitis si ejus responsio congruenter nostris exhortationibus correspondet. Verum, cum carissima in Christo filia nostra Johanna, regina Francie illustris, nobis per suas litteras intimarit quod, ea instantे apud prefatum regem Francie, virum suum, pro revocatione novitatum, ut premissum est, attemptatarum contra libertatem ecclesiasticam per eumdem, ipse quoad cardinales predictos ac nostros et suos familiares et obsequentes revocavit, dictaque regina pro totali et integra revocatione adhuc instare per litteras obtulerit antedictas, nos attendentes quod revocatio jam, ut premittitur, facta per regem memoratum non sufficeret quoad immunitatē libertatis predice, quam super omnia cupimus observari, venerabilibus fratribus nostris Pastori, archiepiscopo Ebredunensi, et Guillelmo, episcopo Carnotensi, qui ad regis ipsius presentiam, antequam revocationem audi-remus hujusmodi, per nos missi jam multis elapsis diebus arripuerant, recedendo de curia, iter suum, mandavimus ut, si non esset obtenta quoad rem et modum plena revocatio supradicta, pro illa instent penes reginam predictam; et si per eam obtineri forsitan non valeret, presentent monitorias et hortatorias quas deferunt litteras dicto regi; si vero non possent super hoc proficere apud eum, hoc nobis significare procurent. Quo ca[708]su volumus quod tu, fili Stephane cardinalis, mox cum litteris caritativis et exhortatoriis (*a*) de credentialia, quas nos eidem regi et quibusdam aliis sibi assistentibus mittimus, continentie quam tibi manifestabit plenius cedula hic inclusa, te conferre non differas ad presentiam dicti regis, cum rationibus efficacibus, ac monitis, inductionibus, et exhortationibus salubribus, sicut tibi ministraverit Dominus, ad plenam et perfectam revocationem hujusmodi, sicut premissum est, inducturus (*b*); cui etiam de predicte pacis tractatu facere poteris, prout tibi occurrerit et expedire agnoveris, mentionem. Ubi autem rex idem revocationem plenariam, ut dictum est, facere, quod nullo modo credere possumus, recusaret, id prefatis archiepiscopo et episcopo interim expectantibus indices et exponas; quia ipsi sciunt quid exinde juxta ea que sibi scripsimus sint acturi. Porro premissis expeditis et intellectis, per nostras vobis destinandas litteras, que circa premissa et alia que tangunt commissa vobis negotia gesta fuerint, statuque negotiorum

a) hortatoriis, *Bal.* — *b)* inducens, *Bal.*

attento, super vestro regressu ad curiam intendimus celeriter ordinare. Datum Avinioni, iiiij kalendas maii (*a*), pontificatus nostri anno quinto.

CXLVI

EJUSDEM EPISTOLA¹ AD EDUARDUM III REGEM ANGLIAE, UT REVOCET NOVITATES ATTENTATAS IN REGNO SUO. — Avignon, 28 avril 1347.

Carissimo in Christo filio Eduardo, regi Anglie illustri. Non sine displicentia magna intellectis dudum illis perniciosis novitatibus, quas super retinendis fructibus beneficiorum ecclesiasticorum in regno tuo consistentium, que per personas alienigenas tenentur ibidem et pro defensione regni, ut asseris, expendendis predicti te, fili carissime, attemptasse nobis per tuas litteras intimasti, super revocatione illarum, in [709] quibus aliqui ex fratribus nostris sancte romane Ecclesie cardinalibus obtinentes in regno predicto beneficia et alii nostri officiales romane curie absentes ab eodem regno (*b*) causis justis et rationabilibus includuntur, te per nostras litteras caritativis et paternis monitis duximus exhortandum, ponendo ante oculos mentis tue quod novitates hujusmodi execrables et dampnande Deum et Sedem apostolicam offendunt graviter non indigne, libertatem ledunt ecclesiasticam, tuis saluti, honori, et fame non parum detrahunt, sanctorum patrum et catholicorum principum statutis evidenter obviant, aliisque dampnanda et perniciosa exempla transmittunt. Et quamvis ex hujusmodi salubribus monitis de radice caritatis paterne prodeuntibus fructum quem sperabamus et optabamus non audiverimus, pro dolor, prodiisse, quia tamen sancta mater Ecclesia, de filiorum suorum salute sollicita, eos revocasse a suis deviis magis per mansuetudinem quam rigorem letatur, nos adhuc exhortationes et monita hujusmodi affectu paterno iterare seu multiplicare instantius pro revocatione hujusmodi non cessamus; sciturus, fili dilectissime, quod cum novitates predice per nos et

a) idibus aprilis, date restituée par Baluze. — b) ex, ajouté par Bal.

1. D'après le registre Vatican 140, fol. 256 v^o, ep. 1140. Baluze s'est servi du manuscrit latin 4124 (Bibliothèque nationale de Paris).

Sedem apostolicam nullatenus valeant tolerari, si revocationem novitatum predictarum celeriter facere omittentes vel differres, quod absit, nos ulterius abstinere nequibimus quominus Ecclesiam, sponsam nostram, nobis commissam desuper et libertatem ecclesiasticam, quantum cum Deo poterimus, defendantes, urgente conscientia, et pastoralis officii debito suadente, prout rationis et juris equitas suaserit, super premissis de fratrum nostrorum consilio procedamus. [Datum Avinione, iii kalendas maii, anno quinto (a)].

CXLVII

[710] EJUSDEM EPISTOLA¹ AD PHILIPPUM VI, REGEM FRANCORUM,
UT REVOCET NOVITATES ATTENTATAS IN REGNO SUO. — Avignon,
2 mai 1347.

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri. Ingentis doloris acerbitate compungimur et amaris suspiriis anxiatur dum adversus Ecclesiam inde turbationis et molestationis materiam prodire conspicimus unde consolationis et defensionis oportune reperire auxilium sperabamus, et a prioribus turbationibus concutimur non indigne cum illi, apud quos sincera vigore devotio erga ipsam Ecclesiam retroactis temporibus consuevit, nunc ad ejus se vertunt opprobria et injurias, ipsam novis adinventis gravaminum generibus non sine multorum pernicie molestando. Plus quidem ledunt et gravant durius amicorum quam inimicorum offense, testante Domino per prophetam dicentem : *Si michi maledixisset inimicus meus, utique supporiassem; et si is qui me oderat magna locutus fuisset super me, abscondissem me forsitan ab eodem.* Sane, fili carissime, cum inter ceteros reges et principes fidei catholice zelatores non solum magnam, sed maximam, de te Ecclesia ipsa gereret fiduciam quod ad instar clare memorie progenitorum tuorum regum Francie, qui devotione ac fide clarissimi erga Deum et eamdem Ecclesiam prefulgentes ipsam consueverunt congruis honoribus prosequi et ab aliis defensare, ipsam

a) Datum ut supra, ms., c'est-à-dire comme au n. 1139.

1. D'après le registre Vatican 140, fol. 257 v°, cap. 1160. Baluze s'est servi du ms. latin 4124 (Bibliothèque nationale de Paris).

Ecclesiam, que tibi favores et auxilia non subtraxit in tuis necessitatibus, sicut nosti, in suis juribus et libertatibus confoveres, cum stupore vehementi tangente medullitus intima cordis nostri non sufficimus admirari quod, sicut habet infesta nimis fide dignorum assertio, et jam perniciosa rei evidentia manifestat, quedam tue littera, que de quorundam minus provido consilio processisse creduntur, emanarunt [711] de tua curia, inter cetera continentes te ordinasse auctoritate regia tuaque potentia, ut dictarum tuarum litterarum verbis utamur, quod omnium clericorum prelaturas, abbatias, prioratus, dignitates, curas et alia beneficia ecclesiastica obtinentium in regno tuo, cujuscumque status et conditionis existant, qui tempore date ipsarum litterarum tuarum in regno non erant presentes eodem, fructus, obventiones et recepte alie tam in grano quam decimis et aliis redditibus, proventibus et emolumentis quomodolibet consistentes in manu tua recipientur regia (*a*), ponantur, et leventur, distrahendi et dispendendi pro tue (*b*) libito voluntatis; quorum executionem per nonnullos tuos commissarios in hac parte in eisdem tuis deputatos litteris, sicut tibi placuit, fieri precepisti. Qui quidem tui commissarii bona mobilia, nedum prelatorum et personarum ecclesiasticarum etiam in romana curia tunc existentium, quin etiam venerabilium fratrum nostrorum sancte romane Ecclesie cardinalium, ac officialium et familiarium nostrorum, necnon fratrum hospitalis Sancti Johannis Jherosolimitani capiunt, dispergunt, rapiunt, occupant, distrahunt, et consumunt, ecclesias et loca ecclesiastica spoliant ac irreverenter et inhoneste pertractant, et nonnulla alia committere non verentur que redundant in gravem quinimmo intolerabilem injuriam, contumeliam, et jacturam nostram et apostolice Sedis ac (*c*) dictorum fratrum nostrorum et totius ecclesiastice libertatis. Profecto, fili dilectissime, premissa utique divino et humano juri contraria claritati devotionis, qua tu tuique progenitores prefulgere (*d*) studiis erga Deum et ipsam Ecclesiam hactenus congruere, pro dolor, non videntur. Et utinam tui consiliarii, qui te induxerunt ad ea, solerti diligentia maturius attendissent gravia pericula quibus talia facientes et in eis faciendis consilium vel favorem prestantes olim editi a sanctis patribus canones evidenter in [712] volvunt, et nichilominus considerassent attente si per reges Francie, progenitores tuos, talia vel similia in divine majestatis contumeliam redundantia ullis unquam temporibus adversus eamdem Ecclesiam

a) regia recipientur, *Bal.* — *b)* tuo, *reg.* — *c)* et, *Bal.* — *d)* fulgere, *Bal.*

et libertatem ecclesiasticam adinventa fuerint (*a*) vel etiam attemp-tata. Debuissent namque prefati consiliarii, si rationis haberent apertos oculos, perspexisse (*b*) quod romanus pontifex, pastor uni-versalis Ecclesie catholice, Christique in terris vicarius, ad quem ecclesiarum omnium plena noscitur dispositio pertinere, prelatos et personas ecclesiasticas de quibuscumque mundi partibus, in quibus catholice fidei cultus viget, ad se vocare potest et illos, de quibus sibi videbitur, apud Sedem apostolicam secumque tenere et nichilominus ad partes diversas mundi destinare, prout incumbentia negotia exi-gunt et expedire cognoscit, quodque cardinales ejusdem Ecclesie pro ipsius universali regimine habent eidem assistere pontifici, et ipse ad reddendum cunctis de universis christianitatis finibus ad Sedem eamdem recurrentibus justitiam officialibus sue romane curie aliisque personis sibi obsequentibus noscitur indigere. Nonnulli quoque prelati et ecclesiastice (*c*) persone (*d*) causis necessariis et legiti-mis in curia commorantur eadem, et quamplures ad veniendum et in ea residendum necessario sunt astricti. Suntque nichilominus prelati quidam quorum prelature extra regnum consistunt predictum, habentes redditus et proventus aliquos in regno eodem, infra quod partes suarum diocesum protenduntur; fratresque nonnulli hospitalis predicti commorantur pro defensione fidei catholice in transmarinis partibus, exponendo se et sua super hoc, prout ipsos ad id rigor sue religionis astringit. Et nichilominus considerare apertius debuissent (*e*) quod bona ecclesiarum ad ministrorum ipsarum et Christi pauperum sustentationem ac pios usus alios specialiter deputata (*f*) noscuntur, nec licet ea in usus converti alios, etiam propter communes, statutis con[713]ciliorum generalium etiam (*g*) prohibentibus, ipsius romani pontificis licentia non obtenta. Et quamquam ecclesiis ac prelatis et personis ecclesiasticis ut administrent jura et bona ecclesiastica jure suo competat, ipsis tamen eadem administratio per executionem litterarum subtrahitur predictarum. Ulterius ponderasse deberent maturius consiliarii antedicti quod actus tales perniciosi possent de facili trahi ab aliis in exemplum, suspicando sibi licere forsitan quod a tam catholico principe actum esset; cum tamen tanti culminis honestatem deceat sic gesta sua moderari consulte quod presentes et posteri fulgorem devotionis in eis clarius agnoscentes magis repe-

a) fuerunt, *Bal.* — *b)* prospexisse, *Bal.* — *c)* persone ecclesiastice, *Bal.* — *d)* ex, ajouté par *Bal.* — *e)* debuissent apertius, *Bal.* — *f)* destinata, *Bal.* — *g)* omis par *Bal.*

rire quod imitentur valeant quam detractorie reprehendant. Nempe credimus quod si hec et alia que Dei honorem et statum ejusdem matris Ecclesie tuamque salutem et famam concernunt in recte considerationis prefati consiliarii deduxissent examen, predictas litteras, in quibus non sine stupore inter cetera recitatur donationes bonorum per quoscumque pro divino [servitio] et salute animarum suarum sine permissione tua vel predecessorum tuorum regum Francie factas non valere, cuius contrarium evidenter sanctorum patrum et catholicorum principum statuta testantur, nequaquam consuluissent fieri, nec eas emanare a tua regali curia suassisent. Nonne ad eumdem romanum pontificem pro clericis et personis ecclesiasticis tuis et aliorum principum obsequiis neonon litterarum studiis et negotiis aliis insistentibus, ut eis insistendo fructus beneficiorum suorum ecclesiasticorum percipere valeant et habere, recurritur, ipseque prout sibi videtur expediens id eis indulgere de speciali gratia consuevit interdum? Numquid hoc ei (*a*) pro sibi obsequentibus magis licet, cum etiam insistentes suis obsequiis pro presentibus et residentibus in suis beneficiis habeantur de jure? Propterea tua, quesumus, serenitas regalis attendat et intra (*b*) secreta cordis diligent meditatione [714] revolvat, quod etiam prefati debebant consiliarii, si salubriter vellent in hac parte consulere, attendisse, cum qua fiducia ipsa Ecclesia (*c*) mater tua, cuius precibus et suffragiis egere semper nosceris, et persertim hiis temporibus, quibus tibi procellosi guerrarum turbines imminent, pro dolor, et insurgunt, pro te tuique status prosperitate ad sponsum suum Dominum Jhesum Christum, a quo est omnis virtus, Victoria, et fortitudo, qui per premissa graviter offenditur et vehementer proculdubio irritatur, levare poterit manus suas. Nec parum adjecit admirationi nostre hujusmodi non indigne quod nostris temporibus, qui te sincera et paterna dilectione prosecuti fuimus hactenus et prosequimur, nec in aliquo tibi defecimus quod per nos cum Deo fieri potuerit nostraque honestate servata, sic nove et alias inaudite novitatis et adinventionis gravis et odiosa materia extiterit adinventa. Vide igitur, carissime fili, et ex hiis et aliis rationibus et causis multiplicibus, quas causa brevitatis recitare quoad presens omittimus, considera et recogita diligenter ad que facienda in divine majestatis contumeliam, tue salutis anime periculum, ac honoris et nominis regii detrimentum qui predicta suaserunt tui te consiliarii deduxerunt. Sciebant namque vel scire debebant prefati

a) et, *Bal.* — *b)* omis par *Bal.* — *c)* etiam, *Bal.*

consiliarii quod laicis in clericos, res seu bona ecclesiastica nulla est attributa potestas, et quod ad decimas maxime, que spirituales et a Deo concesse sunt, de quibus in eisdem litteris tuis expressa fit mentio, manus extendere absque Dei offensa, lesionе predicte libertatis ecclesiastice, ac divini et humani juris injuria non valebas. Regalem itaque excellentiam rogamus et in Domino attentius exhortamur, teque nichilominus ex parte Dei omnipotentis et nostra requirimus et monemus quatinus premissa infra (*a*) claustra tui regii pectoris diligenter discutiens et revolvens predictas litteras et contenta in eis in tue salutis et fame [715] dispendium et alias grande, si tenor earum attendatur diligenter, periculum manifeste, ut prediximus, redundantia, et que inde secuta fuerint antequam in majorem perniciem proveniant, cessante quavis dilatione morosa, revocare ac facere penitus revocari procures, circa talia ulterius attemptanda consiliariorum talium persuasionibus et inductionibus utique perversis et periculosis nimium nullatenus acquiescens, faciatque tua sublimitas, nedum eisdem fratribus nostris ejusdem romane Ecclesie cardinalibus ac (*b*) officialibus et familiaribus nostris, sed etiam aliis prelatis et personis ecclesiasticis predictis, de bonis et rebus sic injuste ablatis et subtractis eisdem restitutionem integrum ac dampna exinde passis emendam plenariam exhiberi, ut placatus Altissimus super offensa hujusmodi tibi benignus appareat et sue propitiationis habundantiam largiatur, et Ecclesia (*c*) ipsa mater tua preces devotas protue salute anime tuique status prosperitate possit cum exauditionis confidentia porrigeret apud Deum, pro certo sciturus, fili amantissime, quod si hec, super quibus te benevolis affectibus inducimus per presentes, omitteres facere vel differres, quod absit, nos, quamvis cum displicentia magna et dolore cordis aliquo modo (*d*), non possemus omittere vel differre quominus eamdem Ecclesiam nostro desuper commissam regimini sic enormiter lesam in suis libertatibus et juribus et affectam contumeliis et opprobriis, quantum cum Deo et justitia fieri poterit, defendantes, super hiis de oportunis et justis provideamus remediis, prout nobis Altissimus ministraverit et viderimus expedire. Porro, quia optamus desiderabiliter supradicta que scribimus pro Dei honore ac ipsius Ecclesie juris et libertatis integritate tueque salutis et fame celebritate servandis ad effectum votivum et prosperum, quibusvis scandalis vitatis, deduci, pridem venerabiles fratres nostros Pastorem, archiepiscopum Ebredunensem, et Guillelmum

a) intra, Bal. — b) et, Bal. — c) etiam, Bal. — d) nostro, Bal.

episcopum [716] Carnotensem, nostros et apostolice Sedis nuncios, viros utique scientie profunditate (*a*) preditos, probitatis maturitate conspicuos, tuique honoris et commodi zelatores sinceros, super hiis plenius informatos, cum aliis nostris de credentia certi tenoris litteris providimus ad tue celsitudinis presentiam propterea destinandos. Et quoniam ex duris et perniciosis litterarum tuarum predictarum executionibus ac pauperum Christi, quibus hiis temporibus afflictis famis angustiis de bladis existentibus in ecclesiis et locis ecclesiasticis multorum prelatorum et personarum ecclesiasticarum predictorum largiebantur elemosine seu largiri disponebantur, lacrimosis clamoribus propter subtractionem elemosinarum hujusmodi lamentabiliter ad Dominum clamantium majora et periculosiora provenire dispendia formidamus, eamdem tuam celsitudinem attentius in Domino requirimus iteratis salubribus monitis et hortamur ut eisdem plene, patienter et benigne auditis nunciis, et (*b*) suprascriptis omnibus ac explicandis ab eis sano et pleno intellectu collectis, circumspectio regalis provida eos curet remittere ad nos celeriter et feliciter expeditos. Datum Avinione, vj nonas maii, anno quinto (*c*).

CXLVIII

EJUSDEM PAPAE EPISTOLA¹ AD NUNCIOS IN SUPERIORE EPISTOLA
COMMEMORATOS. — Avignon, 4 mai 1347.

*Venerabilibus fratribus Pastori, archiepiscopo Ebredunensi, et
Guillelmo, episcopo Carnotensi, apostolice Sedis nunciis.* Mittimus vobis litteram carissimo in Christo filio nostro Philippo, regi Francie illustri, directam super revocandis novitatibus contra libertatem ecclesiasticam attemptatis, per vos eidem, si, quando, et prout in instructione quam vobis inclusam in quibusdam aliis nostris litteris destinamus presentandam. Et ut non ignoretis tenorem ipsius, illum vobis cedula reserabit [717] plenius presentibus interclusa. Datum Avinione, iiiij nonas maii, anno quinto (*d*).

a) profunditate scientie, *Bal.* — *b)* ac, *Bal.* — *c)* Avinione... quinto, *omis par Bal. et le ms. latin.* — *d)* Avinione... quinto, *omis par Bal. et le ms. latin.*

1. D'après le registre Vatican 140, fol. 259 v^o, cap. 1161. Baluze s'est servi du ms. latin 4124 (Bibliothèque nationale de Paris).

CXLIX

EJUSDEM PAPAE EPISTOLA¹ AD QUOSDAM EPISCOPOS GALLIAE NARBONENSIS, DE BERNARDO, EPISCOPO AQUENSI, CONJECTO IN CARCEREM. — Avignon, 3 avril 1347.

Venerabilibus fratribus Agathensi et Biterrensi ac Magalonensi episcopis. Perduxit nuper rumor displicibilis et infestus ad nostri apostolatus auditum quod cum venerabilis frater noster Bernardus, episcopus Aquensis, pridem de partibus transmarinis, ad quas dudum pro visitandis sepulcro dominico et aliis oratoriis Terre Sancte de licentia Sedis apostolice peregre profectus fuerat, rediens per mare navigando, suumque iter prosequendo prope civitatem Agathensem transiret, quidam vocatus Johannes Berrerii et nonnulli alii perditionis et iniuritatis alumpni tam de civitate Agathensi predicta quam aliunde episcopo memorato familiaribusque suis meditatis insidiis et paratis, injicere manus impias et sacrilegas in Christum Domini non verentes, tam ipsum episcopum quam nonnullos suos familiares, quorum aliqui presbiteri et clerici existebant, violenter ceperunt et captivarunt, ac bona omnia que secum habebant vel deferebant more rapuerunt predonico et nequiter asportarunt, et annulo de manibus ejusdem episcopi violenter extracto, ipsoque episcopo vestibus suis usque ad tunicam vituperabiliter denudato, ejusque manibus irreverenter ligatis, ipsum neonon familiares predictos captos et ligatos per civitatem predictam in majorem ignominiam dignitatis pontificalis et ordinis clericalis ducentes publice in tuo, frater episcope Agathensis, palatio carcerali ergastulo manciparunt. Cum autem prefati Johannes et alii captivatores sacrilegi episcopi ac presbyterorum ac clericorum propter captivations et alia supradicta, si [718] veritas suffragetur relatibus, in penas per constitutionem editam in concilio Viennensi et alios canones adversus illos qui suadente dyabolo in tam detestabile sacrilegii genus prorumpunt quod quemvis pontificem injuriose vel temere capere seu bannire presumpserint, aut hoc fieri mandaverint, aut factum ab aliis ratum habuerint, vel in hiis socii fuerint facientis, aut consilium dederint vel favorem, seu scienter eos defensarint, et qui manus in ecclesiasticos et personas

1. D'après le registre Vatican 140, fol. 260 r^o, ep. 1164. Baluze s'est servi du ms. latin 4124 (Bibliothèque nationale de Paris).

ecclesiasticas violentas temere injiciunt, inflictas non sit dubium incurrisse, nos attendentes quod parum prodesset jura condere nisi esset qui tueretur et exequeretur eadem, fraternita*ti* vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos et quilibet vestrum in solidum qui fuerit super hoc requisitus per vos vel alium seu alios super premissis omnibus et singulis simpliciter et de plano sine strepitu judicii et figura diligenter et fideliter informantes adversus omnes et singulos quos patratores premissorum, aut consilium, auxilium vel favorem in eis perpetrandis dedisse repereritis, necnon locum seu loca in quo vel quibus prefatus episcopus captus detinetur vel detinebitur, per declarationem, executionem et exaggerationem penarum et sententiarum in constitutione et aliis canonibus contentarum predictis, prout delinquentium predictorum et singulorum ipsorum delicta et excessus exegerint, procedere solerter et fideliter studeatis, ab ipsis nullatenus desistendo quousque idem episcopus et familiares predicti pristine libertati restituti fuerint cum omnibus bonis suis eisdem, sicut prefertur, ablatis, et de predictis injuriis, violentiis et excessibus rationabiliter extiterit satisfactum, prelibatique captivatores sacrilegi a Sede apostolica meruerint absolutionis beneficium obtinere. Contradictores, etc. Datum Avinione, *n*on*as aprilis.* anno quinto (*a*).

CL

[719] EJUSDEM PAPAE EPISTOLA¹ AD PHILIPPUM VI, REGEM FRANCORUM, DE EODEM ARGUMENTO. — Avignon, 8 mai 1347.

Carissimo in Christo filio Philippo, regi Francie illustri. Regalis excellentie tue nuper recepimus litteras effectualiter inter cetera continentis quod cum aliqui de gentibus tuis casu fortuito unum episcopum et quemdam abbatem aliasque de familia ipsius episcopi Anglicos et Judeos de terris tuorum inimicorum existentes cepissent in mari, tuque velles eos ad tuam adduci presentiam, ut unde venirent et quid intenderent scire posses, et aliqui de regno tuo capti

a) Avinione... quinto, *omis par Bal. et le ms. latin.*

1. D'après le registre Vatican 140, fol. 286 r^o, ep. 1270. Baluze s'est servi du ms. latin 4124, précité.

per inimicos tuos recuperari valerent cum illis, nos instanter rogabas ut non commoveremur propter hoc nec te super liberatione requiremus aut requiri faceremus illorum, presertim cum per illos qui ceperunt eosdem informatus existeres quod ipsi nequaquam veniebant ad romanam curiam nec recedebant ab ipsa. Sane, fili carissime, tuam volumus celsitudinem non latere quod rumor perniciosus admodum et infestus hiis diebus preteritis perduxit ad nostri apostolatus auditum quod venerabilis frater noster Bernardus, episcopus Aquensis in Vasconia, de partibus transmarinis, ad quas dudum de licentia Sedis apostolice speciali pro visitatione sepulcri dominici et aliorum oratoriorum Terre Sancte causa devotionis profectus fuerat cum quibusdam familiaribus suis presbiteris et clericis, in habitu simplici rediens, et per mare suum iter prosequendo navigans prope civitatem Agathensem transiret, quidam ex gentibus tuis eumdem episcopum et familiares simpliciter, ut premittitur, incidentes ceperunt, eosque bonis suis omnibus, scilicet que secum habebant tunc temporis, spoliarunt, ac captivos viliter et ignominiose, maxime prefatum episcopum nudatum suis [720] vestibus honestis et decentibus, usque ad civitatem predictam duxerunt, ubi eos detinuerunt et detinent miserabiliter captivatos. Que quidem in divine majestatis offensam, lesionem libertatis ecclesiastice, dignitatis pontificalis derogationem, ac nostram et apostolice Sedis tanto majorem contumeliam quanto propinquius romane curie commissa sunt cedere dignoscuntur. Profecto, fili dilectissime, dictus episcopus, nepos bone memorie Guillelmi, episcopi Sabinensis, qui, ut nos in minoribus constituti olim missi tunc quandoque pro tuis negotiis ad romanam curiam probavimus, sincera dilectione tuum et regni tui promovebat libenter commodum et honorem, tuus et regni predicti, sicut pro firme credimus, non fuit nec est hostis, sed amicus potius, sequendo avunculi predicti vestigia, et devotus. Et hoc satis dudum ostendit, cum videns quod ipse, qui ecclesiam suam habet in terris emulorum tuorum, aliter ipsorum non poterat, sicut optabat, vitare consortium auxilia, et favores, nisi se de illis partibus absentando, se ad partes Cathalonie conferens, et ibidem per aliqua tempora moram trahens, deinde obtenta predicta licentia profectus, sicut premissum est, ultra mare extitit. Nec talis est idem episcopus quod cum ipso vel aliquo de familiaribus suis predictis, etiamsi esset licitum, posset de captivis aliquis homo notabilis, sicut pro certo credimus, rehабeri. Probabiliter siquidem existimamus quod si premissa fuissent tue celsitudini veraciter nunciata, nobis predictas litteras minime destinasset; quin

potius mandasset memoratum episcopum et familiares liberari predictos; maxime quia premissa non modica pericula secum trahunt, cum illi qui temere vel injuriose quemcumque pontificem percutiunt, capiunt vel banniant, seu hoc mandant fieri, vel facta per eos rata habent, aut socii sunt facientium, aut prestant consilium vel favorem, seu scienter defensant eosdem,[721] preter alias penas latas a canonibus, per concilium Viennense mucrone anathematis et aliis penis gravibus feriuntur. Rogamus itaque sublimitatem regiam et in Domino attentius exhortamur quatinus liberationem hujusmodi restitucionemque bonorum captorum mandet et jubeat fieri magnificientia regia, quavis morosa dilatione sublata; ut tibi, fili amantissime, nichil in premissis et circa ea nisi mansuetudinis benignitas possit quomodolibet imputari. Datum Avinione, viii ydus maii, anno quinto (a).

CLI

EJUSDEM PAPAE EPISTOLA¹ AD GUILLEMUM ANDREAE, EPISCOPUM
CASSINENSEM, DE MUNERE CANCELLARII SICILIAE IN EUM COLLATO. —
Avignon, 21 avril 1347.

Episcopo Cassinensi. Presentate nobis nuper tue fraternitatis littere continebant quod carissima in Christo filia nostra Johanna, regina Sicilie illustris, ob nostram reverentiam te cancellarium regni Sicilie providerat deputandum (b). Et hoc idem nobis regina ipsa per suas litteras intimavit, petens a nobis ut confirmare deputationem hujusmodi tibique mandare vellemus ut exercere officium cancellarie hujusmodi diligenter et fideliter procurares. Tu etiam, de beneplacito nostro, super hoc certior effici (c) humiliiter postulasti. Nos igitur, premissis diligentius intellectis, gratum habemus et acceptum admodum quod regina prefata te ob nostram reverentiam sic voluerit (d) honorare, quamquam deputationem predictam ex eo confirmare non valeamus decenter quia, sicut dixerunt nobis aliqui ex fratribus nostris sancte Ecclesie cardinalibus, officium

a) Avinione... quinto, *omis par Bal. et le ms. latin.* — b) destinandum, *Bal.* — c) effici certior, *Bal.* — d) voluit, *Bal.*

1. D'après le registre Vatican 140, fol. 271 r^o, ep. 1220. Baluze s'est servi du ms. latin 4124, précité.

cancellarie dicti regni est perpetuum, ita quod ab eo non consuevit cancellarius amoveri, quamdiu vivit, invitus. Super quo ab aliquibus regalibus domus Sicilie se asserunt litteras recepisse. Cumque venerabilis frater noster Philippus, episcopus Cavallicensis, dudum constitutus solempniter fuerit cancellarius dicti [722] regni, qui nostris et Ecclesie romane obsequiis ad presens pro reformanda pace inter dilectos filios nobiles viros Odonem, ducem Burgundie, ac Johannem de Cabilone et quosdam magnates alias illarum partium invicem dissidentes per nos destinatus insistit, non esset proculdubio honori et decentie nostris congruum, donec pleniorē informationē super predictis habuerimus, deputationem confirmare predictam. Verum tamen placet nobis quod interim absque prejudicio juris dicti episcopi, si ad ipsum officium cancellarie predice competit, illud sic prudenter et fideliter exequaris quod inde possit et debeat tua circumspectio merito commendari. [Datum Avinione, xj kalendas maii anno quinto (a)].

CLII

EJUSDEM PAPÆ CLEMENTIS EPISTOLA¹ AD JOANNAM, REGINAM SICILIAE,
DE EADEM RE. — Avignon, 21 avril 1347.

*Carissime in Christo filie Johanne, regine Sicilie illustri. Ex tua-
rum, filia carissima, perceperimus serie litterarum quod ob reverentiam
nostram venerabilem fratrem nostrum Guillelmum, episcopum Cassi-
nensem, nostrum et apostolicę Sedis in partibus [illis] nuncium, can-
cellarium regni tui (b) Sicilie provideras deputandum. Cum autem a
nobis per easdem litteras petieris ut deputationem hujusmodi gratam
habere illamque confirmare vellemus, nos ex relatu quorumdam ex
fratribus nostris sancte romane Ecclesie cardinalibus, qui super hoc
de illis partibus se recepisse litteras asserunt, intellecto quod officium
dictae cancellarie perpetuum reputatur, et quia venerabilis frater
noster Philippus, episcopus Cavallicensis, qui dudum solempniter*

a) Datum ut supra, *registre*, c'est-à-dire comme au n° 1219. Baluze et le ms. latin ont omis Avinione... quinto. — b) omis par Bal.

1. D'après le registre Vatican 140, fol. 271 v°, ep. 1121. Baluze s'est servi du ms. latin 4124, précité.

extit dicti regni cancellarius deputatus, nostris et Ecclesie romane obsequiis pro reformanda pace inter dilectos filios nobiles viros Odonem, ducem Burgundie, et Johannem de Cabilone ac nonnullos alios illarum par[723]tium dissidentes invicem per nos specialiter deputatus existit (*a*), non esset nobis decens proculdubio, donec informemur certius super hiis, deputationem confirmare predictam. Verum tamen tibi, filia dilectissima, quod ob reverentiam nostram fecisse in hac parte dignosceris (*b*) gratiarum referimus actiones, et placet nobis quod dictus episcopus Cassinensis interim (*c*), donec informationem pleniorem de ac super predictis habuerimus, dictum cancellarie officium absque prejudicio juris dicti episcopi Cavallicensis, si ad ipsum pertineat, exercere studeat fideliter et prudenter. [Datum Avinione, xj kalendas maii anno quinto (*d*).]

CLIII

EJUSDEM EPISTOLA¹ AD PHILIPPUM VI, REGEM FRANCORUM, PRO JACOBO, REGE MAJORICARUM. — Avignon, 22 août 1347.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francie illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Intelleximus, fili carissime, quod occasione novitatis per carissimum in Christo filium nostrum Jacobum, regem Majoricarum illustrem, in terris comitatus Rossilionis noviter facte villam et baronium Montispessulanum ad manum regiam poni et nichilominus contra regem ipsum ac subditos et servitores suos, qui ei super hoc astiterunt, procedi mandasti, speciali ad hoc commissario destinato. Quocirca serenitatem regiam attente rogamus quatinus miserabilem statum prefati regis pie considerans, et attendens quod si quam novitatem prefatus rex, ut recuperaret deperdita, velut in desperatione quodam modo positus attemptavit, videtur fore sibi tot involuto calamitatibus clementer et misericorditer ignoscendum, velit tua regia pietas erga regem ipsum divine retributionis intuitu ac nostre interventionis

a) insistit, Bal. — b) dignosceris in hac parte, Bal. — c) omis par Bal. — d) Datum ut supra, registre, c'est-à-dire comme au n° 1219. Baluze et le ms. latin ont omis Avinione... quinto.

1. D'après le registre Vatican 141, non folioté, ep. 263. *Ex authentico; Bal.*

obtentu gratiose agere ac omnem penam, si quam pro culpis preteritis meruit, ei benigne [724] remittere ac manum regiam a villa et baronia predictis, cum aliunde non habeat unde se ac filios, licet pauperes, regali tamen prosapia genitos, sustentare valeat, amovere. Datum Avinioni, xj kalendas septembbris, pontificatus nostri anno sexto.

CLIV

EJUSDEM EPISTOLA¹ AD JOANNAM, REGINAM FRANCORUM,
DE EADEM RE. — Avignon, 22 août 1347.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissime in Christo filie Johanne, regine Francie illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Intellecto nuper quod carissimus in Christo filius noster Philippus, rex Francie illustris, occasione novitatis facte per carissimum in Christo filium nostrum Jacobum, regem Majoricarum illustrem, in comitatu Rossilionis villam et baronium Montspessulanum ad manum regiam poni et nichilominus contra ipsum regem Majoricarum ac subditos et servitores suos, qui super hoc ei astiterant, procedi mandavit, speciali ad hoc commissario destinato, nos eumdem regem Francie per nostras litteras deprecamur ut prefato regi Majoricarum pie compatiens velit erga eum benigne agere ac omnem penam, si quam pro culpis preteritis meruerit, ei gratiose remittere ac manum regiam a villa et baronia predictis, cum aliunde prefatus rex Majoricarum non habeat unde se ac filios, licet pauperes, regali tamen prosapia genitos, sustentare valeat, amovere. Quocirca serenitatem tuam attente rogamus quatinus apud eumdem regem Francie quod nostris in hac parte precibus annuat pro nostra et apostolice Sedis reverentia interponas efficaciter partes tuas. Datum ut supra.

Clemens etc. venerabili fratri Petro, episcopo Claromontensi, salutem et apostolicam benedictionem. Intellecto nuper quod carissimus in Christo filius noster [725] etc. ut in epistola ad reginam usque Quocirca fraternalitatem tuam attente rogamus, etc., ut in eadem epistola. Datum ut supra.

In eumdem modum scriptum est *Hugoni, episcopo Laudunensi.* Datum ut supra.

1. D'après le registre Vatican 141, non folioté, ep. 264. Ex authentico; Bal.

CLV

EJUSDEM PAPAE CLEMENTIS BULLA¹, QUA CONFIRMAT FUNDATIONEM
DUODECIM CAPELLARIARUM IN ECCLESIA SANCTI FRONTONIS PETRA-
GORICENSES FUNDATARUM PER TALAYRANDUM CARDINALEM. —
Avignon, 12 novembre 1348.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriā. Ad divini cultus et religionis augmentum libenter intendimus, et pia studia devotorum, que circa id provide disponuntur, opportunis favoribus prosequentes, ut perpetuis maneant illibata temporibus, apostolice confirmationis presidio roboramus. Sane petitio dilecti filii nostri Talerandi, tituli Sancti Petri ad vincula presbiteri cardinalis, nobis nuper exhibita continebat quod ipse ad divini nominis laudem et gloriam ac beate Marie virginis matris ejus et subscriptorum aliorumque sanctorum honorem in ecclesia Sancti Frontonis Petragoricensis quamdam capellam fundari et construi fecit et in ea duodecim perpetuas capellanias propriis vocabulis insignitas instituit illosque sufficientibus redditibus pro duodecim perpetuis capellanis instituendis in eis virtutum Domino servituris dotavit de propriis bonis suis, ac nonnulla statuta et ordinationes pro bono statu capelle et capellanorum ipsorum edidit, et eis pro meliori observantia eorumdem quasdam penas etiam et muletas adjecit, prout in quodam instrumento publico inde confecto ipsius cardinalis sigillo munito, cuius tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare prefatus cardinalis nobis humiliter supplicavit ut fun[726]dationi capelle, capelliarum institutioni et dotationi, ac statutorum et ordinationum editioni, penarum et multarum adjectioni, et aliis que circa hec per eumdem cardinalem provide acta sunt, prout in instrumento hujusmodi plenius exprimuntur, apostolice confirmationis robur adjicere ac supplere defectus, si qui intervererunt quomodolibet in eisdem, de potestatis plenitudine dignarēmur. Nos igitur hujusmodi prefati cardinalis supplicationibus inclinati fundationem, institutionem, dotationem, statutorum et ordinationum editionem, ac penarum et multarum adjectionem hujusmodi, ac alia omnia et singula per eum circa hec, ut premittitur, ordinata, prout in instrumento predicto seriosius, sicut predictitur, exprimuntur,

1. Ex archivo regio Palensi; *Bal.*; pièce non retrouvée.

rata habentes et grata, illa auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui in eis intervenerunt quomodolibet, de plenitudine apostolice potestatis.

Tenor autem instrumenti predicti talis est : *In nomine Domini. Amen.* Anno ejusdem millesimo trecentesimo quadragesimo septimo, inductione quinta decima, die vicesima octava mensis junii, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Clementis divina providentia pape sexti anno sexto, in mei notarii publici et testium subscriptorum ad hec vocatorum presentia. Primus parens humani generis precepti legem sub qua fuerat constitutus transgrediverat sic... propagationis infecit ut in traduce generationis peccati traduceretur origo. Hinc namque dispendium mortis tota successura progenies pertulit, et innocentie bono privata, tot peccatis obnoxia redditur ut, nisi gratia conditoris adesset, efficeretur a paradisi gaudiis aliena. Ad expiandam igitur peccati labem, quam ex infecta radice contraxit et prona sequitur humana fragilitas, devota et intenta debet fidelis quisque mente consurgere, ut sicut per culpam corruit, sic per [727] impertiendam ei gratiam relevetur : quam ut facilius consequatur, sanctorum patrocinia, quibus redemptor noster vota fidelium benigno favore prosequitur, nunc elemosinarum nunc orationum suffragiis, nunc aliis operibus caritatis implorat. Quod nos Taleyrandus, miseratione divina tituli Sancti Petri ad vincula presbiter cardinalis, attente pensantes, ad laudem et gloriam Dei et gloriose virginis matris ejus et ad subscriptorum et aliorum sanctorum honorem quandam capellam juxta ecclesiam beati Frontonis Petragoricensis, pro nostra nostrorumque ac aliorum fidelium animarum salute, de propriis bonis nostris, construximus seu construi fecimus et sufficienter dotavimus, prout munimenta super hiis confecta patenter insinuant, pro infrascriptis et aliis oneribus supportandis. In qua quidem capella duodecim perpetuas capellanias pro duodecim perpetuis capellaniis per nos jam institutis inibi virtutum Domino servituris fundandas et instituendas duximus sub infrascriptis vocabulis designandas. Prima namque honori et nomini ejusdem gloriose virginis Marie dedicata est, secunda beati Johannis Baptiste titulo insignitur, tertia beati Michaelis, quarta beati Johannis Evangeliste, quinta beati Jacobi, sexta beati Petri ad vincula Apostolorum, septima beati Stephani martyris, octava beati Frontonis, nona beati Martialis, decima beati Eparchii confessoris, undecima beate Marie Magdalene, et duodecima beate Marthe vocabulis decorantes. Ordin-

nantes in primis quod dicti capellani prima hora diei cujuslibet in eadem capella cum superpelliciis eorum devote conveniant et duas missas cum nota in ea sub infrascripto ordine celebrent successive, videlicet die dominica de Trinitate, feria secunda de angelis, feria tertia de sancto Frontone, feria quarta de beato Johanne Baptista, feria quinta de Sancto Spiritu, feria sexta de cruce, et sabbato de beata virgine; et singulis diebus eisdem, post missas superius de[728]signatas, aliam missam pro animarum salute fidelium diebus singulis sub infrascripto moderamine devote decantent. Quibus duabus missis sicut premittitur celebratis, reliqui singuli capellani ad celebrandum alias missas se preparant prout eis suadebit devotione et Dominus ministrabit, ita quod ad minus ter in septimana celebrare quislibet teneatur. Intendimus tamen quod in diebus sollemnioribus, sicuti Cene Domini et duobus sequentibus diebus, necnon Nativitatis, Circumcisionis, Epiphanie, Resurrectionis et Ascensionis Domini nostri Ihesu Christi, Pentecostes, corporis Christi, quatuor quoque principibus beate Marie virginis ac beatorum Johannis Baptiste et Evangeliste, sanctorum etiam Stephani et Frontonis festivitatibus, ac in commemoratione Omnis Sanctorum, unam tantum missam cum nota, prout diei solemnitas exiget, dicere teneantur, et tunc tantum recipient quantum essent si due misse celebrarentur recepturi. Si vero prefati capellani in celebrando negligentes fuerint aut remissi, per subtractionem distributionum suarum et alias graviter, si negligentia vel culpa nimia fuerit, puniantur arbitrio canonici ejusdem ecclesie qui eisdem capellanis preerit, ut inferius subjungetur, et nichilominus capitulum ejusdem ecclesie possit ad privationem capelliarum contra dictos capellanos procedere justitia suadente. Item ordinamus quod dicti capellani post comeditionem omnes in eadem capella cum superpelliciis eorum omnes iterato conveniant et agendam sive officium mortuorum cum nota solemniter ac passim et distincte decantent, nec ante ejusmodi completum officium aliquis eorum capellam eamdem exire presumat, ne forsitan eundo et redeundo contingat remanentes capellanos impediti in hujusmodi officio aut turbari, quodque tali tempore dictum officium mortuorum inchoent quod antequam canonici vesperas in choro ejusdem ecclesie incipient sit completum. Ordinamus [729] insuper et volumus quod si qui predicatorum capellanorum non interfuerint ejusmodi missis et officio mortuorum, pro singulis vicibus quibus predictis missis defuerint quatuor denariis, et pro singulis vicibus quibus officio predicto non interfuerint, ut prefertur, aliis quatuor denariis, quos eis communiter pro

quotidianis distributionibus deputamus, sint privati. Volumus etiam quod in missis antequam incipiatur Kyrie eleyson et in officio mortuorum ante finem invitatorii capellam eamdem intrare et in ea remanere usque ad finem misse vel officii, cessante causa legitima, teneantur. Alioquin distributione illius hore ipsos privatos esse volumus ipso facto. Ceterum quia in divinis officiis non sunt divina verba lingua precipiti decurrentia, et vacantes Dei servitiis esse debent ab omni alio colloquio penitus alieni, dictos capellanos quantum possumus exhortamur ut passim et distinete annua dicant officia, et quod in capella predicta, maxime dum in ea hujusmodi dicentur officia, silentium teneant a quibuscumque colloquiis abstinentes, ne murmurationibus et clamoribus officia hujusmodi perturbentur et a devotione homines retrahantur, fiatque minus Deo acceptum obsequium quod minus devota mente prestatur. Alioquin fractores silentii et loquentes per eundem presidentem canonicum, si moniti forte desistere noluerint, per subtractionem distributionum suarum pro modo culpe decernimus puniendos. Item volumus et ordinamus quod prefati capellani horis omnibus canoniceis nocturnis pariter et diurnis in choro ejusdem ecclesie per canonicos illius dicendis debeat interesse. Alioquin, si moniti evidenter negligentes fuerint seu etiam contumaces, eos ad hoc arbitrio dicti canonici volumus coherceri, eos qui missas tali tempore celebrabunt decernentes ab iis penitus excusatos. Ordinamus quoque quod si alicui ad omnes sacros ordines forsan non promoto aliqua capellania[730]rum hujusmodi conferatur, ille cui collata fuerit sit etatis viginti quatuor annorum, ita quod proximis statutis temporibus possit et teneatur ad sacerdotium promoveri. Alioquin, nisi infra annum a tempore possessionis habite fuerit in presbiterum ordinatus, jure quod habebat in eadem capellania ipso sit jure privatus, nec sibi ea vice possit iterato conferri, ne hujusmodi ordinatio nostra fiat ludibrio et effectu debito vacuetur. Rursus statuimus quod si quis predictorum capellanorum per unum mensem a dicta capella nisi pro communibus eorumdem capellanorum negotiis pertractandis aut alia causa rationabili exigente de consensu eorum et dicti canonici fuerit factus absens, ipso jure capellania quam obtinet sit privatus. Insuper ordinamus et volumus quod ille ex eisdem capellaniis qui beneficium aliud acceptaverit et illud cum effectu meruerit obtinere, capellania privatus sit quam obtinet ipso jure. Preterea ordinamus quod nullus habens beneficium ecclesiasticum possit ad aliquam capellaniarum hujusmodi presentari vel institui in eadem nisi beneficio renuntiare quod obtinet illudque

totaliter dimittere primo vellet ac voluntatem duceret in effectum. Ordinamus quoque quod donec divina favente clementia egerimus in humanis, collatio dictarum capellaniarum ad nos pleno jure, ac post obitum nostrum presentatio capellanorum ad illum comitem Petragoricensem qui pro tempore fuerit ac successores suos, quotienscumque et quandocumque capellanias easdem vacare contigerit, perpetuo pertineant, sic tamen quod infra mensem a die vacationis earum computandum idem comes presentet capitulo ejusdem ecclesie personam ydoneam ad capellaniam hujusmodi vacantem instituendam in illa; dictumque capitulum vel major pars illius numero infra octo dies presentationem immediate sequentes personam presentatam instituere teneatur. Si vero prefatum comitem personam non ydoneam forsitan [731] presentaret, eamque per dictum capitulum contingenter non admitti, possit dictus comes personam aliam ydoneam infra alios octo dies computandos a die non admissionis seu repulsionis persone minus ydonee, ut premittitur, presentate denuo presentare. Quod si non fecerit, sit ea vice presentandi jure privatus, et dictum capitulum capellaniam vacantem persone ydonee libere conferre valeat ea vice. Et si dictum capitulum per octo dies a presentatione hujusmodi computandos conferre distulerit capellaniam hujusmodi sic vacantem, jus presentandi ad prefatum comitem devolvatur, ita quod idem comes infra alios octo dies aliam personam ydoneam teneatur et debeat presentare. Item ordinamus quod predicti capellani morentur in una domo nec maneant ut servitores cum canonicis ecclesie memorare. Et quoniam mercenarius mercede dignus est pro labore, et spiritualia diu sine temporalibus non subsistunt, volumus et ordinamus quod predicti capellani, singuli eorum videlicet qui missis et officio interfuerint supradictis, pro singulis missis et officio hujusmodi quibus interfuerint, ut prefertur, quatuor denarios habeant pro quotidianis distributionibus eorumdem, et nichilominus in singulis Natalis Domini, Pasche, Pentecostes, commemorationis Omnis Sanctorum, Assumptionis beate Marie, sancti Johannis Baptiste, et sancti Frontonis festivitatibus singuli eorum singulos denarios monete percipient memorare. Et illud idem observari volumus circa eos ex dictis capellanis qui propter gravem infirmitatem in villa Sancti Frontonis Petragoricensis pro tempore morabuntur. Alioquin eos qui hujusmodi infirmitatis causa cessante hujusmodi missis non curaverint interesse distributione hore illius decernimus esse privatos. Et quoniam domus utiliter et bene disponitur que a patrefamilias provido gubernatur, et sepe navis que dotoris gubernatione non

regitur naufragatur, ordinamus et volumus [732] quod singulis annis in festo beati Frontonis vel circa eligatur per dictum capitulum unus ex canonicis ejusdem ecclesie quem idem capitulum ad hoc utiliorem putaverit, qui presit eisdem capellanis, cuius consilio et auctoritate cuncta eorum negotia dirigantur, qui jure possit et teneatur audire et exigere rationes et computa omnium receptorum et expensarum, et aliis quomodolibet actorum sive gestorum annate preterite de bonis dicte capelle ab eis qui administrationem hujusmodi habuerint, ipsosque compellere suadente justitia ad reddendam rationem hujusmodi et tradendum quicquid de bonis hujusmodi restare inventum fuerit penes eos. Et ut dictus canonicus presidens circa diligentem observantiam premissorum ac pro utilitate capelle et capelliarum predictarum statu prospero et augmento diligentius et favorabilius curam et sollicitudinem interponat, ordinamus et volumus quod idem canonicus presidens eligat ac possit eligere duos ex dictis capellaniis, quos ad hoc putaverit sufficientiores ac magis ydoneos, qui per alios capellanos constituantur, ipsique capellani eos constituere teneantur procuratores, qui hujusmodi bona percepta vocato dicto canonico distribuant prout est superius ordinatum, quodque si quid, completis premissis, et aliis ipsius capelle oneribus supportatis, contigerit de ipsius capelle proventibus atque redditibus superesse, in ornamentis et aliis ipsis capelle necessariis convertatur. Volumus quoque quod dicti procuratores tantum debeant tradere de blado et vino dicte capelle singulis capellaniis aliis et pro se etiam retinere, secundum valorem et pretium quo blada et vina venduntur, in festo Omnis Sanctorum anno quolibet quantum medietas distributionum dictorum duodecim denariorum pro tota annata ascendet, et non ultra; prohibentes omnino quod non fiat bladi et vini divisio ultra dictam quantitatem inter eos, et si ob culpam vel absentiam [733] aliqui eorum distributiones amitterent, vel ob causam aliquam legitimam per presidentem canonicum privarentur ab eis, procuratores predicti de portione eos contingente id valeant retinere et retentionis etiam jure uti, Volumus etiam et dictos capellanos quantum possumus exhortamur ut ipsis canonicis dicte ecclesie reverentiam ut subditi eorum exhibeant, seque gratos eis pro viribus reddant, et ipsis in omnibus obsecudent. Hec est enim nostra affectio quod predicti capellani dictis canonicis pareant et intendant et eos in aliquo non offendant. Et ut hoc magis de mente nostra procedere liqueat, volumus et ordinamus quod in novitate sua quicumque capellanus antequam possessionem vel quasi capellanie sue seu jurium ejus in aliquo apprehendat, in

capitulo se presentet, et jurare teneatur in eorum presentia ad sancta Dei evangelia quod bona capellaniarum non alienabit, et alienata et perperdita recuperabit pro posse, et quod secreta capituli que sibi contigerit per capitulum revelari nemini pandet, dampnaque ecclesie et capituli predictorum pro posse repellat ac etiam evitabit, et si sciat ab alio dampna, injurias vel violentias eisdem ecclesie et capitulo irrogari, id quantum commode poterit capitulo vel alicui de capitulo revelabit. Demum volumus et ordinamus ut in dicta capella fiat et ponatur unus truncus qui claudatur duabus ferreis serraturis : quarum unius dictus presidens et alterius serraturarum predictarum claves alias canonicus ejusdem ecclesie, quem idem capitulum ad hoc duxerit eligendum, custodiant, in quo quidem trunko oblationes pecuniarie que in dicta capella fient pro tempore pia et devota largitione fidelium fideliter reponantur ac etiam conserventur, quodque oblationes alie in quibuscumque rebus aliis in capella predicta faciente de consensu et licentia dicti canonici presidentis per eosdem procuratores vendantur, et pretium ex hujusmodi reponatur, [734] quodque truncus ipse bis quolibet anno aperiatur, et quicquid inventum fuerit in eodem, in duabus equis portionibus dividatur, quarum una in capelle ac librorum aliorumque ornatorum ipsius et reliqua portiones in ecclesie predice reparationem fideliter convertantur. In quorum omnium testimonium omnia et singula suprascripta per notarium publicum infrascriptum scribi et publicari et nostri sigilli fecimus appensione muniri. Actum et datum Avinioni in hospitio habitationis nostre anno, die, mense, indictione et pontificatu quibus supra, presentibus venerabilibus viris dominis Ademaro electo Petragoricensi et Arnaldo de Villamuro, priore prioratus de Vicodesos, ordinis sancti Augustini, Appamiarum dyocesis, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis, et me Helia de las Tours de villa podii Sancti Frontonis Petragoricensis clero, apostolica et imperiali auctoritate notario publico, qui anno, die, mense, indictione et pontificatu quibus supra premissis omnibus et singulis, dum in modum suprascriptum agerentur et fierent per eumdem dominum cardinalem una cum prenominatis testibus presens fui, et ea scripsi, et in hanc publicam formam redigi, signoque meo solito signavi rogatus et requisitus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis et supplicationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Avinioni, secundo ydus novembbris, pontificatus nostri anno septimo.

CLVI

LITTERAE¹ PHILIPPI VI, REGIS FRANCORUM, PRO GUILLELMO CURTI,
CARDINALE. — Abbaye de Barbeaux, juillet 1349².

Philippus, Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis tam [735] presentibus quam futuris quod nos pensantes amoris affectum quem dilectus et specialis amicus noster Guillelmus, tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum presbiter cardinalis, ad felicem nostrum et regni nostri statum hactenus habuisse noscitur et habere, ac propter ea et alia ejus merita speciali benivolentia prosequentes eumdem, concedimus sibi de speciali gratia per presentes quod ipse in nostris feodis seu retrofeodis, ubi viderit expedire, possit acquirere quocumque titulo usque ad sexaginta libras turonensium annui et perpetui redditus seu ad valorem summe predicte in terris, vineis, pratis, censibus, redditibus seu rebus aliis quibuscumque insimul vel per partes, et acquisita hujusmodi, vel si jam forte acquisierit, donare, cedere, et transferre, prout sibi placuerit, conjunctim vel divisim, in quamcumque personam seu quascumque personas ecclesiasticas religiosas vel seculares in perpetuum, et quod tam ipse cardinalis quam persona seu persone hujusmodi premissa, prout ei vel eis donata vel in eas translata fuerint, ea tenere et possidere valeant perpetuo, pacifice et quiete absque coactione ea vendendi, alienandi, vel extra manum suam ponendi in toto vel in parte seu prestandi propter hoc nobis vel successoribus nostris aut causam a nobis habituris financiam qualecumque. Nos etenim omnem financiam propter hoc debitam, seu que posset ex hiis vel propter ea exigiri, ipsi cardinali de gratia speciali remittimus penitus et quitamus tam pro se quam pro illis qui causam ab ipso habuerint in perpetuum..... inhibentes universis et singulis ministris nostris presentibus et futuris ne contra gratiam et remissionem hujusmodi aliquid..... constituere vel in edicto in contrarium non obstante, seu quod per secretum nostrum aut per cameram non fuerint expedite. Quod ut firmum et stabile permaneat in futurum, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum, nostro in omnibus jure salvo. Actum in abbatia de Barbello, [736] anno Domini MCCCXLIX, mense julio.

1. Ex archivo monasterii Bolbonensis; *Bal.*; pièce non retrouvée. — 2. Philippe VI se trouvait à Barbeaux le 26 et le 28 juillet 1349; cf. J. Viard, *Itinéraire de Philippe VI de Valois*, dans *Bibliothèque de l'École des chartes*, t. LXXIV (1913), p. 586.

CLVII

CLEMENTIS PAPAE VI EPISTOLA¹ AD PETRUM DE JUDICIA, ARCHIEPISCO-
COPUM NARBONENSEM, QUA EI COMMENDAT STEPHANUM² EPISCO-
PUM ELENENSEM. — Avignon, 15 janvier 1350.

*Clemens, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri.. archie-
piscopo Narbonensi salutem et apostolicam benedictionem. Ad cumulum
tue cedit salutis et fame si personas ecclesiasticas, presertim ponti-
ficali dignitate preditas, divine propitiationis intuitu opportuni
presidii et favoris gratia prosequaris. Dudum siquidem bone memorie
Bernardo, episcopo Elnensi, regimini Elnensis ecclesie presidente,
nos intendentes eidem ecclesie, cum illam vacare contingeret, per
apostolice Sedis providentiam utilem et ydoneam presidere personam,
provisionem ipsius ecclesie ordinationi et dispositioni nostre ea vice
duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et
inane si secus super hiis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel
ignoranter, contingerit attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia
Elnensi per obitum dicti Bernardi episcopi, qui extra romanam
curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos vaca-
tione hujusmodi fide dignis relatibus intellecta, ad provisionem
ejusdem ecclesie, de qua nullus preter nos ea vice disponere potuit
neque poterat reservatione ac decreto obsistentibus supradictis,
ne longe vacationis subsisteret incommodis, paternis et sollicitis
studiis intendentis, post deliberationem quam de preficiendo eidem
ecclesie personam utilem ac etiam fructuosam habuimus cum nostris
fratribus diligentem, demum ad dilectum filium Stephanum, electum
Elnensem, abbatem monasterii Case Dei, ordinis Sancti Benedicti,
Claromontensis dyocesis, consideratis multiplicium dicti Stephani vir-
[737]tutum meritis, quibus personam suam familiari experientia novi-
mus insignitam, direximus oculos nostre mentis. Quibus omnibus
debita meditatione pensatis, de persona ejusdem Stephani electi
prefate ecclesie Elnensi, de dictorum fratrum consilio, auctoritate
apostolica providimus, ipsumque illi preficimus in episcopum et
pastorem, curam et administrationem ipsius eidem Stephano electo
in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui*

1. D'après le registre Vatican 192, fol. 55 r°, ep. 172. Ex authentico; *Bal.* —

2. Baluze lui donne faussement le nom d'Étienne d'Aigrefeuille.

dat gratias et largitur premia confidentes quod eadem ecclesia per ipsius Stephanie electi providentie studium preservabitur a noxiis et adversis ac in eisdem spiritualibus et temporalibus proficiet incrementis. Cum igitur ut idem electus in commissa sibi ecclesie Elnensis predicte (*a*) cura facilius proficere valeat, tuus favor sibi esse noscatur plurimum oportunus, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente per apostolica tibi scripta mandantes quatinus eumdem electum et commissam sibi dictam Elnensem ecclesiam, tibi metropolitico jure subjectam, habens pro nostra et dicte Sedis reverentia commendatos, in ampliandis et conservandis juribus suis sic eum tui favoris presidio prosequaris quod ipse pertue auxilium gratie se possit in commisso sibi ejusdem Elnensis ecclesie regimine utilius exercere, tuque divinam misericordiam et ejusdem Sedis benivolentiam valeas exinde uberiorius promerer. Datum Avinioni, xviii kal. februarii, pontificatus nostri anno octavo.

CLVIII

DONATIO¹ FACTA ADAMARO DE AGRIFOLIO, MILITI. —
Paris, novembre 1350.

Johannes Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod, cum clare ac bone memorie dominus ac carissimus progenitor noster dilecto et fidei nostro Adamaro de Agri folio, militi, tunc domicello, pro legatione per di[738]ctum Adamarum tunc facta de jocunda ac exultabili creatione sanctissimi in Christo patris domini Clementis divina providentia pape VJ, ipsi Adamaro dedisset et concessisset quingentas libras turonensium annui redditus quamdiu idem Adamarus vitam duxerit in humanis, postmodumque idem dominus et progenitor noster donum predictum quingentarum librarum ad vitam conmutando (*b*), eidem Adamaro trecentas libras turonensium annui et perpetui redditus dedisset assidendas super bonis que ex incursibus forefactorum vel commissorum ad ipsum dominum progenitorem nostrum devenerant vel devenirent in lingua occitana vel alibi, et quod, donec dicte trecente libre sibi integraliter

a) dicte Elnensis ecclesie, *Bal.* — *b)* convertendo, *Bal.*

1. D'après *JJ 80*, fol. 61 v^o, cap. 120 (Archives nationales de Paris).

assignate et assise fuissent, dictas quingentas libras annuatim recipere, ubi et prout sibi fuerant antea assignate, et quia dictus Adamarus dicta assignatione gaudere non poterat, idem Adamarus dilecto et fidei nostro archiepiscopo Auxitanensi, tunc locumtenenti domini progenitoris nostri in partibus Occitanis predictis (*a*), ementi nomine dicti domini (*b*) progenitoris nostri, vendidisset dictas trecentas libras annui et perpetui redditus pretio trium milium librarum turonensium debilis (*c*) monete, computando videlicet unum denarium auri ad scutum pro triginta octo solidis turonensium, et in remunerationem servitorum per dictum Adamarum et suos impensorum eidem mille libras turonensium dicte monete ultra predicta dedisset, assignando solutionem summarum predictarum super Nicholaum Odes, tunc receptorem impositionum in lingua occitana, qui quidem Nicholaus dicto Adamaro quingenta viginti sex scuta pro pretio mille librarum predictarum solutionum residuum super receptorem nostrum Nemausi assignavit, a quo quidem receptore dictus Adamarus miles quingentas libras monete currentis tempore solutionis dicitur habuisse, licet termini solutionum diu est sint elapsi, ut premissa tam per litteras dicti domini progenitoris nostri [739] quam alias apparere noscuntur, nos nolentes donum per dictum dominum progenitorem nostrum, ex tam laudabili causa factum, sic suo privari effectu, contemplatione dicti summi pontificis, de ejus genere idem Adamarus propagatur, obtentuque plurium gratuitorum servitorum per eundem Adamarum et suos dicto domino progenitori nostro et nobis impensorum et que speramus impendi, damus, donamus, et concedimus per presentes trecentas libras perpetui et annui redditus eidem Adamaro pro se, suis heredibus, et successoribus, vel causam habituris, ab eis tenendas a nobis et successoribus nostris ad fidem et homagium ligum, quas eidem in loco bono et sufficienti juxta consuetudinem patrie promittimus assignare, et assidere vel facere assideri. Interim vero donec assise et assignate fuerint, per ipsum dictas trecentas libras in thesauro nostro Parisius capi et recipi volumus terminis consuetis, mandantes dilectis et fidelibus thesaurariis nostris Parisius, qui nunc sunt vel (*d*) pro tempore fuerint, quatinus singulis annis dictas trecentas libras turonensium, donec assignate fuerint, dicto Adamaro vel ejus certo mandato solvant et satisfaciant integraliter terminis consuetis, dilectisque et fidelibus gentibus com-

a) in partibus Occitanis predictis, *omis par Bal.* — *b)* *omis par Bal.* — *c)* debite, *Bal.* — *d)* qui, *ajouté par Bal.*

potorum nostrorum Parisius ut quicquid dicto Adamaro ex causa predicta dicti thesaurarii nostri solverint eisdem in compotis suis allocent et de eorum recepta deducant. Quibus mediantibus dictus Adamarus de omnibus in quibus dictus dominus progenitor noster vel nos vel alie gentes nostre tenebamur vel teneri poteramus ex dictis donis per dictum dominum progenitorem nostrum dicto Adamaro factis vel aliis supradictis vel occasione eorum pro tempore futuro, causa dumtaxat nostri presentis doni trecentarum librarum turonensium annui et perpetui redditus excepta; dictus Adamarus dictum dominum progenitorem nostrum, nos, et omnes alios ad quos de promissis potest [740] vel debet quittantia pertinere quittavit penitus et absolvit. Et nos etiam de dictis summis occasione predictorum per eum receptis quingentos scutos auri per eum receptos donamus, remittimus et quittamus, sic quod residuum per eum receptum nobis vel gentibus nostris restituere et solvere teneatur. Que premissa omnia et singula, non obstantibus si aliqua alia dona dictus dominus progenitor noster (a) vel nos dicto Adamaro dedimus vel fecimus et quibuscumque ordinationibus super hiis editis et que hic expressa non sint, volumus et concedimus de certa scientia, speciali gratia, auctoritate regia, et ex certis causis, ac de nostre plenitudine potestatis. Salvo in aliis jure nostro, et quolibet alieno. Quod ut firmum et stabile perpetuo perseveret, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum quo ante susceptum regimen regni nostri utebamur. Datum Parisius, anno Domini MCCCL mense novembris. Per dominum regem Mellou.

CLIX

CONCESSIO¹ ET ABSOLUTIO FACTAE HUGONI DE RUPE MARESCHALLO
SUMMI PONTIFICIS. — Paris, novembre 1350.

Johannes Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod, cum dilectus et fidelis noster Hugo de Ruppe, miles, dominus de Tornolio, marescallus summi pontificis, nobis significaverit quod, licet castrum et castellania de Marsaco

a) omis par Bal.

1. D'après *JJ 80*, fol. 132 v°, cap. 173 (Archives nationales de Paris).

de Arvernia teneri debeat in feudum et homagium ligium a dominis de Tornolio, ratione ipsius castri et feudi de Tornolio, tamen Poncius de Vissaco, miles, quondam dominus dicti castri et castellanie de Marsaco, dictam fidem et homagium facere et a defuncto Petro de Malomonte, milite, quondam domino de Tornolio, in cuius jus dictus Hugo vel causam habentium ab eodem successit, tenere ratione cuiusdam debati seu discordie que erat inter ipsos Poncium et [741] Petrum predictos facere et recognoscere recusavit, quinymo predecessoribus nostris predictas fidem, et homagium et recognitionem fec[er]it, quodque Dalmacius de Vissaco, miles, nunc dominus dictorum castri et castellanie de Marsaco, plenius de jure dicti Hugonis certificatus, tam per dictum Poncium de Vissaco, ejus patrem, quam alios, et bonam fidem agnoscens paratus erat dicto significanti dictas fidem et homagium ligium et recognitionem facere, prius a nobis petita super hiis licentia et obtenta, supplicavitque nobis dictus Hugo per nos sibi provideri de remedio gratioso. Nos igitur habito super hiis a dicto Dalmacio, milite, juramento, et eo diligenter examinato, eidem Dalmacio pro se et suis heredibus et successoribus dedimus et damus licentiam, eidem nichilominus injungendo, dictam fidem, homagium ligium, et recognitionem nunc et deinceps faciendi dicto Hugoni domino de Tornolio, pro se, et suis heredibus vel successoribus, aut causam habituris ab eis; contemplationeque dicti summi pontificis et plurium gratuitorum servitiorum per dictum Hugonem [nobis] alias impensorum et que cotidie impendit, omne jus, si quod ratione dictorum fidei, homagii, vel recognitionis predecessoribus nostris factorum vel alias qualitercumque habemus vel habere possumus vel debemus in premissis, dicto Hugoni pro se et suis heredibus, successoribus, vel causam habituris ab eis in dicto castro de Tornolio in pleno jure proprietatis et possessionis per presentes concedimus, transferimus, et donamus; dictumque Dalmacium, ejus predecessorum, heredes, successores, vel causam habituros ab eis ab omni jure quo nobis tenebantur vel teneri poterant in premissis quoad fidem, homagium ligium, et recognitionem dictorum fidei, homagii ligii, et recognitionis predecessoribus nostris factis absolvimus pro nobis et successoribus nostris penitus et quittamus, mandantes districtius et injungentes baillivo [742] nostro Arvernie ceterisque officiariis et justiciariis (*a*) nostris vel eorum locatenentibus presentibus et futuris ne, ratione dictorum fidei, homagii, et recognitionis pro dicto castro

a) et justiciariis, omis par Bal.

et castellania de Marsaco nobis per dictum Dalmacium non factorum, dictum Dalmacium, ejus heredes, successores, vel causam habituros ab eis aliquathenus molestent, inquietent, vel perturbent in corpore sive bonis, sed dictum Hugonem, ejus heredes, successores, vel causam habituros ab eis omnibus predictis ipsos, juxta tenorem nostre presentis gratie, plene ac libere gaudere faciant et permittant, premissa omnia et singula volentes et concedentes de certa scientia, speciali gratia, auctoritate regia ex causa de nostre plenitudine potestatis. Salvo in aliis jure nostro et quolibet alieno. Quod ut firmum et stabile perpetuo perseveret, nostrum presentibus litteris fecimus apponi sigillum quo ante susceptum regni nostri regimen utebamur. Datum Parisius, anno Domini MCCCL, mense novembris. Per dominum regem. Mellou.

CLX

DONATIO¹ QUINGENTARUM LIBRARUM ANNUI ET PERPETUI REDDITUS
JOANNAE, FILIAE VICECOMITIS TURENNAE.—Villeneuve-lez-Avignon,
février 1351 (n. st.).

Johannes Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis quod nos Johanne, nate dilecti et fidelis nostri Guillelmi Rogerii de Belloforti, militis, vicecomitis Turenne, sanctissimi Patris summi pontificis nepotis, quam nuper de sacro fonte suscepimus, dedimus et tenore presentium damus et donamus quingentas libras turonensem annui et perpetui redditus cum omnimoda jurisdictione et justitia alta, media, et bassa, mero et mixto imperio, et cum primis appellationibus et primo ressorto et exercitio eorumdem pro ipsa Johanna ejusque heredibus et successoribus vel causam habituris ab eis, tenendas a nobis et successoribus nostris regibus Francie sub [743] fide et homagio; quas quingentas libras annui et perpetui redditus, ut est dictum, sibi promittimus assidere et assignare seu assideri et assignari facere in loco bono et convenienti juxta patrie consuetudinem. Interim vero, donec eas sibi assideri et assignari fecerimus, volumus quod singulis annis eas accipiat et percipiat in thesauro nostro Parisius terminis consuetis, dantes tenore presentium in mandatis dilectis et fidelibus nostris thesaurariis, qui nunc sunt et qui pro tempore

1. D'après *JJ 80*, fol. 371 v^o, cap. 568 (Archives nationales de Paris).

fuerint, quatinus dictas quingentas libras singulis annis dicte Johanne aut, ejus nomine, patri suo vel ejus mandato certo solvant et satisfaciant, donec sibi assignaverimus et assederimus easdem, dilectisque et fidelibus gentibus nostris camere compotorum ut ea que dicti thesaurarii ratione premissorum solverint dicte Johanne aut, ejus nomine, patri suo vel ejus certo mandato in eorum compotis allocent et de eorum recepta deducant. Que premissa omnia et singula volumus et concedimus de speciali gratia, certa scientia, et de auctoritate regia, et nostre regie plenitudine potestatis. Salvo in aliis jure nostro. Quod ut firmum et stabile perpetuo perseveret, nostrum presentibus litteris fecimus apponi sigillum, quo utebamur antequam regnum ad nos devenisset. Datum apud Villamnovam prope Avinionem, anno Domini , mense februarii MCCCL.

CLXI

CHARTA¹ PRO UNIVERSITATE THEOLOGIAE MONTISPESSULANI. —
Montpellier, 15 janvier 1351 (n. st.).

Johannes Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis presentibus et futuris quod ad supplicationem dilectorum nostrorum magistrorum, baccalariorum, et scolarium facultatis theologie universitatis Montispussulan, nos in favorem dicte scientie ac dictorum magistrorum, baccalariorum, et scolarium, qui pro dicta scientia acqui[744]renda, et ad erudiendum et fovendum populum in sancta fide catholica, ad salutem animarum fidelium et ad laudem et gloriam beatissime trinitatis plures die nocteque sustinuerunt et sustinent vigilias, abstinentias, et labores, magistris, baccalariis, et scolaribus predictis ac bedellis suis modernis et futuris, ut dicti bedelli de cetero tam in societate dictorum magistrorum quam alibi suum officium exercendo virgas argenteas vel alias, quales voluerint, in manibus suis libere tenere et portare valeant, tenore presentium concedimus auctoritate regia et de gratia speciali, mandantes senescallo Bellicadri ceterisque justiciariis nostris et eorum locatenentibus ut dictos bedellos nostra presenti gratia pacifice gaudere faciant, nec ipsos in contrarium impediant seu impediri permittant a quibuscumque

1. D'après JJ 80, fol. 458 v^o, cap. 759 (Archives nationales de Paris).

quomodolibet. Et sic volumus in posterum observari. Et ut premissa perpetue stabilitatis robur obtineant et vigorem, nostrum, quo ante regni nostri susceptum regimen utebamur, sigillum duximus presentibus apponendum. Datum apud Montempessulanum, xv die januarii, anno Domini MCCCL. Per dominum regem presente elemosinario. Verrière.

CLXII

GRATIA¹ FACTA STUDIO MONTISPESULANI QUOD NULLUS IN EO EXERCET ALIQUOD OFFICIUM MEDICINAE, NISI FUERIT IN EO MAGISTRATUS.

— Montpellier, janvier 1351 (n. st.).

Johannes Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis presentibus pariter et futuris quod cum nos, quem ille regum rex eternus, qui clavem et perfectionem omnis scientie secum habet, gregi Francorum, ut ipsum pascamus virtutibus et doctrinis, preesse voluit pia dignatione regali majestate, fulgere in regno nostro multorum diversitatem studentium, qui divitias scientiarum amabiles in sinu ejusdem congregent spatio, ut in corporibus hominum tanquam in horreum grana salutis inferant stabilire precipue diligentie studiis [745] laboremus, tamen in facultate laudabili medicine eo libentius in studio nostro Montispessulanii nutrire cupimus filios eruditos quo frequentius absque peritorum in facultate ipsa ministerio fructuoso, tabescente vigore scientiarum, in corpore conger mortalitatis humane dissolvunt, et per ministerium ipsius sanitatis integritas solidatur, per quem in eo scientiarum fructus amabiles regno nostro successerunt, neconon toti etiam universitati, considerantes imperitiam medicorum qui curationum causas ignorantes, vitio artis nimio accelerante assumunt sibi exercitium practicandi, per quod non solum nomen et fama predicti studii denigratur, status quoque magisterii vilis efficitur, sed etiam multa mala incumbunt, mortis enim pericula et rerum dispendia inferuntur, igitur ut illorum audaciam reprimamus, in favorem predicti studii intendentis, prohibemus in perpetuum omnibus volentibus per medicinam aliquo exercitio practicare ne quis in villa Montispessulanii et suburbis audeat in facultate medicine

1. Ex archivio regio; *Bal.*; pièce non retrouvée.

exercere aliquod officium practicandi nisi magister fuerit. Quod si forte aliqui presumpserint attemptare, rectori nostro Montispessulan et baillivis nostris presentibus et futuris districte precipimus et mandamus ut ad simplicem requisitionem cancellarii ipsius studii, seu vices ejus gerentium de hoc constiterit, legitime puniant hujusmodi transgressores, videlicet quod pro qualibet vice qua commiserint solvant nostre curie duas marcas argenti, et nisi habuerint, luant in corpore civiliter, ita quod pena unius aliorum temeritas a similibus arceatur. Quod ut firmum et stabile perpetuo perseveret presentem paginam sigilli nostri quo ante susceptum regimen regni nostri utebamur munimine fecimus roborari. Actum et datum in Montepessulano anno Domini MCCCL mense januarii.

CLXIII

[746] ADMORTIZATIO¹ DUCENTARUM LIBRARUM PRO DOMINO HUGONE
ROGERII CARDINALE. — Lyon, février 1351 (n. st.).

Johannes Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis presentibus et futuris quod, cum carissimus et fidelis amicus noster Hugo Rogerii, tituli Sancti Laurentii in Damaso presbiter cardinalis, pia devotione desideret et affectet, de bonis a Deo sibi collatis in regno nostro, acquirere usque ad summam et valorem ducentarum librarum turonensium annui et perpetui redditus, et de ipsis ducentis libris vicarias perpetuas et capellas seu quedam alia pia loca, pro sue suorumque animarum salute, construere et dotare, ut inde Deo, a quo cuncta bona prodeunt, grata impendi obsequia lausque et honor valeant exhiberi, et ob hoc nobis fecerit humiliter supplicari ut acquirendi dictas ducentas libras turonensium annui et perpetui redditus in regno predicto eidem dignaremur licentiam impetriri et ipsas ob usus cultus divini et ob causas predictas vellemus amortizare, nos attendantes piam devotionem dicti cardinalis, cultum divinum maxime in regno nostro augmentari volentes, dicto cardinali de nostris gratia speciali, auctoritate regia, certa scientia, et nostre regie plenitudine potestatis concessimus et concedimus per presentes ut ipse per se vel gentes suas in [regno] nostro predicto ducentas libras turonensium annui et perpetui redditus, in qua parte regni nostri

1. D'après *J.J. 80*, fol. 322 r°, cap. 468 (Archives nationales de Paris).

maluerit, absque feudo et justitia justo titulo possit et valeat acquirere et de ipsis ducentis libris, sicut premittitur, acquisitis vicarias perpetuas et capellas seu alia pia loca, prout sibi pro sue suorumque animarum salute videbitur melius et laudabilius expedire, construere et dotare seu alias de ipsis ad usus divini cultus ordinare, et vicariis seu capellanis dictarum vicariarum seu [747] capellaniarum seu aliis personis ecclesiasticis quibus voluerit assignare. Volumus etiam et concedimus cardinali predicto de gratia et auctoritate supradictis (*a*) quod vicarii et capellani dictarum vicariarum et capellaniarum seu alie persone ecclesiastice quibus dicte ducente libre turonensium fuerint assignate easdem tenere et perpetuo possidere pacifice valeant absque eo quod per nos vel successores nostros reges Francie aut alios quoscumque nostro nomine possint compelli easdem extra manus suas ponere vel nobis aut successoribus nostris talliam, subventionem, vel subsidium aliquod occasione ipsarum nunc vel in futurum aut aliqualem financiam solvere : quam financiam nos de predictis nostris auctoritate et gratia, et ut precibus, orationibus, et obsequiis divinis in dictis capellis et aliis piis locis faciendis et celebrandis simus participes, eidem cardinali remittimus tenore presentium et quittamus. Quod ut firmum et stabile perpetuo perseveret, nostrum sigillum, quo ante susceptum regni nostri regimen utebamur, presentibus litteris est appensum. Salvo in aliis jure nostro, et in omnibus quolibet alieno. Datum Lugduni, anno Domini MCCCL, mense februarii. Per regem. Mellou.

CLXIV

EPISTOLA¹ PETRI INFANTIS ARRAGONIAE AD GUILLERMUM (*b*) DE TURRILLIS. — Barcelone, 10 janvier 1352.

Ecce quod nos mittimus de presenti litteras nostras domino nostro summo pontifici, per quas sibi significamus quod cum displicantia recepimus super infirmitate quam idem dominus noster nunc Deo propitio passus fuit. Sed quia certo didicimus quod dictus dominus noster a dicta infirmitate quodam modo convalescit, fuit inde, novit

a) predictis, *Bal.* — *b)* Petrum, *Bal.*

¹ D'après le ms. Baluze 238, fol. 71^{r°} (Bibliothèque nationale de Paris). Ex archivio regio Faleci in Catalonia, *Bal.*

Deus, animus recreatus. Quapropter vos rogamus attente quod dictas litteras nostras eidem domino nostro nostri ex parte presentialiter protinus presentare cu[748]retis, procurando cum effectu quod vos ad dictum dominum nostrum ratione predicta intratam habeatis, ut respcionem per eumdem dominum nostrum nobis inde fiendam procurare valeatis. Et nos per vestras litteras de statu dicti domini nostri veridice facite certiores. Rogamus etiam vos quatinus litteras nostras, quas super predictis mittimus reverendissimis in Christo patribus dominis cardinalibus Cesaraugustano, Petragoricensi et Bolo-
nie, nostri parte presentetis eisdem, ut et responsones per ipsos et eorum quemlibet inde nobis faciendas habeatis, easque una cum responsonie domini nostri summi pontificis nobis transmittatis per fide-
lem domesticum nostrum Raymundum de Fabrica, presentium por-
titorem. Ceterum bene scitis qualiter pridie misimus vobis litteram nostram, per quam inter cetera vobis significavimus quod Paschiasius de Arenis, negotiator seu factor Raymundi la Costa, mercatoris Bar-
chinone, debebat vobis tradere mille centum quinquaginta florenos
auri pro redimenda et levanda illa vexella nostra quam dum eramus Avinione pignori tradidimus Nicolao Dini de Florentia: quam quidem
vos jam credimus recuperasse, cum ex intimatis per vos dilecto con-
siliario nostro Jacobo de Besanta perceperimus quod vos jam habetis
in posse vestro bullas respcionis duorum mille florenorum auri,
pro quibus exsolvendis habuistis centum septuaginta florenos auri.
Et quia vobis est necessaria pecunia pro aliis bullis et processibus
gratiarum factarum per dominum summum pontificem spectabili
et carissimo nato nostro Jacobo de Arragonia, videlicet pro qualibet
gratia, que sunt duodecim numero, duodecim florenos auri et ultra,
et etiam pro solvendis missionibus quas fieri necessario oportebit
pro mittendis bullis ad sedes Biterensem, Agathensem et Narbo-
nensem, et presentationibus de ipsis, ideo volumus quod si ex dicta
vexella nostra in Avinione vendi poterunt illi duo bacini [749] nostri
deaurati qui ibi sunt, pro pretio videlicet centum septuaginta solidor-
um Barchinonensium pro qualibet marcho, et quatuor tacie deaurate
que sunt ibi, pro pretio videlicet centum decem solidorum pro quo-
libet marcho, quod venudentur per vos, et quod ex dicto pretio reti-
neatis penes vos totum id quod inveneritis fore necessarium pro exsol-
vendis bullis et processibus et aliis missionibus supradictis. De alia
autem vexella volumus quod vos pro parte et nomine dicti nati nostri
una cum littera credentie vobis commisse, quam per dictum Jacobum
mittimus reverendissimo cardinali Cesaraugustano, presentetis eidem

domino cardinali cupam et pixerium deauratum cum esmaltis, exponendo eidem ex parte dicti Jacobi quod ipse misit sibi nunc de partibus Cathalonie cupam et pixerium supradictos, et quod non doni valorem, sed donationis gratiam et placidam affectionem idem dominus cardinalis benivole consideret et attendat. Residuam autem vexellam per vos dicto Raymundo de Fabrica tradi volumus et jubemus. Si non in Avinione dictos bacinos et tacias vendere poteritis, tradatis ea una cum alia vexella alba dicto Raymundo, qui eam nobis perferat incontinenti; et vendetur in Barchinona, et postea mittetur vobis pecunia pro predictis. Datum Barchinone, x die januarii, anno a nativitate Domini millesimo CCCLIJ.

CLXV

EJUSDEM PETRI INFANTIS LITERAE¹ DE EXPENSIS FACTIS IN CURIA ROMANA QUANDO JACOBUS, EJUS FILIUS, FACTUS EST CAPELLANUS PAPAE. — Barcelone, 25 janvier 1352.

Nos infans Petrus, etc. Quia vos dilectus consiliarius et expensor noster Guillelmus Pineda de precepto et mandato nostro inter menses octobris et novembris, dum eramus in curia romana, dedistis et solvistis perso[750]nis infrascriptis pecunie quantitates infrascriptas, primo venerabili et dilecto Guillelmo de Amanno, militi, magistro hospitii domini nostri pape, centum scutos auri, item tribus servitoribus camere domini nostri pape triginta florenos auri, item vaeriis dicti domini pape lxx florenos auri, item portariis ipsius domini pape xxx florenos auri, item bergariis domini pape x florenos, item duobus capellanis domini pape qui dividunt jus omnium capellanorum commensalium domini pape, quod quidem jus est pro unoquoque unus florenus et unum birretum, et erant ibi in civitate undecim capellani commensales, et vobis mandavimus cuiilibet ipsorum dari ad duplum tam pro florenis quam birretis, sicque dedistis eisdem viginti quatuor florenos et quatuor solidos Barchinonenses, item dedistis duobus capellanis pro juribus pertinentibus in vestibus spectabilis et carissimi nostri Jacobi de Arragonia die qua fuit factus capellanus commensalis domini pape xv florenos auri, item dedistis coquinariis dicti domini pape sex florenos, item virgariis et cursoribus dicti domini pape, qui, ut intelligimus, erant bene sexaginta, xxx florenos, item dedistis

1. D'après le ms. Baluze 238, fol. 71 v° (Bibliothèque nationale de Paris). Ex eodem archivio regio, *Bal.*

Guillelmo de Margarit magistro ostiario domini pape xx florenos, item cuidam joculatori domini Bellifortis duos scutos auri, item duobus joculatoribus vicecomitis de Turena quatuor florenos, item cuidam nuncio dicti Bellifortis, qui aportavit pannum et pecias variorum pro vestibus dicti Jacobi ex parte domini pape, quinque florenos, item duobus portariis domini cardinalis Bolonie duos florenos, item ministrario seu joculatori comitis Armaniaci duos florenos, item pro pretio duorum librorum expositionum sancti Augustini, quos dilectus frater Guillelmus Avyln, confessor noster, emit Avinioni pro nobis ad opus nostri, xxx florenos et tres solidos Barchinonenses, item pro logerio hospitii seu hostal ubi nos habitavimus in Avinione per xxxvj dies, [751] ad rationem trium florenorum et medii pro qualibet die, cxxvij florenos, item pro logerio alterius hospitii sive hostal minoris in quo aliqui ex nostris familiaribus hospitabantur dictis xxxvj diebus, ad rationem unius floreni pro unoquoque die, xxxvj florenos, ideo solutiones et traditiones supradictas, etc. Datum Barchinone, xxv die januarii MCCCLIJ.

CLXVI

EX VETERI KALENDARIO¹ QUOD PRAEFIXUM EST MISSALI JOANNIS JOFREVI EPISCOPI REIENSIS, VALENTINENSIS, LUCIONENSIS, ELNENSIS ET ANICIENSIS.

xj kalendas martii [19 februarii]. Hac die fui presbiter ordinatus in Avinione anno Domini MCCCXLV².

ix kalendas martii [21 februarii]. Hac die decessit dominus P[etrus], canonicus Albiensis, patruus meus, anno MCCCXLIIIJ.

. iiij (a) kalendas martii [27 februarii]. Hic fui translatus ad Aniciensem ecclesiam de Elnensi anno Domini MCCCLVIJ.

a) IV, *Bal.*

1. D'après le ms. latin 828 (ancien Colbert 730), fol. 1 v°-6 v° (Bibliothèque nationale de Paris). — 2. E. Mabille a imprimé le journal de Jean Jofroi d'après le ms. latin 828 dans la nouvelle édition de l'*Histoire de Languedoc*, Toulouse, 1872, t. iv, p. 407. Il a eu tort de réduire les dates au style de Pâques, car elles concordent avec le style en usage à la cour d'Avignon, c'est-à-dire avec le style de Noël. Les registres du Vatican nous apprennent en effet que Jean Jofroi fut nommé évêque de Valence en 1352 et transféré du siège d'Elné sur celui du Puy en 1357; cf. C. Eubel, *Hierarchia catholica medii aevi*, Münster, 1913, t. I, p. 513 et 91.

vij nonas [2] martii. Hac die fui translatus ad ecclesiam Valentiniensem anno MCCCLIJ.

iiij nonas [5] martii. Hac die fui factus auditor palatii anno Domini MCCCXLIIJ (a).

xij kalendas aprilis [22 martii]. Hac die fui consecratus episcopus anno Domini millesimo CCCXLVIIIJ.

iiij nonas [3] aprilis. Hac die decessit dominus Nicholaus, archiepiscopus Rothomagensis, anno Domini MCCCXLVIJ.

iiij nonas [5] maii. Hac die fui translatus ad ecclesiam Lucionensem anno Domini MCCCLIIIJ.

vij idus [9] maii. Hac die transfretavi mare, rediens de Anglia, anno [MCCC]LV.

Kalendis [1] junii. In hoc mense fui presentatus, examinatus, et habui licentiam anno Domini MCCCXXXIX.

iv kalendas julii [28 junii]. Hac die decessit dominus P[etrus], prior claustral is ecclesie Tholosane, patruus meus, anno MCCCXLVIJ.

[752] viij ydus [8] julii. Hac die natus est Johannes anno MCCCXLVIIJ.

iv ydus [12] julii. Hac die decessit Tholose Stephanus, monachus Aureliacensis, nepos meus, anno MCCCXLVIJ.

xij kalendas augusti [21 julii]. Hac die decessit B., nepos meus, in Bellicadro, anno millesimo CCCXLIIIJ, et jacet ante altare beati Nazarii.

v (b) ydus [9] augusti. Hac die factus fui auditor contradictarum anno Domini MCCCL.

xix kalendas septembri [14 augusti]. Hac die fui factus episcopus Regensis anno Domini MCCCXLVIIJ.

v kalendas octobris [27 septembri]. Hac die decessit dominus meus cardinalis de Gardia anno Domini MCCCXLIIJ.

Kalendis [1] octobris. Hac die fui factus doctor Tholose anno Domini MCCCXXXIX.

xij kalendas decembris¹ [21 novembris]. Hac die fui translatus ad ecclesiam Elnensem [anno] millesimo CCCLIIIJ.

viii [vel] viij (c) kalendas decembris. Anno Domini MCCCIX fui natus hic, quantum potui informari.

viii ydus [6] decembris. Hac die in tertiiis migravit dominus Clemens papa VJ, anno MCCC quinquagesimo secundo.

a) MCCCLXII, *Bal.* — b) iv, *Bal.* — c) viii, *Bal.*

1. D'après Eubel, t. I, p. 239, ce fut le 20 novembre.

xv kalendas januarii [18 decembris]. Hac die fuit assumptus dominus cardinalis Ostiensis in summum pontificem anno MCCCLIJ inter tertiam et meridiem.

CLXVII

**INNOCENTII VI EPISTOLA¹ AD BERNARDUM, EPISCOPUM AQUENSEM,
QUA EI FACIT POTESTATEM EUNDI PEREGRE AD TERRAM SANCTAM. —**
Avignon, 6 mars 1358.

Venerabili fratri Bernardo, episcopo Aquensi, salutem, etc. Tue devotionis exigentibus meritis, votis tuis libenter annuimus, et petitiones tuas in hiis que honeste postulas, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus. Cum itaque, sicut oblate nobis tue pe[753]titionis series continebat, tu zelo pie devotionis accensus sepulcrum dominicum et alia oratoria Terre Sancte desideres personaliter visitare, nos tuis in hac parte supplicationibus inclinati quod sepulcrum et alia oratoria supradicta una cum triginta personis quas ad hoc duxeris eligendas, quibuscumque prohibitionibus, constitutionibus et processibus Sedis apostolice in contrarium habitis seu etiam promulgatis penas et sententias spirituales et temporales continentibus nequam obstantibus, ex causa predicta valeas visitare, illaque nichilominus pro hujusmodi visitatione deferre ac etiam exhibere sine quibus peregrinationem hujusmodi commode adimplere non posses, dummodo ad partes illas nulla alia tu aut illi deferatis vel deferri faciatis que in profectum vel favorem hostium fidei christiane redundare valeant, tibi et eisdem personis auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo, etc., nostre concessionis infringere, etc. Datum Avinioni, iij nonas martii, anno sexto.

CLXVIII

**EJUSDEM INNOCENTII VI BULLA² QUA STEPHANUM ALBERTI, QUEM
PRAEFECERAT ECCLESIAE CARCASSONENSI, COMMENDAT ARCHIEPIS-
COPO NARBONENSI. —** Avignon, 10 mars 1361.

Innocentius, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri.. archiepiscopo Narbonensi salutem et apostolicam benedictionem. Ad

1. La bulle manque dans le Reg. Avin. 139, quoiqu'elle figure dans l'index, folio 31 v°; ex regesto anni sexti Innocentii VI; Bal. — 2. D'après le Reg. Avin. 147, fol. 153 r°. Ex authenticō, Bal.

cumulum tue cedit salutis et fame si personas ecclesiasticas, presertim pontificali dignitate preditas, divine propitiationis intuitu opportuni presidii ac favoris gratia prosequaris. Ecclesia siquidem Carcassoniensi ex eo apud Sedem apostolicam vacante quod nos hodie venerabilem fratrem nostrum Gaffredum, episcopum tunc Carcassonensem, in archiepiscopum Tholosanensem electum, apud Sedem constitutum eamdem, a vinculo quo ipsi Car[754]cassonensi ecclesie tenebatur de fratum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad ecclesiam Tholosanensem tunc vacantem duximus transferendum, preficiendo ipsum eidem ecclesie Tholosanensi in archiepiscopum et pastorem, nos ad provisionem celerem et felicem ipsius ecclesie Carcassonensis, ne longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentibus, post deliberationem quam de preficiendo eidem Carcassonensi ecclesie personam utilem et etiam fructuosam habuimus cum nostris fratribus diligentem, demum ad dilectum filium Stephanum, electum Carcassonensem, notarium nostrum, in minoribus ordinibus constitutum, litterarum scientia peditum, morum gravitate decorum, in spiritualibus providum, et in temporalibus circumspectum, aliquisque multiplicitum virtutum meritis familiari experientia nobis notis laudabiliter insignitum direximus oculos nostre mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona ipsius Stephani prefate ecclesie Carcassonensi de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providimus, ipsumque Stephanum illi prefecimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius eidem Stephano electo in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod eadem ecclesia Carcassonensis per ipsius Stephani electi providentie studium preservabitur a noxiis et adversis, ac in eisdem spiritualibus et temporalibus proficiet incrementis. Cum igitur ut idem electus in commissa sibi dicte Carcassonensis ecclesie cura facilius proficere valeat, tuus favor sibi esse noscatur plurimum opportunus, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente per apostolica tibi scripta mandantes quatinus eumdem electum et commissam sibi dictam Carcassonensem ecclesiam tibi metropolitico jure subiectam habens pro nostra et dicte Sedis [755] reverentia commendatos, in ampliandis et conservandis juribus suis sic eum tui favoris presidio prosequaris quod ipse per tue auxilium gratie se possit in commisso sibi ejusdem Carcassonensis ecclesie regimine utilius exercere, tuque divinam misericordiam et

ejusdem Sedis benivolentiam valeas exinde uberioris promereri.
Datum Avinioni, vj ydus martii, pontificatus nostri anno nono.

CLXIX

LITTERAE¹ JOANNIS REGIS FRANCORUM PRO HUGONE ROGERII CARDINALE. — Villeneuve-lez-Avignon, 28 avril 1363.

Johannes, Dei gratia Francorum rex, senescallo Bellicadri et Nemausi, rectori et judici regio Montispessulani, ceterisque justiciariis nostris, aut eorum loca tenentibus, salutem. Cum carissimus amicus noster cardinalis Tutellensis ratione beneficiorum suorum quorumcumque nobis certam decimam pro nostra redemptione persolvat quemadmodum alie ecclesiastice persone, mandamus vobis et vestrum cuilibet quatinus ipsum aut gentes suas ratione talliarum impositarum vel subsidiorum quorumcumque pro bonis que habet et possidet ratione beneficiorum suorum ad solvendum tallias impositas vel subsidia nullatenus compellatis aut molestatis, compelli aut molestari permittatis, quantumcumque beneficia sua fuerint aliquibus personis arrendata, sed si quid contra ipsum aut gentes suas in contrarium factum extiterit, id ad statum pristinum et debitum reducatis aut reduci faciatis indilate, quia hoc sic fieri volumus, et si necesse fuerit, concedimus de gratia speciali, litteris subreptitiis in contrarium impe tratis vel impetratis non obstantibus quibuscumque. Datum apud Villamnovam prope Avignonem, xxvij die aprilis, anno Domini MCCCLXIIJ.

CLXX

[756] MANUMISSIO² PRO GUILLELMO GRIMOARDI ET EJUS SUBDITIS IN SENESCHALLIA BELLICADRI MORANTIBUS. — Villeneuve-lez-Avignon, mai 1363.

Johannes Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod nos propensius attendentes sincere dilectionis affectum quem sanctissimus in Christo pater et dominus dominus Urbanus divina providentia papa quintus, dum erat in minoribus constitutus, quemque post ipsius promotionem ad summum pontificatus apicem ad nos et regnum nostrum hactenus habuit

1. Ex vetustissima scheda manuscripta, *Bal.*; pièce non retrouvée. — 2. Ex archivio regio Parisiensi, *Bal.*; pièce non retrouvée.

et habet incessanter, prout experientia facti super hoc nos efficit certiores, volentes ea propter ipsius sanctissimi patris contemplatione dilecto et fideli militi nostro Guillelmo Grimoardi, ipsius sanctissimi patris patri naturali et legitimo, ac domino loci de Grisaco, gratiam facere specialem et eumdem favore prosequi gratioso, et ut de dicti domini summi pontificis sancta promotione in privilegiis, franchisiis hominibus et subjectis dicti nostri militis et ejus successorum per nos concessis in perpetuum felix et inclita memoria habeatur, quodque ut dictus miles noster ac ejus successores ipsorumque subjecti ipsius domini nostri pape contemplatione exempti a jugo et onere plurium servitutum ditiores effecti in procreatione naturali dicti domini pape ac sui status in summum apicem exaltatione continuis benedictionibus gratulentur, eidem militi pro se et suis heredibus et successoribus perpetuo dominis dicti loci de Grisaco concessimus, et de gratia speciali concedimus per presentes ut ipsorum homines in castris et mandamentis et pertinentiis locorum de Grisaco, de Belagarda, ville de Bedoesco, et mansorum de Montebello, de Grassovillari dyocesis Mimatensis et alias in nostra senescallia Bellicadri commorantes [757], jurium et pertinentiarum eorumdem, presentes et futuri, usque tamen ad numerum ducentorum fotorum, ab omnibus subventionibus, impositionibus, talliis, focagiis, calvacatis, angariis, parengariis et aliis oneribus quibuscumque perpetuis temporibus quitti sint et immunes, nec ad premissa nobis solvenda seu in eisdem contribuere per nos, officarios nostros vel alios aliquatenus compellantur aut compelli possint nunc vel in futurum quoquo modo, exceptis tamen subventionibus vel oneribus pro redemptione nostra impositis vel in posterum imponendis, a quibus quidem subventionibus et oneribus prefatos homines dicti loci nullatenus eximi, sed ad ea solvenda prout ceteri nostri regnicole tenebuntur et tenentur, teneri volumus et astringi. Quapropter dilectis et fidelibus gentibus camere compotorum nostrorum Parisius, senescallo et receptoribus nostris Bellicadri et Nemausi, ceterisque justiciariis et officiariis nostris presentibus et futuris vel eorum locatenentibus et cuilibet eorumdem damus tenore presentium in mandatis quatinus prefatum militem ipsiusque heredes et successores dominos dicti loci de Grisaco, jurium et pertinentiarum ejusdem, homines, habitantes et subditos predictos nostra presenti gratia uti et gaudere perpetuo faciant vel permittant, ipsos vel eorum alterum in contrarium non turbantes aut perturbari permittentes quoquo modo. Quod ut firmum et stabile permaneat in futurum, nostrum presentibus litteris fecimus apponi sigillum.

Nostro in aliis et alieno in omnibus jure semper salvis. Datum apud Villamnovam prope Avinionem, anno Domini MCCCLXIIJ, mense maii.

CLXXI

[758] TESTAMENTUM¹ DALPHINAE DE CASTRONOVO, UXORIS NICOLAI DE JUDICIA. — Avignon, 30 avril 1364.

In nomine sancte et individue trinitatis patris et filii et Spiritus Sancti. Amen. Anno ejusdem MCCCLXIV, die martis ultima mensis aprilis, inductione secunda, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Urbani divina providentia pape V anno secundo. Noverint universi presentes pariter et futuri quod ego Dalphina de Castronovo, domina de Castronovo et de Sancto Remigio, Mimatensis et Vivariensis diocesum, uxor nobilis viri Nicolai Judicis domini de la Vineria, infirma quidem corpore, mente vero per Dei gratiam bene sana, attendens et considerans quod nil certius morte nilque incertius hora mortis, cupiens supremum diem mortis mee ordinatione testamentaria prevenire, ac volens de anima et corpore ac bonis meis ordinare, meum testamentum facio, condo, et ordino, seu honorum meorum dispositionem in modum qui sequitur infra scriptum; quod valere volo jure ultimi mei testamenti, et si valere non possit jure ultimi testamenti, saltem valeat jure codicillorum vel cuiuslibet alterius mee ultime voluntatis. In primis animam meam, quando egredietur de corpore, commendo omnipotenti Deo creatori meo et beatissime Marie virginis ejus genitrici ac beato Johanni Baptiste et beato Michaeli archangelo et toti curie civium supernorum, eligens corpori meo sepulturam in loco ubi parentes mei sepulti sunt. Et in remissionem peccatorum meorum et parentum meorum predicatorum volo et ordino quod de bonis et redditibus meis fundentur et dotentur due perpetue capellanie, quelibet de decem libris redditualibus amortisatis seu amortisandis, per heredes meos infrascriptos in loco ubi prefati domini parentes mei sepulti [759] sunt; in quo, ut premittitur, volo sepeliri. Quas capellalias volo muniri et ornari decenter de predictis bonis meis indumentis sacerdotalibus, duobus calicibus, et duobus missalibus competenter per heredes meos infrascriptos juxta et secundum ordinationem infrascriptorum executorum meorum. Item volo et ordino quod duo milia missarum dicantur et cele-

1. Ex vetero regesto senescalliae Nemausensis, *Bal.*; pièce non retrouvée.

brentur in remissionem peccatorum meorum ac dominorum parentum meorum predictorum, videlicet mille in terra Gaballitana, et mille in terra Vivariensi; pro quibus celebrandis detur et distribuatur pro singulis missis secundum ordinationem executorum meorum infra-scriptorum. Item lego cuilibet conventui fratrum et religiosorum mendicantium in terra Gaballitana centum solidos semel solvendos amore Dei, ipsos fratres et religiosos deprecans ut in remissionem peccatorum meorum et predictorum parentum meorum missas et alia divina officia celebrent et preces effundant. Item lego monialibus monasterii de Merceyra, Mimatensis dyocesis, amore Dei viginti quinque florenos auri semel solvendos, ipsas moniales rogans ut missas et alia divina officia pro remedio anime mee ac parentum meorum predictorum faciant celebrari. Item cum heredes Astorgii quondam domini de Aurelhiaco, avi mei materni, teneantur michi in certa pecunie summa ex dotis constitutione ac promissione facta domine matri mee filieque Astorgii supradicti, ipsis heredibus remitto et lego medietatem summe in qua ratione dotis predicte michi possent teneri. Item lego Nicolao domino de la Vineria, domino et marito meo predicto, duo milia florenorum auri semel sibi solvendos, necnon castrum de Sancto Remigio, Vivariensis dyocesis, per ipsum tenendum et possidendum quamdiu vitam duxerit in humanis. Volo tamen quod post ejus obitum ad heredes meos infrascriptos libere revertatur. Item volo et ordino quod Guidoni..... domicello, qui michi et meis diutius ser[760]vivit, fiat plena et integra satisfactio de servitiis per ipsum mihi et meis impensis, et etiam in domicellabus et aliis servitoribus meis juxta voluntatem et ordinationem meorum executorum infra-scriptorum. In omnibus autem aliis bonis meis mobilibus et immobilibus, juribus, actionibus, preventibus, presentibus et futuris, ad me quovis modo spectantibus, instituo heredes meos, videlicet dominam Marag-dam de Castronovo, dominam de Lauduno, amitam meam, in duabus partibus, et in tribus partibus residue tertie partis instituo alteram heredem meam dominam Marquesiam de Castronovo, alteram amitam meam, et in residua quarta parte ipsius tertie partis instituo meos heredes liberos de Senareto, filios alterius amite mee, domine Guigone de Castronovo, sororis quondam domini genitoris mei. Et volo quod ante omnia legata mea emende et forefacta integre persolvantur. Hujus vero mei testamenti seu mee ultime voluntatis executores facio et constituo reverendissimos in Christo patres dominos Egi-dium, tituli Sancti Martini in montibus presbiterum, et Guillelmum, Sancte Marie in Cosmedin dyaconum cardinales, ac Bertrandum

archiepiscopum Ebredunensem, dominum Mauritium de Barda, decanum Bituricensem, domini nostri pape capellatum, ac Guidonem..... supradictum. Cui domino cardinali Morinensi dono et concedo plenam potestatem declarandi predicta omnia supra per me ordinata et facta et addendi et detrahendi prout sibi videbitur faciendum, sic et taliter quod hujusmodi meum testamentum seu mea ultima voluntas perpetuam obtineat roboris firmitatem in omnibus et singulis suprascriptis. Et in manibus ejusdem et aliorum executorum meorum suprascriptorum pono omnia bona mea ex nunc, et dono eis plenam et liberam potestatem retinendi realiter et de facto absque alicujus superioris licentia seu mandato omnes et singulos fructus, redditus, et proventus, emolu[761]menta, et jura quecumque bonorum meorum predictorum, et ipsos distrahendi donec et quousque executio hujus mei testamenti et omnia et singula per me supra dicta et ordinata perfecta fuerint et etiam completa. Volo etiam et ordino quod duo ex ipsis executoribus meis prenominatis predictam meam ultimam voluntatem possint et valeant adimplere et exequi prout in ipso testamento continetur. De quibus omnibus suprascriptis peto per vos notarios infrascriptos et quemlibet vestrum in solidum fieri unum et plura publicum et publica instrumenta. Acta fuerunt hec Avinioni in domo habitationis ipsius domine Dalphine, testaticis predicte, in librata prefati domini cardinalis Guillelmi anno, die, mense, inductione et pontificatu predictis, presentibus prefatis dominis Egidio et Guillelmo cardinalibus et reverendis in Christo patribus dominis Johanne, Eugubinensi, et Nicolao, Viterbiensi episcopis, et magistro Mauritio de Barda, ac Reginaldo de Neomio, et Petro Niciani canonico Lausanensi camerario dicti domini Egidii cardinalis, et Salvatore, Agathensis, Rostagno de Chaslussio, Urgellensis, et Gauffrido Reveni, Beate Marie de Andeliaco Rothomagensis dyocesis ecclesiarum canonicis, ac fratre Deodato Ruphi, ordinis fratrum Minorum, socio dicti domini episcopi Eugubinensis, cum pluribus aliis testibus ad premissa vocatis per dictam testaticem specialiter et rogatis. Et me Petro Stephano, clero Narbonensi, publico apostolica et imperiali auctoritate notario, qui suprascriptis omnibus et singulis, etc.

In eodem veteri regesto adnotatum est nobilem Guillelmum de Lauduno, domicellum, praesentasse hoc testamentum locumtenenti seneschalli Nemausensis anno MCCCLXXVIII, die jovis intitulata vii mensis octobris, ut de cetero tanta fides praedicto transcripto adhiberetur ubique terrarum in judicio et extra quanta dicto instrumento originali adhibetur et adhiberetur.

CLXXII

[762] INVENTARIUM¹ PECUNIAE NUMERATAE QUAE INVENTA EST IN ARCA
HUGONIS ROGERII CARDINALIS POST EJUS MORTEM. — 26 mai 1364.

In Christi nomine. Nos, miseratio[n]e divina Guillelmus tituli Sancte Marie in Trans Tyberim presbiter, Guillelmus Sancte Marie in Cosmedin, Nicholaus Sancte Marie in via lata, Petrus Sancte Marie nove, Hugo Sancte Marie in porticu diaconi sancte romane Ecclesie cardinales, executores testamenti seu ultime voluntatis bone memorie reverendissimi patris domini Hugonis Rogerii, tituli Sancti Laurentii in Damaso presbiteri cardinalis, dicti Tutellensis, in hospitio mei, Petri Sancte Marie nove cardinalis, convenientes et congregati in unum pro subscriptis, convocatis et convenientibus nobiscum venerabilibus patribus dominis Bertrando, Convenarum, et Johanne, Cabilonensis ecclesiarum episcopis, ac Helia de Vodro, cantore Xantonensi, coexecutoribus nostris, die videlicet xxvij mensis maii anno a nativitate Domini MCCCLXIV, inductione secunda, pontificatus sanctissimi patris et domini nostri domini Urbani divina providentia pape V anno secundo, testibus presentibus vocatis et rogatis ad hoc magistro Petro de Cassanhis, domini pape scriptore, Petro Guiraudonis, Senonensis, et Geraldo de Sulleyo, Tullensis ecclesiarum canonicis, inventarium alias inchoatum de bonis et rebus que fuerunt prefati quondam domini Hugonis Rogerii cardinalis tam per nos quam certos alias deputatos a nobis continuando certum saccorum et bursarum numerum penes me, Petrum cardinalem, de consensu et voluntate nostrorum aliorum cardinalium predictorum, plures et diversas monetarum auri et argenti pecuniarum quantitates continentium in quodam coffro rubeo ferrato existentium coram nobis executoribus [763] superius nominatis fecimus apportari. Quibus saccis et bursis per nos in presentia testium predictorum recognitis et numeratis, recognitisque sigillis quibus dicti sacci et burse de mandato nostrorum cardinalium executorum predictorum sigillate erant, reperimus saccorum et bursarum numerum sicut deposueramus sigillatos, ac predictos saccos et bursas ibidem aperiui[m]us successive; in quibus fuerunt per nos omnes executores superius dictos reperti, numerati

1. D'après le ms. Baluze 21, fol. 59 r^o (Bibliothèque nationale de Paris); copie prise dans les archives de l'église de Saint-Germain de Maseré.

pavilhioneles auri. Item quingenti agni auri. Item nonaginta septem ducati auri. Item centum floreni auri boni et ponderis camere. Item ducenti sexaginta tres floreni auri de Florentia ponderis Florentie. Item quingenti et undecim floreni auri regine Sicilie, cum quatuor florenis auri de Florentia. Item nongenti floreni auri del grayle. Item ducenti nonaginta duo grossi argenti papales, qualibet pecia pro duobus solidis monete Avinionensis; qui valent ad florenos, duodecim grossis computatis pro uno floreno, viginti quatuor florenos et tres grossos. Item decem et novem libre et quindecim solidi sterlingi argenti, qui valent ad florenos, qua[765]libet pecia pro quatuor denariis computata, sexaginta sex florenos auri. Item in pavilhionibus argenti, decem et novem computatis pro uno floreno, valent ducentos et triginta quatuor florenos auri. Item in grossis turonensibus argenti regis Philippi quinque mille grossi; qui valent ad florenos, decem grossis computatis pro uno floreno, quingentos florenos auri et amplius. De iisdem turonensibus sexcenti et nonaginta tres grossi; qui valent ad florenos, computatis decem pro uno floreno, sexaginta novem florenos auri cum tribus grossis. Item mille centum et viginti grossi papales de duobus solidis et quatuor denariis pro pecia monete Avinionensis; qui valent ad florenos, decem grossis computatis pro uno floreno, centum et duodecim florenos auri. Item mille et nonaginta novem grossi argenti vocati crossati; qui valent ad florenos, duodecim grossis computatis pro uno floreno, nonaginta et unum florenos auri cum septem crossatis. Item in duodenis argenti, computatis viginti quatuor pro uno floreno, ascendunt octuaginta duos florenos auri una cum uno floreno auri et septem grossis argenti. Item in moneta nigra regni Francie, videlicet parvis turonensibus, qui valent ad florenos, computatis viginti solidis pro uno floreno, triginta florenos auri. Quibus pecuniis sic receptis, visis, et palpatis, et in nostrorum executorum presentia diligenter ponderatis, in saccis et bursis predictis ut prius eas reponi fecimus ac in predicto coffro rubeo ferrato, a quo extracte fuerant, iterato includi per me, Petrum cardinalem, conservandas per aliquod modicum tempus de voluntate et consensu et ad preces et instantiam nostrorum cardinalium aliorum executorum, cum promissione ei facta de exonerando eum a premisso deposito breviter et aliter ordinando. Sciendum est tamen quod ultra summas superius annotatas fuerunt per nos cardinales executores predictos interdum, et interdum per me, cardinalem Bellifortis, solum de[766] voluntate tacita et conscientia nostrorum aliorum executorum, et vocatis domino Convenarum et magistro Helia supradictis, flore-

norum et aliarum monetarum quantitates subscripte tradite et extracte de bonis et pecuniis prefati quondam domini cardinalis et ante factionem presentis inventarii pro negotiis dicte executionis, videlicet exequiis, debitibus et querelis solvendis et quibusdam annuis faciendis et aliis expediendis, prout in libro executionis particulariter continentur, que non includuntur in summis et pecuniis supradictis, quamvis in ipsis fiat mentio in libro executionis predicte. Et primo die obitus quinque millia florenorum de Florentia. Item die xxiv mensis februarii, quinque millia florenorum auri del grayle. Item in duabus aliis vicibus successive decem millia florenorum del grayle. Item ab alia parte mille octingenti septuaginta quinque floreni de camera. Item ab alia parte mille sexcenti viginti sex floreni de cruce de pecuniis. Item ab alia parte in diversis monetis auri et argenti evaluatis ad florenos de cruce nongenti quadraginta tres floreni, quindecim solidi, et sex denarii. Item plus septingenti quadraginta quinque floreni papales fortes. Item a domino Convenarum episcopo sex millia florenorum auri de cruce, quos debebat dicte executioni, restitutis ei per nos certis monetis aureis in pignus per eum traditis pro dictis sex millibus florenorum prefato domino cardinali, dum viveret. Sciendum est etiam quod non includuntur hic in presenti inventario aliquae aliae pecunie auri et argenti reperte inter alia bona dicti quondam domini cardinalis, cum de illis in alio inventario coram magistris Raymundo... et Geraldo de Sulleyo notariis publicis facto immediate post obitum prefati domini cardinalis de vexella, jocalibus, ornamentiis, libris, utensilibus, lectisterniis, et rebus ac bonis aliis prefati quondam domini cardinalis specialis et expressa mentio habeatur. In quorum om[767]num fidem et testimonium presentem cedulam seu scripturam per dominum Geraldum de Sulleyo alterum de testibus supradictis scribi mandavimus et nostris propriis manibus hic inferius nos subscrisimus et apposuimus sigilla nostra. Datum et actum ut supra.

Ego, Guillelmus, tituli Sancte Marie in Trans Tyberim presbyter cardinalis, premissis interfui et propria manu hic me subscrisi.

Ego, Guillelmus, Sancte Marie in Cosmedin diaconus cardinalis, executor, premissis interfui et propria manu hic me subscrisi.

Ego, Nicholaus, Sancte Marie in via lata diaconus cardinalis, executor, premissis interfui et propria manu hic me subscrisi.

Ego, Petrus, Sancte Marie nove diaconus cardinalis, executor, premissis presens fui et manu propria me subscrisi.

Ego, Hugo, Sancte Marie in Porticu diaconus cardinalis, executor, premissis presens fui et manu propria me subscrispi.

Ego, Bertrandus, episcopus Convenarum, executor, premissis interfui et manu propria me subscrispi.

Ego, Johannes, episcopus Cabilonensis, executor, premissis interfui et manu propria me subscrispi.

Ego, Helias de Vodro, cantor Xanctonensis, executor, etiam premissis interfui et hic manu propria me subscrispi.

Ego, Geraldus de Sulleyo, Tullensis diocesis, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius et testis, premissis interfui et manu propria hic me subscrispi.

Pendent octo sigilla.

CLXXIII

ITER ITALICUM¹

URBANI V ROMANI PONTIFICIS

[768] Noverint universi et singuli quod anno Domini MCCCLXVJ die ultima menssis [30] aprilis, que fuit dies veneris, dominus noster papa Urbanus quintus exivit de Avinione pro eundo ad partes Romanas. Et primo ivit ad pontem Sorgie, et ibi dormivit duabus noctibus. Postmodum ivit Massiliam. Et recessit a dicta civitate xix die menssis maii. Et in recessu suo fecit unum cardinalem, qui vocatur de Acrofolio. Postea ivit Tholonus ad dormiendum, et domini cardinales cum eo, cum xxiiij galeis, et ego Jacobus de Velino ista vidi (*a*) et fui presens.

Item die jovis sequenti [20 maii] venit dictus papa in portu Olivo et ibi dormivit una nocte.

Item [die] veneris sequenti [21 maii] venit dominus noster papa in Portu Sancti Stephani.

Item die sab[b]ati sequenti [22 maii] descendit papa in Albenca, et omnes cardinales cum eo.

a) Les mots Jacobus... vidi ont été grattés et remplacés par ceux de Garoscus de Ulmoisca veteri, lecture adoptée par Bal.

1. D'après le ms. français 5728, fol. 3 r^o (Bibliothèque nationale de Paris); cf. F. Ehrle, dans *Archiv für Literatur-und Kirchengeschichte*, t. vii (1893), p. 311-420 ; A. Molinier, *Les sources de l'histoire de France*, t. iv, n. 3163, Paris, 1904; Albanès-Chevalier, *Gallia christiana novissima, Arles*, col. 703-704.

Item die dominica sequenti **xxiiij** menssis (*a*) maii intravit dictus (*b*) papa in Ganua, et omnes cardinales cum eo. Et ibi stetit per quinque dies in quadam domo que vocatur paradisus, que est prope mare.

Item die veneris sequenti **xxviii** dicti menssis maii recessit papa de Ganua, et omnes cardinales cum eo, et ivit in Portu Veneris, et ibi moratus fuit per tres dies.

Item die lune sequenti [31 maii] venit ad locum vocatum Salsadas ad refreshandum.

Item die martis sequenti, prima die menssis junii, venit papa in portu Pissano, et omnes cardinales cum eo.

Item die mercurii sequenti [2 junii] venit papa in portu Plumbini, et omnes cardinales cum eo.

Item die jovis sequenti [3 junii] venit in portu Corneti, et in Corneto moratus fuit [769] per quinque dies. Et locus ille est Patremonii Ecclesie, et in illo loco incipit Ytalia.

Item die martis post Pentecosten sequenti [8 junii] venit dominus noster papa in Toscanella, et ibi dormivit una nocte.

Item die mercurii sequenti, ix die menssis junii, intravit Viterbium, et ibi stetit per aliqua tempora. Et ista fuit prima vice.

Item eodem anno Domini millesimo CCCLXVIIJ, die quinta menssis septembris, eodem domino nostro papa Urbano papa quinto existente in Viterbio, Viterbienses fecerunt rumorem contra eundem papam et contra omnes cardinales. Et d. cardinalis Vabrensis et d. cardinalis Carca[s]sonensis iverunt ad palatium pape sine capello, et cardinalis Carcassonensis ivit in habitu fratris Minorum.

Item die **xnj** dicti menssis septembris fuerunt suspensi quinque homines in Viterbio ante domum cardinalis Carcassonensis.

Item die **xj** dicti menssis septembris fuerunt suspensi in furca duo homines ante portam dicti (*c*) cardinalis Vabrensis.

Item die **xvj** menssis octobris, que fuit dies sab[b]ati, dominus noster papa Urbanus quintus intravit Romam prima vice cum duobus milibus gentium armorum; et fuit sibi impenssus magnus honor per Romanos et per multos alios homines nobiles, de quorum numero non posset aliquis referre. Et ego talis vidi omnia.

Item **xvij** die mensis octobris visitavit dominus papa ecclesiam Sancti Johannis de Laterano (*d*), et dedit indulgentiam VIJ annos, VIJ quadragesimas (*e*).

a) omis par Bal. — b) omis [par Bal. — c) omis par Bal. — d) Letrano, ms. — e) quadragesimas, ms.

Item die ultima dieti menssis [31] octobris celebravit dominus papa in altari Sancti Petri, et dixit sic : *Sit nomen Domini benedictum, qui voluit quod ego complerem votum et voluntatem meam.*

Item die lune, prima mensis novembris, et festivitas Omnium Sanctorum, celebravit papa in eadem ecclesia Sancti [770] Petri, et dedit indulgencias VIJ annos, VIJ quadragenas.

Item in eodem mensse, s[c]ilicet novembris, in octavis sancti Martini, dedit papa indulgentias in hospitio cardinalis Guillelmi. Et tali die fuerunt sacrate ecclesie Sancti Petri et Sancti Pauli.

Anno Domini MCCCLXVIIJ, secunda die mensis martii, hora vesperorum, dictus papa Urbanus ivit ad Sanctum Johannem de Leterano, et ibi dormivit una nocte. Et tertia die ejusdem mensis demo[n]stravit capita sancti Petri et sancti Pauli apostolorum. Et etiam erat presens capud sancte Agnetis. Et dominus papa portabat caput sancti Petri, et cardinalis Urgellensis portabat capud sancti Pauli. Et omnes cardinales erant presentes, et gentes sine numero. Et dedit papa cuilibet persone ibi existenti centum annorum (*a*) et centum quadragenas de vera indulgentia.

Item eodem anno domina regina Johanna Cicilie et Jhierusalem venit Romam, et etiam rex Chipri, et filius suus, tempore quadragesimali. Et dominus papa erat Rome; deliberavit quod volebat tradere rosam regine Cicilie. Dominus noster papa dedit ei rosam. Verum est quod quidam cardinales murmuraverunt et dixerunt quod male factum est quod in presentia regis Chipri et filii sui mulier reciperet rosam. Et papa respondit statim : *Dimitatis ista verba, quia etiam nunquam fuit visum quod abbas Massiliensis fuisse papa.* Et tunc omnes cardinales tacuerunt et alii.

Item eodem anno et die jovis xj menssis maii dominus noster papa Urbanus papa V exivit de Roma prima vice, et ivit ad castrum Montiflasconis.

Item eodem anno, die xxij menssis septembbris, dominus noster papa Urbanus V fecit de castro Montiflasconis civitatem. Et in illa die etiam fecit octo cardinales.

Et etiam fecit eadem die de cardinalibus diaconis presbiteros, scilicet dominum cardinalem Guillelmum et do[771]minum cardinalem Carcassonensem, in capel[la] pape.

Item eodem anno, et die xvij mensis octobris, que fuit die martis, venit dominus inperator Romanorum in civitate Viterbiensi, in qua

a) lege annos.

erat dominus noster papa Urbanus quintus (*a*). Et dictus imperator pransus fuit cum eo.

Item eodem mensse dominus imperator reces[s]it a dicta civitate, et ivit Romam. Postmodum dominus noster papa ivit post eum, et intravit Romam die xxix mensis octobris. Et dictus imperator erat extra Romam in quadam ecclesia que vocatur Beate Marie Magdalene, que distat a Roma per tertiam partem unius leuce. Et ivit dictus imperator de dicta ecclesia Romam pedestre, tenens frenum domini nostri pape ab una parte, et comes Sabaudie ab alia. Et iverunt ad ecclesiam Sancti Petri.

Item eodem mensse octobris xxix die, que fuit dies dominica, intravit Romam imperatrix, et omnes cardinales exiverunt ey obviam extra urbem, et fecerunt ei reverentiam, et multe alie gentes quas non possum refer[r]e.

Item eodem anno, et prima die mensis novembris, que fuit dies mercurii et festivitas Omnium Sanctorum, dominus noster papa Urbanus quintus celebravit in altari Sancti Petri, et etiam illa die coronavit dominam imperatricem ante dictum altare. Et dominus cardinalis Ostiensis unxit eam oleo sancto ex dextera et sinistra parte et retro dorsum. Et ibi erat presens dominus imperator et omnes cardinales. Et illa die fecit dominus imperator milites, presente domino nostro papa, in eadem ecclesia ante altare. Et etiam dominus imperator erat servitor in altari domini nostri pape, et servivit ei de libro et de corporalibus sicut diaconus debet facere; excepto quod non dixit envangelium, quia non debet dicere nisi in natali Domini.

Item eadem die, domina imperatrix equitavit per medium Romam coronata (*b*), et super pontem Sancti Angeli fe[772]cit milites ipsam, et ivit ad Sanctum Johannem de Leterano. Plura nova sunt perfecta illa die in Roma que non possunt refer[r]i.

Item eodem anno corpus beatissimi Thome doctoris, ordinis Predicorum, fuit portatum ad civitatem Montisflasconis, videlicet domino nostro pape Urbano V qui tradidit eum magistro Helie, magistro ordinis Predicorum. Et ipse illud portare fecit ad domum domini cardinalis Ostiensis ex caxa ubi caput et caxa ubi corpus erant. Et postea fuit translatum per dictum magistrum Heliam in Tholosa, et ibi est realiter.

Anno Domini MCCCLXVIIJ, die xj aprilis, que fuit tertia die Pa[s]c[h]e, dominus Ludovicus dux d'Ango, frater regis Francie, asse-

a) omis par Bal. — b) coronatam, ms.

tiavit sivitatem Arelatensem, et ibi tenuit pro eo setion dominus Bertrandus de Cliquino, comes Longevile, usque die prima mensis madii. Et illa die recesserunt, exceptis illis (*a*) qui remanserunt mortui.

Anno Domini MCCCLXIX dominus noster papa Urbanus quintus recessit de Roma, secunda vice, die mercurii xj mensis aprilis, et ivit ad Montemflasconem. Et ego talis eram presens.

Item eodem anno, die xiiij mensis octobris, que fuit die sabbati, dominus noster papa Urbanus V intravit Romam, recte veniens de Viterbio.

Item die xiiiij mensis octobris dominus papa celebravit in capel[la] sua secreta, et postea equitavit ad Sanctum Johannem Lateranensem per medium Rome ad audiendum unam mis[s]am. Et mis[s]a dicta, recessit, et ivit ad Sanctum Paulum, et ibi pransus fuit et dormivit, et plures cardinales cum eo. Post dormitionem reversus fuit in palatium suum juxta Sanctum Petrum.

Item xviij die mensis octobris predicti anni, que fuit die jovis, dominus inperator Grecorum, alias de Constantinnoble, fuit in una ecclesia vocata Sancti Spiritus prope Sanctum Petrum Rome. Et illa die confessus est in [773] eadem ecclesia fidem catholicam, et confessus est romanam Ecclesiam esse dominam etc. et se velle tenere et credere que ipsa romana Ecclesia tenet et predicit, presidentem in ea dominum Urbanum esse verum locumtenentem Dei, et er[r]ores Grecorum reprobavit, et in presentia alicorum dominorum cardinalium, de quibus fuit unus dominus cardinalis Ostiensis, secundus fuit dominus cardinalis Neapolitanus, tertius fuit dominus Reginaldus de Urs[in]is, quartus fuit dominus cardinalis S. Petri.

Item die xxij mensis octobris, que fuit die dominica (*b*), dominus noster papa Urbanus quintus exivit de palatio suo Rome, et ivit coram ecclesia Sancti Petri super scalam; et ibi erat una cathedra (*c*) bene parata pro eo cum omnibus cardinalibus et prelatis indutis cum eo. Et papa sedebat in cathedra (*d*) solus in pontificalibus. Et statim venit inperator Grecorum, alias de Constantinnoble, ad eum. Et tam cito quod vidit papam flexit genua tribus vicibus. Isto facto, venit ad papam, et osculavit pedes ejus, manus, et os. Et postea sur[r]exit, et accepit dictum dominum inperatorem per manum, et incepit dicere *Te Deum laudamus*, etc. Et intraverunt in ecclesiam Sancti Petri insimul. Et in eadem ecclesia papa tam cito cantavit missam. Et ibi erat presens dictus inperator cum multa congrega-

a) exseptos illos, *ms.* — *b)* lege lune. — *c)* catreda, *ms.* — *d)* catreda, *ms.*

tione (a) Grecorum. Et eadem die dominus imperator pransus fuit cum papa et etiam omnes cardinales.

Anno Domini millesimo CCCLXX et die lune, que fuit xv mensis aprilis, dominus noster papa erat Rome, et misit ad ecclesiam Sancti (b) Johannis de Leterano duas ymagines capitum Petri et Pauli apostolorum ad ponendum ipsorum capita. Et dicte imagines erant in palatio domini nostri pape juxta Sanctum Petrum. Et dictus papa precepit tribus cardinalibus, de quibus unus erat dominus Reginaldus de Ursinis, et alter dominus cardinalis Bel[l]iforti[s], et tertius erat dominus cardinalis Sancti [774] Petri de Roma. Et omnes ecclesiastici de Roma induiti erant cum eis cum magna processione et [h]onore et etiam multi prelati. Et dicti tres cardinales iverunt pedes de dicto palatio usque ad dictam ecclesiam. Que ecclesia distat bene a dicto palatio per unam leucam vel quasi (c). Et capita propria dictorum Petri et Pauli apostolorum erant in quadam capella que vocatur Sancta Sanctorum, et fuerunt posita in dictis ymaginibus, et dicti tres cardinales posuerunt in presentia totius populi, qui erant sine numero. Postmodum dicte ymagines cum capitibus propriis fuerunt portate super magnum altare ipsius ecclesie quod fecit fieri de novo dictus dominus noster papa. Et dicte ymagines sine mendacio cum auro et argento et lapidibus pretiosis in eisdem positis valent CL milia florenorum. Et dominus noster papa dixit de ore suo. Et ego talis vidi, et fui presens, et osculatus fui dictas (d) ymagines supradictas.

Item eodem anno, et die mercurii, que fuit die xviij mensis aprilis, dominus papa Urbanus V exivit de Roma ultima vice, et venit Viterbiuum die jovis (e) xix mensis aprilis cum magna societate gentium armorum, quia habebat guerram cum quodam (f) tiranno qui vocatur Prefectus (g). Postmodum die lune sequenti [22] mandavit dictas gentes armorum ad ponendum obsedium cuidam castro, quod est dicti Prefecti (h), quod vocatur Vetrala.

Item eodem anno, et die xxij dicti mensis maii, venerunt ambassiatores Romanorum ad civitatem Montisflaconis ad dicendum domino nostro pape quod placeret sibi redire Romam. Et papa respondit sic : *Bene veneritis, filii mei. Sanctus Spiritus duxit me ad partes istas, et reducat me ad alias ad honorem sancte Ecclesie. Et si non sum vobiscum personaliter, tamen ero cordialiter.*

a) congregationem, ms. — b) beati, Bal. — c) casi, ms. — d) dictis (sic), ms. — e) lege veneris. — f) codam, ms. — g) perfectus ms. — h) perfecti, ms.

Item die xxiiij dicti menssis papa invitavit dictos ambaxiatores et Prefectum (*a*), et pransi fuerunt secum in palatio suo.

[775] Item eodem anno, et die veneris, que fuit septima mensis junii, dictus dominus noster papa Urbanus quintus fecit duos cardinales in civitate Montisflasconis; quorum fuit unus d. cardinalis Bituricensis, et alter d. cardinalis Florentinus.

Item postmodum papa reversus fuit in partibus Provincie cum dominis cardinalibus.

CLXXIV

GREGORII PAPAE XI EPISTOLA¹ AD FRANCISCUM DE CARRARIA, VICARIUM IMPERIALEM IN CIVITATE PADUANA. — Après le 28 avril 1371².

Dilecto filio nobili viro Francisco de Carraria, militi, in civitate Paduana imperiali vicario, salutem, etc. Novimus quod geris in votis more devotissimi filii ut circa nostra et apostolice Sedis beneplacita plenitudinem sincere devotionis ostendens exhibeas te promptitudine animi et operis exercitio in illorum prosecutione paratum, sicut assidue laudabilem tuorum gestorum indicant argumenta. Et licet sic reddaris ex te ipso devota mente sollicitus quod ad ea que nobis credis fore grata te non oporteat aliquibus exhortationibus excitari, scribere tibi tamen decrevimus per presentes, ut intentionem nostram plenius comprehendens, ad ea pro quibus scribimus favorabilius sis intentus. Sane nuper Patracensi ecclesia pastoris regimine destituta, nos, qui personam tuam etiam dum minori fungebamur officio tenerrime dileximus, et nunc ad majora promoti magis ac magis diligimus, attendentes quod tu venerabilem fratrem nostrum Johannem, archiepiscopum Patracensem, tunc episcopum Paduanum, in regimine Paduane ecclesie certis ex causis gratum non habebas, et in hoc tibi placere volentes, eum ad dictam Patracensem ecclesiam, licet multi pro aliis personis quamplurimum ydoneis instarent, auctoritate apostolica duximus transferendum, et deinde, credentes hoc tibi fore gratum, de persona dilecti fi[776]lii Helye electi Paduanensis, tunc apostolice Sedis notarii, qui nobis affinitate proxima conjunctus, gene-

a) perfectum, ms.

1. D'après le ms. latin 4127 (ancien Colbert 356) p. 652 (Bibliothèque nationale de Paris). — 2. La lettre doit être peu postérieure au 28 avril 1371, date à laquelle Élie fut pourvu du siège de Padoue; cf. Eubel, t. I, p. 386.

ris nobilitate perspicuus, multisque virtutibus predotatus existit, eidem Paduanensi ecclesie duximus providendum. Quocirca nobilitatem tuam, quam in adimplendis nostris beneplacitis promptam semper invenimus et paratam, rogamus et hortamur in Domino, illam attenuis deprecantes quatenus pro nostra et apostolice Sedis reverentia et etiam tui honoris et salutis intuitu dictum Helyam nobis affinitate proxima, ut premittitur, conjunctum, quem gerimus in visceribus caritatis sicut filium predilectum, et ecclesiam sibi commissam necnon gentes quas pro possessione dicte ecclesie adipiscenda transmittit habeas favorabiliter commendatos, pro certo sciturus quod favorem et benivolentiam quos in hac parte predicto electo et suis gentibus prestiteris, id non eis, sed nobis proprie reputabimus fore factum.
Datum.

CLXXV

CARTA REGIA¹ QUALITER OMNIA ATTENTATA CONTRA JURISDICTIONEM ECCLESIASTICAM PER OUDARDUM D'ATTAVILLA, BAILLIVUM ROTHOMAGENSEM, TEMPORE DOMINI PHILIPPI DE ALENCONIO ANNULANTUR. — Vincennes, juillet 1375.

Karolus, Dei gratia Francorum rex, ad perpetuam rei memoriam.
Cum inter baillivum nostrum Rothomagensem, vicecomitem, et officarios nostros ex una parte, archiepiscopum Rothomagensem, officialem et officarios ejusdem ex altera fuerint aliisque controversie suborte tam super brevi quodam dato et concessso super causis seu materiis spiritualibus, inhibitionibus et pluribus expletis jurisdictionis, ac etiam aliquibus arrestis in parlamento nostro latis occasione premissorum, quam aliis multis in prejudicium ecclesie Rothomagensis, et contra super nonnullis citationibus, monitionibus, sententiis, declarationibus et aliis multis per dictum [777] archiepiscopum, officialem et alios officarios suos ac eorum curiam in prejudicium jurisdictionis nostre temporalis factis, ut dicitur, et illatis, fueritque inter certos tractatores super hoc deputatos diutius prolocutum et tractatum, et tandem sanctissimus in Christo pater summus pontifex

1. D'après une copie prise par Baluze dans le cartulaire de l'archevêché de Rouen, G 7, fol. 477, aux archives de la Seine-Inférieure.

nos instanter requisierit quatinus super concessione dicti brevis et aliis supradictis providere vellemus dicte ecclesie Rothomagensi de remedio competenti, notum facimus quod nos predecessorum nostrorum regum Francie devotis ac laudabilibus vestigiis inherentes, ecclesias regni nostri, et presertim ecclesiam Rothomagensem, ad quam specialem gerimus et habemus devotionem in suis libertatibus et franchisiis conservare cupientes, volumus, declaramus ac etiam ordinamus quod per quecumque agitata et facta superius nominata aut occasione premissorum seu propter premissa subsecuta nullum prejudicium censeatur fuisse factum ecclesie Rothomagensi vel archiepiscopo nec ejus jurisdictioni ecclesiastice neque fiet in futurum in proprietate, possessione et saisina seu quasi, nec aliquod jus novum acquisitum contra jurisdictionem nostram temporalem, nec etiam nobis censeatur fuisse aliquod prejudicium factum nec fiet in futurum in proprietate, possessione seu saisina, vel quasi, nec aliquod jus novum acquisitum nec acquiretur [in] futurum contra ecclesiam Rothomagensem nec archiepiscopum, sed omnia intelligentur esse in tali statu in quo erant anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo secundo die prima mensis julii, et reducta sint in statum pristinum, et pro reductis habeantur, et saisita ob reverentiam dicti summi pontificis deliberabuntur. Quod ut firmum et stabile perpetuo perseveret, nostrum presentibus literis fecimus apponi sigillum. Datum et actum in castro nostro Vincennarum, in mense julii, anno millesimo trecentesimo septuagesimo quinto, et regni nostri duodecimo.

CLXXVI

[778] GREGORII PAPAE XI BULLA¹, QUA JOANNEM ROGERII ARCHIEPISCOPUM AUSCITANUM TRANSFERT AD ECCLESIAM NARBONENSEM.
— Villeneuve-lez-Avignon, 27 août 1375.

Gregorius, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Johanni episcopo, olim archiepiscopo Auxitanensi, in archiepiscopum Narbonensem electo, salutem et apostolicam benedictionem. Romani pontificis, quem pastor ille celestis et episcopus animarum, potestatis sibi plen-

1. D'après le ms. Baluze 384, n. 183 (Bibliothèque nationale de Paris); original muni d'un sceau en plomb.

tudine tradita, ecclesiis prelulit universis, plena vigiliis solicitude requirit ut juxta cuiuslibet statum ecclesie sic vigilanter excogitet sique prospiciat diligenter quod per ejus providentiam circum-spectam nunc per simplius provisionis officium, quandoque vero per ministerium translationis accommode, prout personarum, locorum et temporum qualitas exigit et ecclesiarum utilitas persuadet, ecclesiis singulis pastor accedat ydoneus et rector providus deputetur, qui populum sibi commissum salubriter dirigat et informet et ecclesiis ipsis votive prosperitatis afferat incrementa. Sane ecclesia Narbonensi ex eo pastoris solatio destituta quod nos hodie venerabilem fratrem nostrum Petrum, episcopum, olim archiepiscopum Narbonensem, in archiepiscopum Rothomagensem electum, apud Sedem apostolicam constitutum, a vinculo quo ipsi Narbonensi ecclesie, cui tunc preerat, tenebatur de fratum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad ecclesiam Rothomagensem tunc vacantem duximus auctoritate apostolica transferendum, prefiendo eum dicte Rothomagensi ecclesie in archiepiscopum et pastorem, nos ad provisionem ipsius Narbonensis ecclesie celerem et felicem, ne longe vacationis subiret incommoda, paternis et solicitis studiis intendentibus ac cupientes eidem Narbonensi ecclesie talem presidere per[779]sonam que sciret, vellet et posset eam preservare a noxiis et adversis ac in suis manutenere juribus et etiam adaugere, post deliberationem quam super hiis cum eisdem fratribus habuimus diligentem, demum ad te Auxitanensem archiepiscopum, consideratis grandium virtutum meritis quibus personam tuam divina gratia multipliciter insignivit, et quod tu, qui regimini ejusdem Auxitanensis ecclesie hactenus utiliter et laudabiliter prefuisti, dictam Narbonensem ecclesiam scies et poteris auctore Domino utiliter regere et fideliter gubernare, direximus oculos nostre mentis. Intendentibus itaque tam eidem Narbonensi ecclesie quam ejus gregi dominico salubriter et utiliter providere, te a vinculo quo ipsi ecclesie Auxitanensi, cui tunc preeras, tenebaris de dictorum fratum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, te ad prefatam ecclesiam Narbonensem auctoritate apostolica transferimus, teque illi preficimus in archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie Narbonensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi tribuendo licentiam ad dictam Narbonensem ecclesiam transeundi, sperantes indubie quod prefata ecclesia Narbonensis per tue industrie ac circumspectionis fructuosum studium regetur utiliter et prospere dirigetur ac salubria dante Do-

mino suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus impositum tibi a Domino onus regiminis dicte Narbonensis ecclesie devote suscipiens, sic ipsius regimen solicite studeas exercere, gregem dominicum in ea tibi creditum doctrina verbi et operis juxta datam tibi a Deo prudentiam informando quod dicta ecclesia Narbonensis per tue cooperationis ministerium fructuosum votivis jugiter proficiat commodis et successibus prosperis augeatur, ac tu proinde divinam et dicte Sedis ac nostram benedictionem et gratiam uberioris consequi merearis. [780] Datum apud Villamnovam, Avignonensis diocesis, vj kal. septembris, pontificatus nostri anno quinto.

CLXXVII

TESTAMENTUM¹ PETRI DE JUDICIA, CARDINALIS.

15-18 novembre 1376.

In nomine sancte et individue trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Ego Petrus, miseratione divina tituli Sancti Clementis presbiter cardinalis, infirmus quidem corpore, mente vero per Dei gratiam bene sanus, dum divina favente clementia mea bona sana et integra fruor memoria, attendens et considerans quod nil certius morte, neque incertius ejus hora, nec sit qui divinum possit effugere judicium, idcirco dum mea bona, sana, recta et integra fruor memoria, meum in hiis scriptis facio, condo et ordino testamentum seu meam ultimam voluntatem. In primis siquidem do et commendo animam meam altissimo creatori, beate Marie semper virgini, beato Michaeli archangelo, sanctis apostolis Petro et Paulo atque Martiali, ac beatis Justo et Pastori, et omnibus sanctis, totique curie celesti civium supernorum. Et eligo corpori meo sepulturam, dum et quando me ab humulis exire continget, in ecclesia Narbonensi, videlicet in sepultura sive tumulo quem ibidem edificari feci. Volo autem quod ubicunque locorum me decidere continget, corpus meum tradatur in commendam ecclesie cathedrali illius loci. Si vero locus ille cathedralis non esset, tunc volo corpus meum deponi et in commendam tradi ecclesie cathedrali propinquioris civitatis ejusdem loci. Et de ecclesia illa, ut citius commode fieri poterit, corpus meum ad dictam Narbonensem

1. Ex archivo ecclesiae Narbonensis, *Bal.*; pièce non retrouvée.

ecclesiam transferri volo simpliciter et humiliter, pompis cessantibus quibuscumque, et prout domini executores mei vel duo ex ipsis hoc duxerint ordinandum. Et volo ac [781] mando quod omnes injurie, clamores, rancores, debita et forefacta mea, si que sint et me debere apparuerit tempore mortis mee, de bonis meis solvantur, restituantur et emendentur personis quibuscumque, prout dominis executoribus meis aut duobus ex eis videbitur faciendum. Et accipio et dispono de bonis meis pro salute anime mee et in redemptione peccatorum meorum ac parentum et benefactorum meorum ac aliorum quibus teneor et sum in aliquo obligatus, ut infra sequitur. In primis volo quod pro anima mea ac parentum et benefactorum meorum statim post mortem meam, ut citius fieri commode poterit, quingente misse celebrentur. Item volo quod quando corpus meum ad ecclesiam Narbonensem transferri continget, tam in civitatibus Biterrensi quam Narbonensi mille misse celebrentur; et lego cuilibet capellano missam hujusmodi celebranti unum grossum argenti. Item volo quod omnibus et singulis presbiteris qui mee intererunt sepulture duo grossi argenti tradantur pro missis et aliis divinis officiis celebrandis. Item lego quatuor ordinibus paupertatis, scilicet fratrum Minorum, Predicatorum, Heremitarum sancti Augustini, et Beate Marie de monte Carmeli civitatis in qua corpus meum tradi continget in commendam, cuilibet istorum conventuum quinque florenos auri. Item quantum ad ecclesiam seu capellam beati Martialis jam factam meis propriis sumptibus et expensis in parte palatii archiepiscopalis Narbonensis per me etiam pro majori parte acquisiti in loco debito et honesto valde, in qua sunt de presenti septem altaria, principale de ipso beato Martiale, secundum de beato Johanne Baptista, tertium de sancto Yvone, quartum de beata virgine, quintum de beata Katerina, sextum de beatis Leodegario et Eligio, septimum, quod est de subtus, de passione Domini nostri Jhesu Christi, octavum ponitur ex devotione populi, sed tollitur de beato Eutro[782]pio Xanctonensi, que omnia altaria munivi suis paramentis debitis et aliis jocalibus necessariis. Et si deficiant, volo quod de bonis meis muniantur et compleantur ex toto, ut jura volunt. Sunt etiam ibidem sexaginta cathedre de nuce valde bene proportionate. Igitur volo, presupposita licentia domini nostri pape, quod ibi sint tresdecim canonici sic nominati et in presbiteratus ordine constituti, saltim infra annum ex quo erunt recepti; quibus do ex nunc et dari volo de bonis meis quingentos florenos auri renduales. Quorum quidem canonicorum tres habebunt officia. Primus erit prior, et preerit in capitulo, et habebit primam sedem

etiam in choro et ubique. Secundus erit precentor, et preerit solum in choro, et habebit secundam sedem et secundam vocem. Tertius erit sacrista, qui ordinabit de lampadibus et campanis et cera et lumine circa altare, et habebit oblationes omnes, exceptis pannis aureis et sericis, sed fiet compositio cum rectore parrochiali in cuius parrochia dicta ecclesia existit. Quilibet istorum trium habebit solum decem libras ultra alios, et tenebunt tria latera chori. Dominus Narbonensis archiepiscopus, qui est et erit pro tempore, erit in quarto cornu, ubi est pulcherrima cathedra, quando sibi placebit : qui habebit collationem omnium et singularum prebendarum post mortem meam, cui volo quod sint semper obedientes ut devoti filii. Et volo quod dare teneantur in vigilia sancti Martialis in vesperis pro potu et fructibus canonicis et beneficiatis ecclesie Narbonensis, quando venient ibi cum processione, prout consueverunt, quinquaginta solidos turonenses, et de mane alios quinquaginta solidos turonenses dividendos equis portionibus inter presentes; quos collegium nolo quod offendant in aliquo; imo habeant eos in patres et dominos post dominum archiepiscopum, prout decet. Item nolo quod sedeant unus juxta alium, ut loquantur ad invicem, [783] nisi esset pressura maxima. Item volo quod recipient bene omnes venientes ibi religiosos, clericos et laycos, quemlibet juxta statum suum. Quibus assigno ut supra et dono in et super bonis meis inferius designatis quingentos florenos auri renduales. Et primo dono seu lego dictis canonicis omnes et singulos redditus quos habeo in Sancto Marcello, de licentia tamen domini nostri pape, necnon et quartam partem que restat ad vendendum, dummodo possim concordare cum venditoribus ejusdem. Item plus do seu lego bastidam meam de Roviniaco cum omnibus juribus et pertinentiis suis. Item plus lego domum meam de Narbona, que fuit Johannis de Poleriis burgensis Narbone, cum operatoriis seu apothecis ac aliis juribus et pertinentiis suis. Item lego plus et dono bastidam meam de villari de Bella, quam emi a Bartholomeo Nazarii sive de Sancto Nazario de Capitestagno. Item volo et ordino quod in casu quo predicta bona non sufficient ad fundationem dictorum canonicorum, domini executores mei de aliis bonis meis usque ad dictam quingen- torum florenorum auri summam supplere teneantur. Item volo quod sint ibi duo clerici pro tortitiis tenendis et pro divino officio in dicta ecclesia faciendo, qui solum habeant dimidiias prebendas. Item lego plus et dono eisdem pro tenendo capitulum domum meam quam habeo in Narbona, que fuit domini Arnaudi Sarverii, vel domum meam que fuit domini Johanni Tartarini, quam ipsi magis duxerint

eligendam. Item volo et ordino quod nichil detur alicui pro grossis fructibus; nec volo quod aliquis in dicta ecclesia prebendam obtinens possit alibi beneficium obtainere quocumque, nisi in ecclesiis Narbonensi et Sancti Pauli ac Sancti Stephani Narbone, dummodo prebende dictarum ecclesiarum non existant. Item lego capitulo ecclesie Narbonensis quinquaginta libros pulciores et meliores quos habeo, per canonicos dicte ecclesie eligendos, [784] qui non possint alienari nec vendi aut extra ecclesiam extrahi ullo modo; sed eos volo in libraria dicte ecclesie incatenari. Quod capitulum in librorum electione omnes et singulos legatarios infrascriptos precedere volo. Item lego monasterio Sancti Johannis Angeliacensis, Xanctonensis dyocesis, cui prefui, centum florenos auri in jocalibus vel ornamentis ecclesie dicti monasterii convertendos. Item lego monasterio Crassensi, Carcassonensis dyocesis, cui etiam prefui, ducentos florenos auri in jocalibus seu ornamentis ecclesie dicti monasterii convertendos. Et plus lego ecclesie dicti monasterii capellam meam nigram quam habeo, et quod abbas et conventus dicti monasterii unum anniversarium singulis annis pro anima mea facere teneantur. Item plus lego ecclesie dicti monasterii viginti quinque libros de meis, qui vendi nec alienari possint, nec extra dictum monasterium extrahi; sed eos in libraria dicti monasterii volo incatenari. Item lego ecclesie Sancti Martialis Narbonensis, quam edificari feci, viginti quinque libros, qui vendi non possint nec alienari. Item volo quod si appareat me in aliquo teneri collegio scholarium de Narbona Parisius, eis fiat integre satisfactio de bonis meis. Item lego collegio dictorum scholarium de Narbona Parisius viginti quinque libros meos, qui vendi non possint nec alienari ullo modo; sed eos in libraria dicti collegii volo incatenari. Item lego ecclesie Cesaraugustane, cui prefui, ducentos florenos auri pro uno anniversario ibidem pro anima mea perpetuo faciendo. Item lego ecclesie Biterrensi centum florenos auri pro uno anniversario ibidem pro anima mea perpetuo faciendo. Item lego monasterio de Quadraginta, Narbonensis dyocesis, centum florenos auri et unum jocale argenti usque ad summam quinquaginta florinorum, et quod abbas et conventus dicti monasterii unum anniversarium annis singulis pro anima mea perpetuo facere [785] teneantur. Item lego ecclesie Sancti Pauli Narbone medietatem vinee mee de Narbona, que fuit de Na Vicensa; dummodo capitulum dicte ecclesie aliam medietatem dicte vinee, quam supra legavi canonicis Sancti Martialis per me supra fundate et dotate, libere tenere et possidere permittant, satisfaciendo eis de censu pro ipsa medietate, prout est fieri consuetum. Et ultra lego dicte ecclesie

Sancti Pauli capellam meam albam et centum florenos auri. Volo autem quod canonici seu capitulum dicte ecclesie unum anniversarium propter hoc facere teneantur ultra illud quod pro me ex debito facere tenentur quia prefui ecclesie Narbonensi : que ambo anniversaria singulis annis per eos fieri volo perpetuo pro anima mea ac parentum et benefactorum meorum. Item lego ecclesie Sancti Stephani Narbone capellam meam rubeam vel viridam, quam canonici dicte ecclesie maluerint et duxerint eligendam. Item lego quatuor ordinibus paupertatis, videlicet fratrum Minorum, Predicatorum, Eremitarum S. Augustini et Beate Marie de monte Carmeli, in civitatibus Narbonensi et Biterrensi constitutis, cuilibet istorum conventuum quinque florenos auri. Item lego domino nostro pape pulcrum parvum Decretum meum vel magnum, quod ipse maluerit et duxerit eligendum. Item plus lego eidem pulcrius jocale argenti quod habeo vel habebo tempore mortis mee. Item lego domino Guillelmo de Belloforti, vicecomiti Turenne, quingentos florenos auri. Item plus eidem medietatem equarum mearum quas habeo in Narbona. Item volo quod omnibus et singulis familiaribus meis, qui a me stipendia recipere consueverunt, eis integre satisfiat de stipendiis eis debitiss; et ultra volo quod cuilibet eorum stipendia pro anno presenti duplicentur, et integre ipsis persolvantur. In omnibus aliis et singulis bonis meis mobilibus et immobilibus, presentibus et futuris, ubicumque sint, et in quibuscumque consis[786]tant, venerabile capitulum ecclesie Narbonensis heredem michi facio et instituo universalem. Volo autem quod dictum capitulum ecclesie Narbonensis quatuor anniversaria pro anima mea anno quolibet perpetuo facere teneantur, et quatuor festa duplia infra annum que in dicta ecclesia fieri non consueverunt, unum videlicet in octavis beati Martialis, aliud in die beati Yonis, aliud in die sancti Benedicti, et aliud in die sancti Leonardi. Et ultra volo quod dictum capitulum quatuor processiones sollempnes annis singulis facere teneatur, primam videlicet in die nativitatis beate Marie, aliam in festo sancti Michaelis, et alias duas infra annum, prout ipsi duxerint ordinandum. Pro quorum omnium fundatione perpetua volo emi redditus sufficienes, per quos premissa possint singulis annis honorabiliter perpetuo fieri prout decet. Insuper volo et ordino quod si qua bona supersint, solutis omnibus et singulis per me supra legatis et ordinatis, ipsa omnia et singula vendantur et alienentur per executores meos infrascriptos, et de pecunia que inde exibit, perpetui redditus in augmentum cultus divini dicte ecclesie Narbonensis emantur, nec in alios usus convertantur. Constituo

executores meos reverendissimos patres dominos meos dominos Johannem, episcopum Penestrinum, Guillelmum, tituli Sancti Stephani in Celio monte, Hugonem, tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum, Guidonem, tituli Sancte Crucis in Jherusalem, et Petrum, tituli Sancti Laurentii in Lucina presbiteros, ac Petrum, Sancte Marie in via lata dyaconum cardinales, necnon reverendum patrem dominum Johannem, archiepiscopum Narbonensem, et dominum Guillelmum de Belloforti, vicecomitem Turenne; qui omnes aut duo ex ipsis, vocatis dominis Petro de Nolio, canonico Narbonensi, si interesse possit, et Guillelmo Arnaudi, literarum penitentiarie domini nostri pape scriptore camerarioque meo, ac Ray[787]mundo de Colonhacio, preposito ecclesie Sancti Stephani Narbonensis, capellanis et familiaribus meis, vel uno ex eis, omnia universa et singula per me superius ordinata compleant et perficiant, ut citius potuerit, prout superius ordinavi. Hec autem omnia et singula per me superius ordinata et divisa volo valere jure testamenti. Et si non valent aut non valuerint jure testamenti, volo quod valeant jure codicillorum meorum aut alias pro mea ultima voluntate, et robur semper obtineant inconcussum. Quicumque alia testamenta et codicillos per me alias facta et ordinata preter istud cassio, irrito, atque annullo, nullamque in judicio vel extra obtineant roboris firmitatem. De quibus omnibus et singulis peto fieri unum vel plura publica instrumenta per notarium publicum infrascriptum; quod et que possint dictari, corrigi, refici et emendari semel et pluries, producta in judicio vel non producta, facti tamen substantia in aliquo non mutata. Acta fuerunt hec in loco de Liborna, Pisane dyocesis, anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo sexto, inductione quartadecima, die quinta decima mensis novembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Gregorii divina providentia pape XJ anno sexto, presentibus reverendissimo in Christo patre domino Petro, miseratione divina tituli Sancti Laurentii in Lucina presbitero cardinali, ac venerabilibus viris dominis Bernardo Albusquerii, medico domini nostr pape et canonico ecclesie Caturicensis, Guillelmo Arnaudi, literarum penitentiarie domini nostri pape scriptore, Hugone la Noalha, canonico ecclesie Caturicensis, Jacobo Melasii de Haspea, literarum apostolicarum scriptore, Bernardo Prepositi, canonico ecclesie Sancti Frontonis Petragoricensis, Bernardo de Parelo, domicello, et Symone de Foresto, barberio Morinensis dyocesis, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

[788] Post hec anno quo supra, die decima octava predicti mensis

novembris, ego supra nominatus Petrus, miseratione divina tituli Sancti Clementis presbiter cardinalis, licet infirmus corpore, mente per Dei gratiam bene sanus, non revocando testamentum per me supra factum et ordinatum, nec derogando in aliquo contentorum in eodem, sed addendo eidem meo testamento, meos tenore presentium facio codicillos. In primis volo et ordino quod in hospitio meo de Rosa nuncupato, sito in civitate Narbonensi, infra quod capellam ad honorem passionis Domini nostri Jhesu Christi edificari feci, sint tresdecim presbiteri : quibus do et dari volo de bonis meis ducentos quinquaginta florenos auri renduales, quos volo nominari capellanos passionis Domini nostri Jhesu Christi, et unus ex ipsis prior nominetur, quem volo fieri anno quolibet de uno ex presbiteris ibidem instituendis eligendo per dominum archiepiscopum Narbonensem vel ejus vicarium qui sunt et erunt pro tempore et per unum ex antiquioribus canonicis ecclesie Narbonensis et per unum de antiquioribus presbiteris collegii dicte capelle. Qui quidem prior solum et dumtaxat recipiat duplum pro anno illo, et in..... restituet sigillum in medio sexti dicte capelle; ita quod ultra unum annum prioratus officium exercere non possit. Et sic anno quolibet fieri volo et ordino perpetuo observari. Quod quidem hospitium eis dono sive lego. Item volo quod per predictos presbiteros tres misse singulis diebus in dicta capella celebrentur, quarum una sit cum nota. Item volo quod in dicta capella fiat magna imago crucifixi de ligno, et alia de argento ponderis sex marcharum. Item volo dictam capellam muniri et ornari tribus calicibus bonis et sufficientibus, quorum unus sit magnus et pulcher ponderis trium marcharum vel duarum marcharum cum dimidia ad minus. Item volo quod fiant tres capelle integre in [789]dicta capella, una videlicet alba, alia rubea, et alia nigra. Item volo quod dicti capellani teneantur ire ter in ebdomada in ecclesia Beati Martialis, videlicet diebus lune, mercurii et veneris, et ibidem sequi processionaliter canonicos ecclesie predicte, et quod dicti capellani teneantur sequi et associare canonicos dicte ecclesie Sancti Martialis totiens quotiens extra eorum ecclesiam processionaliter ipsos ire contingat. Item volo etiam et ordino quod dicti capellani teneantur sequi horas canonicas in ecclesia Narbonensi aliis tribus diebus, videlicet martis, jovis et sabbati. Item addendo dicto meo testamento lego capitulo ecclesie Narbonensis hospitium meum novum quod edificari feci in civitate Avignonensi cum omnibus juribus et pertinentiis suis, quod nunquam vendi nec alienari possit. Item volo quod in casu quo legata per me superius in meo testamento facta pro anniversariis pro anima

mea perpetuo fundandis ad eorum fundationem non sufficerent, tunc et eo casu volo et ordino quod domini executores mei testamenti de aliis bonis meis fundationem hujusmodi anniversariorum supplere et complere teneantur, prout eis vel duobus ex eis videbitur faciendum. Item addendo dicto meo testamento lego ecclesie Narbonensi pulcriorem et meliorem capellam quam habeo, quam ipsi maluerint et duxerint eligendam. Item addendo dicto meo testamento lego monasterio Crassensi aliam meliorem capellam quam habeo post predictam, quam ipsi magis duxerint eligendam. Item addendo dicto meo testamento lego ecclesie predicte Sancti Martialis aliam capellam meliorem post predictam, quam duxerint eligendam. Item addendo dicto meo testamento lego capelle predicte, quam in honorem passionis Domini nostri Jhesu Christi edificari feci, aliam capellam meam meliorem post predictam. Item volo et ordino quod omnia alia induimenta et paramenta sacerdotalia et [790] jocalia argenti quecumque ad officium divinum seu ornamenta ecclesie spectantia, que tempore mortis mee habere me continget, tradantur et realiter assignentur per executores meos predictos aut duos ex eis capitulo ecclesie Narbonensis pro cultu divino ibidem exercendo. Item volo quod libri per me supra legati in meo testamento tam capitulo ecclesie Narbonensis quam alibi per duos executores meos vel duos ex eis elegantur et distribuantur secundum qualitatem et indigentiam ecclesiarum, monasterii et collegii scholarium predictorum, quibus libros legavi, prout eis videbitur faciendum. Sed volo ante omnia quod capitulum ecclesie Narbonensis in eorum electione et receptione preferatur, prout superius ordinavi. Residuum vero omnium et singulorum librorum volo vendi et in utilitatem mee executionis converti. Item non revocando dominos executores in meo testamento constitutos, sed etiam addendo, constituo executorem meum reverendissimum patrem dominum Hugonem Sancte Marie in Porticu dyaconum cardinalem, cui tantam do potestatem sicut uni ex aliis dominis meis executoribus in dicto meo testamento nominatis. Hec autem omnia et singula sic per me superius per modum codicilli ordinata volo et mando valere perpetuo jure codicillorum vel alias pro mea ultima voluntate. Acta fuerunt hec in civitate Pisana, in archiepiscopali palatio, circa horam terciarum, presentibus reverendissimis patribus dominis Guillelmo, tituli Sancti Stephani in Celio monte, et Guidone, tituli Sancte Crucis in Jherusalem presbiteris cardinalibus, dominis Philippo Petri de Gravifiliactis de Florentia, decretorum doctore, Guillelmo Siguerii, baccalario in decretis, Hugone la Noalha, canonico ecclesie Caturicensis,

Bernardo Prepositi, canonico ecclesie Sancti Frontonis Petragoricensis, et Arnaldo de Intrasio ac Bernardo de Parelo, domicellis Convenarum et Lemovicensis [791] dyocesum, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Eadem vero die, hora quasi nona, ego Petrus, cardinalis supradictus, licet infirmus corpore, mente autem per Dei gratiam bene sanus, non revocando testamentum et codicillum per me superius factum et ordinatum, sed omnia et singula in eis contenta ratificando, alios meos facio codicillos seu meam ultimam voluntatem. In primis addo dictis meis testamento et codicillo, volo et ordino quod omnibus et singulis familiaribus meis continue commensalibus, cujuscumque status, gradus et ordinis existant, pro serviciis per eos michi impensis fiat remuneratio seu satisfactio de bonis meis per dominos executores meos vel duos ex eis, prout eorum discretioni videbitur faciendum. Hec autem omnia et singula per me supra ordinata valere volo jure testamenti et codicillorum aut alias pro mea ultima voluntate, semperque in judicio et extra obtineant roboris firmitatem. Acta fuerunt hec in civitate et loco predictis, presentibus reverendo in Christo patre domino Francise archiepiscopo Pisano, et venerabilibus viris dominis Paulo de Peculis, decretorum doctore, vicario, et Johanne de Pacucciis, canonico ecclesie Iporiensis, camerario dicti domini archiepiscopi, ac Philippo Petri de Graviflactes de Florentia, decretorum doctore, Bernardo Albusquerii, canonico ecclesie Caturicensis et domini nostri pape medico, ac magistro Andrea Rucqui de Palaria, physico, eive Pisano, testibus ad premissa vocatis specialiter et per dictum dominum cardinalem testatorem rogatis.

Et ego Bernardus Trepayre, Narbonensis dyocesis, publicus apostolica auctoritate notarius, predictorum testamenti et codicillorum confectioni et ordinationi, heredum et executorum institutioni et constitutioni, ac aliis omnibus et singulis, dum ut supra leguntur per dictum dominum cardinalem testatorem agerentur et fierent, una cum prenomina[792]tis testibus presens fui, publicavi, et in notam recepi, de qua hoc presens instrumentum per alium extrahi et scribi ac in hanc publicam formam redigi feci, aliis legitime negotiis occupatus, et facta per me prius diligentि collatione de presenti instrumento cum dicta nota hic mea propria manu subscripsi, signoque meo solito signavi vocatus, requisitus, et rogatus.

CLXXVIII

EPISTOLA¹ GREGORII XI AD LUDOVICUM, DUCEM ANDEGAVENSEM,
MISSA PER AEGIDIUM AYSELINI CARDINALEM. — Orgon, 15 sep-
tembre 1376.

*Gregorius, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo
filio Ludovico, clare memorie Johannis regis Francorum secundogenito,
duci Andegavensi, salutem et apostolicam benedictionem. Molesta nobis
extitit admodum dissensio quam inter te ex parte una et carissimum
in Christo filium nostrum Petrum, regem Aragonum illustrem, ex
altera, suscitare, sicut dolentes referimus, studuit hostis pacis. Et
propterea cupientes eam, que si, quod absit, procederet, varia secum
procudubio periculosa et scandalosa traheret incommoda, per viam
tractatus amicabilis, ut eisdem salubriter obvietur incommodis,
terminari, venerabilem fratrem nostrum Egidium, episcopum Tus-
culanum, apostolice Sedis nuncium, magnum et honorabile mem-
brum Ecclesie, ac tui honoris et status prosperi fervidum zelatorem.
virum utique scientia peditum, ac in arduis sepius comprobatum,
circumspectionis et probitatis maturitate conspicuum, veritatis et
justitie amatorem, ad te et ad ipsum regem Aragonum propterea
providimus specialiter destinandum. Quocirca magnificentiam tuam
rogamus, requirimus et hortamur attente quatinus eumdem epis-
copum benigne recipiens et honorificentia debita pertractans, eidem
super hiis que [793] circa premissa pro parte nostra tibi exponenda
duxerit fidem adhibeas credulam ac ejus monitis et exhortationibus
in hac parte salubribus sic efficaciter acquiescere studeas quod, propi-
tiante Domino, qui pacis est actor et humane salutis amator, pax et
bona concordia proveniat, sicut desiderabiliter affectamus. Datum
apud Orgonum, Avignonensis diocesis, xvij kalendas octobris, ponti-
ficatus nostri anno sexto.*

1. D'après deux actes notariés du 20 mars 1377, insérés dans le ms. latin 9261, n. 50 et 51 (Bibliothèque nationale de Paris) ; originaux.

CLXXIX

KAROLI IV IMPERATORIS EPISTOLA¹ AD GREGORIUM PAPAM XI QUA
EI SUPPLICAT UT ASSENSUM SUUM PRAESTARE DIGNETUR ELECTIONI
WENCESLAI, FILII SUI, IN REGEM [ROMANORUM. — Nuremberg,
4 avril 1376.

*Sanctissimo in Christo patri ac domino domino Gregorio digna Dei pro-
videntia sacrosancte romane ac (a) universalis Ecclesie summo ponti-
fici, domino nostro reverendissimo, Karolus quartus, divina favente
clementia Romanorum imperator semper augustus et Bohemie rex, reveren-
dissime, cum omnes principes electores imperii tam ecclesiastici quam
etiam seculares, nobis jam corporea valetudine viribus lacescitis et
senio, in relevamen et adjutorium nostrum, qui tamen imperio cedere
vel renuntiare non volumus, serenissimum principem dominum Wen-
ceslaum, regem Bohemie, primogenitum nostrum, in Romanorum
regem disposuerint concorditer eligendum, cumque, beatissime pater,
constet quod nos et domum nostram, etiam dum adhuc essetis in
minoribus constituti, semper sinceris et promotivis fueritis prosecuti
favoribus, prout etiam experientia rei teste prosequi non cessatis,
super quo vobis gratiarum referimus multiplices actiones, sanctitati
prefate cordialiter et multum humiliter supplicamus quatinus hujus-
modi sinceritatis et affectionis paterne plus solito nunc memores
ad dictam electionem vestre beatitudinis adhibere dignemini benivolent-
iam pariter et assensum, dictoque filio nostro, Bohemie regi, in Romanorum
regem eligendo, benignas apostolice Sedis exhibere gratias
et favores, in eo tam nobis quam eidem regi, pater sancte, specia-
lissimam consolationem et gratiam facientes. Personam vestram
sanctissimam sanam et in columem conservare dignetur Altissimus
cum dierum felicitate longeva regimini Ecclesie sue sancte. Presen-
tium sub imperialis nostre majestatis sigillo testimonio litterarum.
Datum Nuremberg, anno Domini millesimo CCCLXXVJ, indictione
XIII, ii non. aprilis, regnum nostrorum anno XXX, imperii vero XXIJ.
De mandato domini imperatoris Nicolaus, Camericensis prepositus (b)*

a) et, Bal. — b) De mandato... prepositus, omis par Bal.

1. D'après le ms. latin 4113 (ancien Colbert 753) fol. 84 r°. (Bibliothèque nationale de Paris).

CLXXX

DECRETUM¹ ELECTIONIS EJUSDEM WENCESLAI. — 10 juin 1376.

In nomine Domini. Amen. Anno nativitatis ejusdem MCCCLXXVJ inductione XIIIJ, imperante serenissimo principe ac domino domino Karolo, Romanorum imperatore semper augusto et Bohemie rege gloriosissimo, die decima mensis junii, hora quasi(a)tertia, in sacristia ecclesie collegiate Sancti Bart[h]olomei Frankenfurdensis, Maguntiensis dyocesis, in mei necnon Jacobi Wigendi de Nova civitate publicorum notariorum et testium subscriptorum presentia universis et singulis principibus, imperii sacri electoribus, pro eligendo regem Romanorum in unum convenientibus, reverendissimus in Christo pater dominus Lodovicus, sancte Maguntiensis ecclesie archieписcopus, sacri imperii per Germaniam archicancellarius, principum coelectorum suorum singulorum est vota scrutatus. Qui, premissis variis tractatibus solemniter repetitis, omnes et singuli, nullo contradicente, et ipse dominus Maguntiensis similiter requisitus per alios suos coelectores simul cum eis, [795]serenissimum principem ac dominum dominum Wenceslaum, Bohemie regem, in regem Romanorum, in imperatorem postmodum (b) unanimiter et concorditer elegerunt. Cui siquidem electioni tam concorditer celebrate dominus Wenceslaus, rex prefatus, per predictos electores principes requisitus, deliberatione premissa, consensum suum adhibuit pariter et assensum. Super quo a nobis infrascriptis notariis pro parte principum predictorum unum vel plura requisita sunt fieri publica instrumenta. Acta sunt anno, inductione et loco quibus supra, presentibus honorabilibus viris dominis Nicolao, Camericensi, Magdeburgensis dyocesis, et Theoderico Dameroio, Sancte Marie Cracoviensis ecclesiarum prepositis, necnon Droyskero, decano Cicensi, Merseburgensis dyocesis, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Wlachinco, natus Herislini de Witemul, clericus Pragensis dyocesis, publicus auctoritate imperiali notarius, electioni, ac omnibus et singulis premissis, dum sic, ut premittitur, agerentur una cum Jacobo Wigandi, notario publico infrascripto, et predictis testibus

a) horaque, *Bal.* — b) promovendum, *Bal.*

1. *Ut supra*, fol. 84 v^o.

presens interfui, ac ea propria manu conscribens, nomine et signo meis signavi rogatus in testimonium premissorum.

Et ego Jacobus Wigandi de Nova civitate, clericus Olomucensis dyocesis, publicus imperiali auctoritate notarius, electioni, ac omnibus et singulis premissis, dum sic, ut premittitur, agerentur una cum Wlachincone, nato Herislini de Witemul, clero Pragensis dyocesis, publico auctoritate imperiali notario suprascripto et predictis testibus presens interfui, ea vidi et audivi, ac me signo et nomine meis consuetis subscrispsi, rogatus, in testimonium premissorum.

CLXXXI

[796] LITTERA¹ IMPERATORIS AD PAPAM POST ELECTIONEM.

Francfort-sur-le-Mein, 10 juin 1376.

Sanctissimo in Christo patri ac domino domino Gregorio, digna Dei providentia sacrosancte romane ac universalis Ecclesie summo pontifici, domino nostro reverendissimo, Karolus quartus, divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus et Bohemie rex, reverentiam debitam et honorem. Ad gubernandam feliciter imperii sacri rempublicam ejusque multiplices sufferendos labores et onera digna maturaque deliberatione previsi, et ut idem sacrum imperium, nobis jam viribus corporea valetudine lacescisset et senio, forti potentique presidiatore non careat, pro salubri commodo totius christianitatis et statu, in relevamen et adjutorium nostrum, tamquam Bohemie rex, sacri Romani imperii archipincerna et prince[p]s elector hodie in ecclesia collegiata S. Bartholomei in oppido Frankfurt super alveo Mogani, Maguntinensis dyocesis, una cum omnibus et singulis ecclesiasticis et secularibus principibus coelectoribus nostris, ad quos electio Romanorum regis legitime spectare dinoscitur, iidemque principes electores imperii nobiscum pariter disponente superno, Spiritusque Sancti gratia devotius invocata, serenissimum principem dominum Wenceslaum, christianissimum regem Bohemie, primogenitum nostrum carissimum, in Romanorum regem promovendum in imperatorem votis concordibus elegimus, nemine discrepante, qui etiam in electionem hujusmodi, previa deliberatione, consensit, et eamdem electionem rite celebravimus, adhibitis solempnitatibus et

1. *Ut supra*, fol. 85 r°.

ceremoniis debit is et consuetis. Que ad sanctitatis vestre notitiam presentium tenore deducimus, summopere supplicantes quatinus circa personam dicti primogeniti nostri in [797] Romanorum regem concorditer sic electi vestre beatitudinis impendere dignemini solitam gratiam et favorem. Personam vestram sanctissimam Altissimus conservare dignetur in columem cum dierum felicitate longeva regmini Ecclesie sue sancte. Presentium sub imperialis nostre majestatis sigillo testimonio litterarum. Datum Frankfurt, anno Domini MCCCLXXVJ, indictione XIIIJ, die x junii, regnorum nostrorum anno trigesimo, imperii vero vigesimo secundo.

CLXXXII

LITTERAE¹ PRINCIPUM ELECTORUM DE ELECTIONE EJUSDEM WENCESLAI.
— Francfort-sur-le-Mein, 12 et 10 juin 1376.

Nos, Ludovicus, Dei gratia Maguntinensis archiepiscopus, sacri imperii per Germaniam archicancellarius, notum facimus, tenore presentium, universis quia cum omnibus aliis sacri romani imperii principibus, coelectoribus nostris, unanimiter et concorditer serenissimum principem dominum Wenceslaum, regem Bohemie, in Romanorum regem elegimus animo deliberato, et de certa nostra scientia sub bona nostra fide dicto domino nostro Romanorum regi promisimus et promittimus presentibus, sine dolo, quod ipsum omnibus sue nostreque vite temporibus verum et legitimum Romanorum regem promovendum in imperatorem nominare, reputare, tenere. et habere volumus et debemus, ac eumdem dominum nostrum regem Romanorum circa electionem nostram hujusmodi per nos factam manutene firmiter et sibi tanquam regi Romanorum fideliter assistere, contradictione qualibet non obstante. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum Frankford, anno Domini MCCCLXXVJ, die sacramenti.

Nos, Cuno, Dei gratia sancte Treverensis ecclesie archiepiscopus, sacri im[798]perii per Galliam archicancellarius, notum facimus, tenore presentium, universis quia cum omnibus aliis sacri romani imperii principibus, coelectoribus nostris, unanimiter et concorditer serenis-

1. *Ut supra*, fol. 86 r^o-89 r^o.

simum principem dominum Wenzeslaum, regem Bohemie, in Romanorum regem elegimus animo deliberato, etc., *ut in alia*.

Nos, Fridericus, Dei gratia sancte Coloniensis ecclesie archieпис-
copus, sacri romani imperii per Italiam archicancellarius, notum
facimus, tenore presentium, universis quia cum omnibus aliis sacri
[romani] imperii principibus, coelectoribus nostris, unanimiter et con-
corditer serenissimum principem dominum Wenzeslaum, regem Bohemie,
in Romanorum regem elegimus animo deliberato, etc., *ut in alia*.

Nos, Rupertus senior Dei gratia comes Palatinus Reni, sacri romani
imperii archidapifer et Bavarie dux, notum facimus, tenore presen-
tium, universis quia cum omnibus aliis sacri romani imperii prin-
cipibus, coelectoribus nostris, unanimiter et concorditer serenissimum
principem dominum Wenzeslaum, regem Bohemie, in Romanorum
regem elegimus animo deliberato, etc., *ut in alia*.

Sanctissimo in Christo patri ac domino domino Gregorio, digna
Dei providentia sacrosancte romane ac universalis Ecclesie summo
pontifici, domino nostro reverendissimo, Sigismundus, Dei gratia
marchio Brandenburgensis, sacri romani imperii archicamerarius
et princeps elector, devota pedum oscula beatorum. Ad gubernandum
feliciter imperii sacri romani rempublicam ejusque multiplices suf-
ferendos labores et onera digna maturaque deliberatione previsi,
et ut idem (*a*) sacrum romanum imperium serenissimi ac invictissimi
principis et domini genitoris nostri, domini Karoli quarti, Romanorum
imperatoris [799] semper augusti, viribus jam corporea vale-
tudine lacescitis et senio, forti potentique presidiatore non careat, pro
salubri commodo totius christianitatis et statu in relevamen et adju-
torium dicti domini genitoris nostri domini Karoli Romanorum
imperatoris semper augusti, hodie in ecclesia collegiata Sancti Bartholomei
in oppido Frankemfurde super alveo Mogani, Magunti-
nensis diocesis, una cum omnibus et singulis ecclesiasticis et secu-
laribus principibus coelectoribus nostris ad quos electio Romanorum
regis legitime spectare dinoscitur, iidemque principes electores
imperii nobiscum pariter, disponente superno, Spiritusque Sancti gratia
devotius invocata, serenissimum principem dominum fratrem nos-
trum dominum Wenzeslaum christianissimum regem Bohemie in
Romanorum regem promovendum in imperatorem votis concordibus
elegimus, nemine discrepante, qui etiam in electionem hujusmodi
previa deliberatione consensit, et eamdem electionem rite celebra-

a) iidem (*sic*), ms.

vimus adhibitis sollempnitatibus et ceremoniis debitiss et consuetis. Que ad vestre sanctitatis notitiam presentium tenore deducimus, summopere supplicantes quatinus persone dicti domini fratris nostri Wenceslai in Romanorum regem concorditer sic electi vestre beatitudinis impendere dignemini solitam gratiam et favorem. Presentium sub appenso nostro sigillo testimonio litterarum. Datum Frankenfurd anno Domini MCCCLXXVJ, indictione XIIIJ, die x junii.

Nos, Wentzeslaus, Dei gratia sacri Romani imperii archimarescallus, Saxonie et Lunemburgensis dux, notum facimus tenore presentium universis quia cum omnibus aliis sacri Romani imperii principibus coelectoribus nostris unanimiter et concorditer serenissimum principem dominum Wenceslaum, regem Bohemie, in Romanorum regem elegimus animo deliberato, etc., *ut in alia.*

CLXXXIII

[800] LITTERAE¹ WENCESLAI REGIS ROMANORUM, QUIBUS CERTOS CONSTITUIT PROCURATORES AD PETENDAM CONFIRMATIONEM ELECTIONIS SUAE A PAPA GREGORIO XI. — Francfort-sur-le-Mein, 10 juin 1376.

Wenceslaus, Dei gratia rex Romanorum electus semper augustus et Bohemie rex, venerabili Ekhardo Wormaciensi episcopo, principi consiliario, et illustribus Amedeo (a), comiti Sabaudie, Raymundo de Baucio principi Aurasicensi, spectabilibus Guillelmo vicecomiti Turenne, Petro Gebennensi, Ludovico Valenciensi, Everhardo de Katzenloben comitibus, neconon honorabili Conrado de Geisenheim, decano Spirensi, suis dilectis, gratiam suam et omne bonum. De vestrorum fide, legalitate et circumspectionis industria firmam fiduciam obtinentes, vobis omnibus tanquam nunciis, procuratoribus et ambassiatoribus nostris ad hoc specialiter destinatis, vel aliquibus ex vobis absentibus seu alias legitime prepeditis, vobis dictis Ekhardo, Wormaciensi episcopo, Eberhardo comiti de Catzenelbogen, Conrado decano Spirensi cum uno vel pluribus ex predictis damus presentibus plenum et expressum mandatum ac omnimodam potestatem nostro (b)

a) Danedo, ms. — b) omis par Bal.

1. *Ut supra*, fol. 89 r°.

tanquam electi Romanorum regis nomine a sanctissimo in Christo patre domino nostro domino Gregorio digna Dei providentia sacro-sancte Romane ac universalis Ecclesie summo pontifice petendi nobis sue sanctitatis favores et gratias exhiberi, necnon post obitum serenissimi principis domini et genitoris nostri carissimi domini Karoli Romanorum imperatoris semper augusti, quem omnipotens Deus conservare felici longevitate (*a*) dignetur, vel eo Romanorum renuntiante imperio, inunctionem et consecrationem per apostolicas manus impendi, nosque imperiali diademat coronari loco et tempore opportunis, et nichilo[801]minus in animam nostram eidem sanctissimo domino nostro pape vel ei cui hoc sua sanctitas duxerit committendum promittendi et juramentum prestandi nos velut Romanorum regem omnia et singula promissuros, pollicitaturos et juraturos (*b*), ac etiam facturos et impleturos que dictus serenissimus ac invictissimus princeps dominus Karolus, Romanorum imperator, genitor noster carissimus et dive memorie quandam imperator Romanorum Heinricus avus ejus, dum in Romanorum reges electi fuerunt, Romanis pontificibus et apostolice Sedi se facturos et impleturos promiserunt et etiam juraverunt, necnon etiam omnia et singula alia in animam nostram promittendi et jurandi que in premissis, eorum quolibet, et circa ea necessaria fuerint aut etiam opportuna, etiamsi mandatum exigant speciale; que etiam missa et juramenta faciemus et renovabimus corporaliter cum per dictum dominum nostrum papam vel nuntios suos ad hoc mandatum habentes desuper fuerimus requisiti; ratum et gratum tenere et firmiter observare spondentes quicquid per vos nuntios, procuratores et ambassiatores nostros, sicut premittitur, in premissis actum, factum, gestum, et promissum fuerit aut juratum. Presentium sub regie Bohemie majestatis nostre sigillo testimonio litterarum. Datum Frankenfurd anno Domini MCCCLXXVJ, inductione XIIIJ, m^r ydus junii, regnorum nostrorum Romanorum primo, Bohemie vero XIIJ.

Aliud procuratorium est sufficientius sub data in oppido Preska, Pragensis diocesis, anno Domini MCCCLXXVIJ, x^o kalendas octobris [22 septembre], regnorum nostrorum Bohemie anno XIV, Romanorum vero secundo.

a) longanimitate, ms. — *b)* juratores (*sic*), ms.

CLXXXIV

[802] PRIMA GREGORII XI EPISTOLA¹ AD KAROLUM IV IMPERATOREM
DE ELECTIONE WENCESLAI, FILII EJUS, IN REGEM ROMANORUM. —
Rome, 4 décembre [1377]².

Gregorius, etc. (a) Serenissime princeps et in Christo fili carissime, significato jam dudum tue celsitudini per venerabilem fratrem [noscstrum] episcopum Spoletanum, Sedis apostolice nuncium, ad tuam presentiam destinatum, quod in facto approbationis electionis carissimi in Christo filii regis Bohemie illustris, nati tui, in regem Romanorum, ob sincere dilectionis affectum, quam ad personam et domum tuam semper gessimus ab antiquo, prout gerimus continue per augmentum, prompti eramus procedere gratiose, servatis tamen et impletis eis juramentis et aliis per te et dictum natum tuum que ante consensum nostrum habitum in electione predicta certis nostris atque tuis nunciis referentibus nobis fuere promissa, et que tumet ipse in tua promotione ad eumdem apicem hactenus prestitisti, mirari cogimur nullis exinde nec de ejusdem episcopi progressibus adhuc certis rumoribus intellectis, serenitatem tuam nichilominus certam redentes quod premissis impletis, que de jure negari non possunt, adhuc tue contemplationis intuitu parati sumus procedere in approbatione predicta et dependentibus ab eadem. Ceterum tua noverit celsitudo quod nunquam per nos stetit neque stat quin cum Florentinis vera (b) pax fuerit reformata. Ad hoc enim ad partes has accessimus, ad hoc totalis mens nostra versatur ut omnem Ytaliam pacificare possimus. Sed ne benignis tuis in auribus detractorie Florentini (c) verba valeant insufflare mendosa, prout principes alios orthodoxos deliramentis fallacibus et exquisitis fictionibus inficere more solito moluntur, ecce causas per quas inter [803] cetera tractatus concordie nuper cum ambaxiatoribus eorumdem agitatus in curia ruptus fuit. Ipsi nempe

a) *Au lieu de Gregorius Bal. met Carissimo in Christo filio Carolo, Romanorum imperatori semper augusto, passage restitué d'après le document CLXXXV.* — b) *verax, ms. latin 4127. — c) Florentinorum, ms. latin 4127.*

1. D'après les mss. latins 4127, p. 520-525, et 4128, p. 476-480 (Bibliothèque nationale de Paris). — 2. Weizsaecker (*Deutsche Reichstagsakten unter König Wenzel*, Munich, 1867, t. 1, p. 144, n. 90) a prouvé que l'acte, daté de 1376 par Baluze, ne pouvait être que de 1377.

circa statuta nephandissima et iniqua contra inquisitionis heretice pravitatis officium et ecclesiasticam libertatem edita in eorum civitate nullo modo revocare volebant; ymo veluti hereticorum fautores manifesti quemdam tenent hereticum notorium perversa dogmata et errores manifestos in impugnatione fidei catholice palam et publice in ipsa civitate docentem. Nolebant (*a*) insuper de bonis ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum, et presertim immobilibus, que venditioni exponendo suis destestandis usibus applicaverunt et dampnabiliter distraxerunt, restitutionem facere condecentem. Et licet in favorem concordie ad multa vellemus descendere evidenter irrationalibia et minus (*b*) honesta, ista tamen, que nunquam alias in quocumque tractatu, sive cum quondam Frederico, sive cum Bernabone, Galeatio vel alio Ecclesiam persequente, denegata fuerunt, omnino facere recusarunt; ut de multis aliis taceamus. Et hec est mera facti veritas, quam in ambaxiatorum ipsorum conspectibus, presente multitudine copiosa, assistantibus fere omnibus fratribus nostris cardinalibus in curia nostra residentibus, fecimus per tractatores solempniter publicari, ut coram Deo et hominibus eorum perversa feteret impietas, totusque mundus nostram agnosceret equitatem, quibus agnitis (*c*) Christi fideles catholici compaterentur sincerius super tantis injuriis matri sue. Unde, fili carissime, cum pre ceteris mundi principibus tu sis romane Ecclesie principalis advocatus ac defensor, ad cuius protectionem contra omnes impugnatores ipsius, prestito etiam in coronatione tua speciali juramento, teneris, mirandum est quod adversus pestilentes viros hujusmodi, sceleratos hereticos, sodomitas, usurarios, et tot ac tantis et enormibus vitiis irretitos, cum te non lateant eorum graves excessus, processus [804] tuos imperiales tam diu differas promulgare, et matrem tuam tot et tantis lacescitam oppressionibus per proprios Imperii subditos irrogatis tam diurno tempore inadjudatam relinquas. Quocirca serenitatem cesaream viscerose rogamus ab intimis obsecrantes ut cum, sicut accepimus, tu et carissimus in Christo filius Carolus, rex Francorum illustris, simul beatissimis super certis negotiis convenire, vos, qui principiores et potentiores totius christianitatis principes existitis, et quorum progenitores incliti et protexerunt Ecclesiam et fidem catholicam totis semper conatibus exaltarunt, nunc circa relevamen ipsius Ecclesie aliquem ordinem reperire (*d*) et opportunum remedium

a) Volebant, *ms. latin 4127.* — *b)* nimis, *ms. latin 4127.* — *c)* augmentis, *ms. latin 4127.* — *d)* recipere, *ms. latin 4127.*

adhibere velitis, non permittentes eam et fidem predictam vestris in conspectibus sub impiorum predictorum pedibus sic turpiter conculari; predictis insuper tuis processibus non ultra neglectis. Preterea serenitatem augustam obnixe rogamus quatenus electo Maguntino, quem ad tuarum precum instantiam ad eamdem ecclesiam promovimus, prebere digneris auxilium et favorem, quibus mediantibus possessionem ipsius ecclesie valeat adipisci. Cedit autem in nostrum et apostolice Sedis dedecus et contemptum quod ipsa ecclesia tam diu per violentiam occupetur (*a*). De Vratislaviensi autem disponere hoc usque distulimus, semper sperantes de dicto electo tuo mediante predicto (*b*) favorabiliter gratos audire rumores, et ut eo (*c*) mediante factum Maguntinum pacificare possemus. Super quibus omnibus dilecto filio magistro Petro Odoleno Bouzonis (*d*), imperiali secretario, lucidius aperimus mentem nostram tue celsitudini detegendam. Datum Rome, die quarta mensis decembbris.

CLXXXV

[805] SECUNDA GREGORII XI EPISTOLA¹ AD KAROLUM IV IMPERATOREM
DE ELECTIONE WENCESLAI, FILII EJUS, IN REGEM ROMANORUM. —
Rome, février [1378]².

*Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum imperatori semper augusto Gregorius (*e*). Serenissime princeps et fili in Christo carissime, ad nostram nuper revertens presentiam venerabilis frater noster episcopus Spoletanus, cui multa in suo reditu propter intemperiem aeris equorisque procellas impedimentorum discrimina occurrerunt, quam honorifice eum suscepisti pariter et tractasti, [quodque] (*f*) favorem sincerum in factis romane Ecclesie velut ejus peculiaris filius, defensor, et advocatus impendere sollicitis studiis continue non desistis nobis fideliter exposuit oraculo vive vocis. Et quamvis affectio tua ad nos et ipsam Ecclesiam non latuerit in abditis temporibus*

a) occupatur, *Bal.* — *b)* presidio, *Bal.* — *c)* ea, *Bal.* — *d)* lege Odolerio Bonzonis. — *e)* omis par *Bal.* — *f)* quemque, *mss.* et *Weizsaecker*.

1. D'après les mss. latins 4127, p. 610-612, et 4128, p. 441-443. — 2. Weizsaecker a prouvé que la bulle fut expédiée en 1378 et non en 1376, comme le voulait Baluze; *op. cit.*, p. 146, n. 91.

retroactis, constantiam tamen et perseverantie puritatem tui pectoris ejusdem episcopi adhuc fida nobis relatio liquidius patefecit, inde tue referentes celsitudini quam uberiora valemus merita gratiarum. Sane missis per te tuis litteris super facto approbationis carissimi in Christo filii regis Bohemie nati tui, in regem Romanorum electi, parte nostra quesitis, mirari cogimur quod idem electus petitas sui litteras non miserit superinde; quibus tamen non obstantibus, ex singulari confidentia quam de te gerimus, vicem etiam gratitudinis rependentes, ad factum approbationis hujusmodi procedemus cum solempnitatibus opportunis, retenturi tamen conficiendas superinde litteras donec illas dicti nati tui parte nostra petitas, de quibus dictus episcopus specialem fecit tibi, sicut asserit, mentionem, et que forte retardate fuerunt propter ejusdem nati absentiam, habeamus. Quare serenitati tue placeat eas nobis quantocius desti[806]nare et tue statum, utinam semper prosperum et jocundum, significare persone et quevis tui beneplacita confidenter. Gaudenter autem accepimus quod in Francia cum rege fuisti, sperantes in Christo quod tanti principes, qui pre ceteris dominantibus in potentia et nitore christiane fidei prepolletis, multa toti mundo et utilia tractavistis invicem, non immemores anxietatum inexplicabilium et injuriarum Ecclesie, matris vestre. Preterea, fili peramantissime, de mutuata nobis pecunia quam dictus episcopus usque Venetias secum portavit perimmensas gratiarum tibi ex precordiorum intimis rependimus actiones, aperte noscentes quod in necessitatibus nostris nobis deficere [noluisti] (a), prout nec facies in posterum, ut speramus, infinitis anxietatibus, injuriis et offensis, quas sine culpa nostra patimur, devota benignaque meditatione pensatis. Datum Rome, die..... februarii.

CLXXXVI

EPISTOLA¹ GREGORII XI AD GUBERNATOREM LEMOVICUM PRO
COLLEGIO SANCTI GERMANI DE MASERÉ. — [1376 ?].

Dilecto filio nobili viro Johanni de Euroy, dilecti filii nobilis vii Eduardi principis Aquitanie et Wallie in partibus Lemovicensibus locumtenenti, salutem, etc. Ad illa te, fili, libenter inducimus ac pre-cibus exhortamur que pietatem sapiunt atque in conspectu regis

a) restitué par Weizsaecker.

1. D'après le ms. latin 4127 (ancien Colbert 356), p. 656.

eterni reddere valeant gratiosum. Sane dudum bone memorie Hugo, tituli Sancti Laurentii in Damaso presbiter cardinalis, habens a Sede apostolica testandi et disponendi de bonis suis ecclesiasticis et aliis undecumque per eum licite acquisitis liberam potestatem, in hujusmodi testamento inter ceteras ordinationes suas statuit et etiam ordinavit quod de predictis bonis suis quoddam collegium canonicorum secularium in loco de Sancto Germano prope Man[807]sum serenum, Lemovicensis diocesis, fundaretur et institueretur ac etiam dotaretur, nosque, qui tunc minori fungebamur officio, et quosdam alios executores predicti constituit testamenti. Et deinde prefato Hugone cardinale, sicut Domino placuit, sublato de medio, nos tunc minori, ut premittitur, fungentes officio pro constructione et dotatione hujusmodi collegii de Sancto Germano, de Solamio, de Crosolia, Sancti Saturnini et de Dompno Petro, et nonnullas alias terras atque loca cum eorum pertinentiis dicte Lemovicensis diocesis emi et acquiri fecimus nomine executionis supradicte. Cum autem personis dicti collegii et etiam illis qui pro dicta constructione laborant favor tuus sit plurimum opportunus, nobilitatem tuam nobis caram rogamus et hortamur in Domino, illam attentius deprecantes quatinus pro nostra et apostolice Sedis reverentia ac etiam pietatis et tue salutis intuitu hujusmodi collegium et ejus personas, ac etiam eos qui pro constructione dicti collegii laborabunt, neconon villam de Sancto Germano et alias villas atque loca dicti collegii, eorumque homines atque bona habeas et per alios capitaneos et homines armorum partium earumdem haberi facias commendatos, ita quod nos, qui te sincere diligimus, ad ea que tui sunt honoris et commodi reddas perpetuo prioniores. Datum.

CLXXXVII

LIBER MEMORIALIS¹ GREGORIO XI PAPAE OBLATUS PER LUDOVICUM
DUCEM ANDEGAVENSEM PRO OBTINENDA RESTITUTIONE REGNI MA-
JORICARUM ET COMITATUUM RUSCINONIS ET CERITANIAE, ETC. —
[1376 ?]

Beatissime pater, licet bone memorie dominus Jacobus rex Majoricarum, comes Rossilionis et Ceritanie, dudum dictum regnum Maj-

1. D'après le ms. latin 6025, fol. 149 r^o et 150 r^o (Bibliothèque nationale de Paris); acte en double exemplaire.

[808]ricarum cum insulis Minoricarum et Evisse eidem regno adjessentibus et dictos comitatus Rossilionis et Ceritanie cum Vallespirii, Confluente, et Coquolibero, et aliis terris adjessentibus eisdem et cum dignitatibus regalibus, et comitalibus honoribus, jurisdictionibus, districtibus, dominiis, dominationibus, juribus et pertinentiis eorumdem universis plene, pacifice, quiete et notorie suo bono jure possideret, rex, princeps, comes et dominus solus et in solidum illorum existens, sic et talis nominatus, reputatus, habitus, receptus et tractatus per omnes in eisdem regno et comitatibus, insulis et aliis terris predictis et alibi, et ab aliis, etiam a predecessoribus pro tempore vestre Sanctitatis romanis pontificibus et reverendis patribus dominis cardinalibus et sacro collegio, atque a regibus et principibus orbis terre, et inter ceteros ab illustre domino Petro rege Aragonum moderno, tamen idem dominus Petrus, rex Aragonum, per sui potentiam vi armorum et feroci exercitu palam et notorie invasit et occupavit, mandavit et fecit invadi et occupari dictum regnum Majoricarum et dictos comitatus Rossilionis et Ceritanie cum dictis insulis et terris adjassentibus, et aliis juribus et pertinentiis universis predictis indebitae et injuste, dicto domino Jacobo rege et comite illa plene, pacifice et quiete tunc possidente, ipsumque dominum Jacobum regem et comitem spoliavit, mandavit et fecit spoliari de facto violenter injuste et inique possessione eorumdem regni et comitatum et insularum ac terrarum eisdem adjacentium et jurium et pertinentiarum ipsorum et aliarum rerum mobilium ipsius domini Jacobi regis et comitis in eisdem tempore dicte violentie et occupationis existentium, et spoliationem et occupationem hujusmodi nomine suo factam ratam habuit et habet, atque regnum ipsum et comitatus eosdem cum insulis et ter[809]ris eisdem adjacentibus et juribus et pertinentiis eorumdem et eorum possessione per se et alios occupavit et occupata ex tunc tenuit et tenet de facto per violentiam temere et inique, et fructus, proventus, redditus et obventiones inde habuit et recepit. Deinde, pater beatissime, dictus dominus Jacobus sic spoliatus ab hominibus fuit exemptus, superstitibus sibi dominis Jacobo et Ysabelle, filiis suis legitimis et naturalibus ex domina Constantia, Majoricarum regina, sorore dicti domini regis Aragonum, consorte sua. Qui dominus Jacobus, filius et heres dicti domini Jacobi defuncti, rex et comes ac dominus solus et in solidum et pleno jure dictorum regni Majoricarum et comitatum Rossilionis et Ceritanie, insularum et aliarum terrarum eisdem adjacentium, et aliarum pertinentiarum et jurium universorum eorumdem requisivit dictum dominum regem Aragonum

quod sibi restitueret dictos regnum, comitatus, insulas et alias terras adjacentes eisdem, cum aliis juribus et pertinentiis universis eorumdem, una cum fructibus inde perceptis et qui percipi potuerunt, et aliis rebus mobilibus supradictis, quodque scripsit regalibus, nobilibus, prelatis et communitatibus Aragonie, Valencie, Cathalonie quod ipsum regem inducerent ad predictam restitutionem faciendam eidem, quod dominus rex Aragonum indebitate facere recusavit. Post que, nulla facta sibi restitutione de predictis, dictus dominus Jacobus, filius (*a*), inter homines desiit esse, sibi superstite dicta domina Ysabelle, sorore sua proximiore in gradu parentele, eidem domino Jacobo, fratri suo, ab intestato in solidum succedente; cui etiam dictus dominus rex Aragonum de predictis restitutionem contra jus et justitiam facere recusavit. Que domina Ysabellis mota rationabilibus et justis causis jura et actiones suas sibi competentes et competentia in et pro dictis regno, comitatibus, in [810] sulis, et terris adjacentibus, ac aliis juribus et pertinentiis universis eorumdem, ac aliis rebus mobilibus et fructibus supradictis legitime cessit et transtulit in illustrem dominum Ludovicum Andegavie ducem. Ex quibus, beatissime pater, evidenter infertur quod dictus dominus rex Aragonum tenetur et debet dictum regnum Majoricarum et comitatus Rossilionis et Ceritanie, insulas et alias terras eisdem adjacentes, cum pertinentiis et juribus universis eorumdem, fructus et alias res mobiles supradictas restituere dicto domino duci et ipsum funditus reintegrare.

CLXXXVIII

GREGORII XI EPISTOLA¹ AD KAROLUM V, REGEM FRANCORUM, DE
PHILIPPO ALENCONIO, PATRIARCHA HIEROSOLYMITANO. — Rome,
12 décembre [1377?]

Tres cher fils en Dieu, receües nagueres tes lettres de ta main, contenans que par nos lettres et prières tu avoiez pardonné au patriarche de Jerusalem ton cousin, ce dont il t'avoit courroucié etc. et pour

a) omis par Bal.

1. D'après les mss. latins 4127, p. 432, et 1700, fol. 257 r^o (Bibliothèque nationale de Paris).

ce l'a remiz en ton amour etc. nous avons eu tres grant plaisir de ceste reconciliation, et t'en remercions de ce que fait y as pour reverence et contemplation de nos prieres, en priant derechief que comme tu le voies ainsi humilié et desirant, si comme nous le tenons, de faire ton plaisir plus que onques mais, et soit ainsi de ton prochain lignage, il le te plaise parfaitement recevoir et avoir en ta benigne grace et pour especialment recommandé. Quant ad ce, tres cher fils, que tes lettres subjoignoient, c'est assavoir que le patriarche d'Aquilée voulussions promouvoir à estat de cardinal et ton dit cousin en lieu de patriarche de Jerusalem translater au patriarché d'Aquilée, plaise toi savoir que nous ne sommes pas disposez ad present à faire cardinaux, et aussy ledit patriarche [811] d'Aquilée tant pour l'aage comme pour autres causes promouvoir à tel estat; et ainsi de benefice qui ne vaque ou n'est autrement que par naturel finement en espoir de vaquer ne nous convient faire response. Et d'autre part, tres cher, vueille savoir que combien que avec les quatre patriarchés principaux qui sont ultre mer sous peuple crestian et seulement titulars avec nul ou tres petit emolument nos predecesseurs aient acoustumé, pour l'estat des patriarches soubstenir, de leur baillier aucune eglise en commande, toutevoyes avec ledit patriarche de bon emolument et entre les crestians nous ne le ferions. Et oultre est certain que ledit patriarche d'Aquilée a peuple tres grant et de moult diverse condition, tres grant temporalité, et environné de grans seigneurs et d'autres tirans. Pourquoy n'est pas vraysemblable que par homme qui ne fut du païs et bien poissant et qui y residast personelment, continuelment et poissamment, les droits de ladite eglise d'Aquilée peussent estre deuëment soustenus ne defendus. Pourquoy ne veons pas que en ceste partie te peussions complaire; si comme de tout ce nous avons encore plus à plein dit au cardinal d'Amiens, pour le toi escrire, nostre volonté. Toutesvoies nous avons tres grant plaisir et sommes tres content que ton dit cousin, si comme dit est, soit en ton amour reconcilié, et pour contemplation de toi et les merites de sa personne l'aurons tres especialment, quand aucun cas raisonnable s'y offerra, pour especialment recommandé. Et te plaise tousjours à nous signifier fiablement tes bons plaisirs. Donné à Rome le xii jour de decembre.

CLXXXIX

EPISTOLA¹ GREGORII XI AD PILEUM ARCHIEPISCOPUM
RAVENNATENSEM. — Rome, 4 janvier [1377].

Venerabilis frater. Accepta die hesterna vacatione Tornacen[812]sis ecclesie, cum pro translatione nonnullorum prelatorum ad ipsam nobis supplicatum fuisset, statui tamen tuo et indigentiis paterno compatientes affectu, hodie, nullo propter futura precamina de aliis vel transferendis vel promovendis intervallo ampliori expectato, ad eamdem Tornacensem ecclesiam te gratiore duximus transferendum, sperantes quod et regi, qui pro te pluries nobis scripsit, et tibi, qui jam mores illarum partium didicisti, hec translatio grata erit. Sane nullo de presenti patriarchatu vacante, presertim de principalibus, tibi non potuimus titulum alium cum dicto episcopatu conferre, quia nec cum Ravennatensi vel simili ecclesia nunquam episcopalem aliam tradidimus nec tradere intendimus alicui in commendam. Neque mireris etiam si de archiepiscopatu Ravennatensi predicto ad dictam Tornacensem ecclesiam episcopalem dumtaxat te transtulerimus, ut prefertur. Namque legimus Ravennatensem archiepiscopum ad Carnotensem ecclesiam longe minorem Tornacensi in opulentia retroacto tempore fuisse translatum. Nos autem tuum semper affectantes honorem tibi gratiore concedimus quod palleo possis uti pro tempore vite tue, si requisiveris, ut moris est. Et si quem patriarchatum, saltem de titularibus, vacare contingat, tui memor erimus incunctanter. Datum Rome, die quarta januarii.

DE EADEM RE SEQUENTIA¹ LEGUNTUR IN EPISTOLA AB EODEM GREGORIO
SCRIPTA AD QUEMDAM EPISCOPUM.

Quantum ad archiepiscopum Ravennatensem, nunquam ei vel alii pro ipso spem dedimus, sibi retinendo suam, conferendi quamvis ecclesiam in commendam, quamvis libenter eum transferre casu occurrente velimus, prout est sepius per nos dictum et scriptum. Verum si vacare continget patriarchatum aliquem titularem, bene vellemus eo casu, et non alias, una cum [813] eodem patriarchatu aliquem ecclesiam ei tradere in commendam.

1. D'après le ms. latin 4127, p. 466 (Bibliothèque nationale de Paris).

CXC

EPISTOLA¹ PETRI ROSTAGNI, CASTELLANI CASTRI SANCTI ANGELI, AD CARDINALES QUI ERANT APUD AVENIONEM TEMPORE MORTIS GREGORII XI. — [1378].

Reverendissimi patres et metuendissimi domini mei, humillima recommendatione premissa. Vestris paternitatibus non dubito fore notum qualiter quatuor annis vel circa castrum Sancti Angeli, in alma Urbe situatum, pro sancta romana Ecclesia cum omni diligentia conservasse. Et quia casus emersit in arduis, propter juramenti ligamen quod infra audietis cogor ad paternitates vestras recurrere pro consilio et auxilio agendorum. Est verum, reverendissimi domini, quod sancte memorie domino Gregorio XJ, summo pontifice, appropinquantे ad mortem, misit pro me servitore vestro, et post multa recitata que sentiebat propter ejus infirmitatem et mortis casum futurum in Romanum pontificem ordinari voluit et michi expresse mandavit quod castrum predictum nunquam restituerem homini viventi sine assensu et expresso consensu paternitatum vestrarum, et causam michi expressit sic dicendo : *Castellane, ego sentio quod Romani sperantes me non posse evadere, jam ymaginantur velle facere fieri (a) ad eorum votum summum pontificem; qui si per violentiam fiat, summus pontifex non erit.* Et ideo nolo redi castrum sine consensu cardinalium qui remanserunt in Avinione. Et ita me jurare voluit observaturum sub penis perjurii et proditionis in manibus sanctitatis prefate. Sieque ejus clauso extremo, Romani claves omnium portarum urbis et pontium acceperunt, et custodes ad omnes exitus posuerunt, et post multa consilia habita et varios tractatus habitos cum domini[n]is cardinalibus promissum fuit quod ipsi libere juxta canones eligere possent summum pastorem. Die itaque quo intratur erant conclave reverendissimi domini domini cardinales, cum maxima parte populi coadunati incepérunt clamare : *Ytalicum volumus sine fallo.* Et fere ostia dicti conclavis clausa erant, quando hominum multitudo armata clamare incepit comminando : *Romanum vel Ytalicum volumus sine fallo.* Et cum talibus clamoribus perdurarunt usque mane. Quo ve-

a) omis par Bal.

1. D'après le ms. latin 11745, fol. 66 r° (Bibliothèque nationale de Paris).

niente, fregerunt domos conclavis violenter, ubi erant domini cardinales, et clamabant: *Romanum volumus vel saltem Ytalicum.* Et quidam ex dominis fuerunt tracti et pessime pertractati, et quidam fuge-
runt. Que omnia vidi et audivi relatu sex dominorum cardinalium qui mortis timore ad castrum prefatum fugerunt. Ob quorum causam isti qui Urbanum VJ se facit nominari propter juramentum supra-
scriptum castrum restituere nolui neque volo sine vestro speciali assensu, ut meum honorem servare valeam illibatum. Quare pro Deo quid intentionis vestre est me velle agere in predictis per latorem presentium sub authenticis litteris rescribatis et me clarum reddatis de agendis. Alias meo servato honore, reproto per hanc scripturam fore factum, castrum restituam supradictum, etc. *Subscriptio.* Reverendissimis, etc., dominis Tusculanensi, Sabinensi, Albanensi, Pam-
pilonensi, Mimatensi et Sancti Martialis.

RESPONSIO¹ CARDINALIUM. — Avignon, 3 juillet 1378.

Miseratione divina Anglicus Albanensis episcopus et Petrus Sancte Anastasie presbiter cardinalis dilecto nobis in Christo nobili viro Petro Gaudelini de Sancto Crispino, domicello, castellano castri Sancti Angeli de Urbe ad romanam Ecclesiam pleno jure pertinentis, salutem in Domino. Noveritis quod nuper reverendissimi in [815] Christo patres et domini nostri Egidius Tusculanus, Johannes Sabinensis episcopi, ac Guillelmus tituli Sancti Vitalis presbiter, et Hugo Sancte Marie in Porticu diaconus cardinales, et nos una cum eisdem, recepimus literas in effectu continentes quod sancte memorie dominus noster dominus papa Gregorius XJ, ipso adhuc in humanis agente et jam approximante ad mortem, vos ad ejus presentiam vocaverit, et certis ex causis ipsum ad infrascripta moventes voluit, ut asseritis, vobisque expresse mandavit, et maxime sub certis penis in hujusmodi vestris literis contentis, ad quas vinculo proprii juramenti tunc per vos in ejus manibus prestiti vos astrinxit, quod si eumdem dominum nostrum Gregorium papam XJ migrare contigeret ab hac luce, nullo tempore dictum castrum alicui persone restitueretis seu assignaretis nisi ad id omnium reverendissimorum patrum dominorum S. R. E. cardinalium tempore obitus sui in hiis partibus citramontanis existentium accederet assensus, et demum eodem domino nostro, sicut Deo placuit, de medio sublato, et sanctissimo in Christo patre et

1. Baluze indique comme source le ms. Saint-Victor 842. Le document ne s'y trouve pas.

domino nostro domino Urbano divina providentia papa VJ, ad apicem summi apostolatus assumpto, licet per eumdem dominum nostrum Urbanum et pro parte sua fueritis pluries debite requisitus ut sibi dictum castrum ad ipsum et romanam Ecclesiam pleno jure pertinens, ut prefertur, restituere et assignare curaretis, ut decebat, vos nichilominus dictas excusationes pretendentes castrum hujusmodi recusatis sibi restituere et recusatis ad presens donec vobis super hoc nostrum prebeamus assensum. Nos igitur Anglicus episcopus et Petrus presbiter cardinales prefati, visis una cum aliis reverendissimis patribus dominis cardinalibus predictis vestris literis hujusmodi, et habito invicem consilio super ipsis, vobis, quantum in nobis est, expresse mandamus et etiam [816] hortamur attentius quatinus premissis non obstantibus castrum hujusmodi prefato domino nostro Urbano pape VJ, tanquam sacrosancte romane ac universalis Ecclesie summo pontifici vel alteri ad ejus mandatum restituatis indilate, et etiam nostrum in hoc tenore presentium prebentes assensum, credimus etiam quod alii cardinales prefati vobis ita significarunt per suas litteras vel significabunt super premissis eorum intentum. In quorum testimonium presentes litteras fieri mandavimus, quas nostrorum sigillorum fecimus munimine roborari. Datum Avinione, anno a nativitate Domini MCCCLXXVIIJ, inductione prima, die tertia mensis julii, pontificatus domini nostri domini Urbani pape VJ anno primo.

CXCI

PROTESTATIO¹ DOMINI BERTRANDI CARDINALIS GLANDATENSIS ANTE-
QUAM INTRARET CONCLAVE, SUO SIGILLO SIGILLATA, CUM SUBSCRI-
TIONE NOTARII. — 10 décembre 1378.

In nomine Domini. Amen. Noverint universi presentes pariter et futuri quod anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo septuagesimo octavo, die vero decima mensis decembris, inductione prima, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Clementis, divina providentia pape VIJ, anno primo, reverendissimus in Christo pater et dominus dominus Bertrandus, episcopus Hostiensis, sancte romane Ecclesie cardinalis, constitutus in presentia venerabilis viri domini Jacobi Lagerii, regentis officium

1. D'après le ms. latin 11745, fol. 267 v^o.

domini auditoris curie camere apostolice, eidem domino Jacobo expusit quod, de anno presenti et die martis proxima post dominicam de passione, que fuit dies sexta mensis aprilis, dum esset in domo habitationis sue in Roma, ipse convocavit Ste[817]phanum Bernardi, notarium publicum, auctoritate apostolica et imperiali, convocatis etiam testibus infrascriptis, scilicet domino Giraudo de Brolio, canonico Vicensi, Bertrando Raphaelis, canonico et precentore Glandatensi, Antonio Cayre, canonico Ebredunensi, Giraudo de Maseto, priore prioratus Sancti Pontii, diocesis Ebredunensis, fratre Johanne Besserie de ordine fratrum Minorum, pro cautela sua et eorum quorum interest et interesse poterit (*a*) in futurum, et ut clarius constaret de proposito, et mente et voluntate sua, in presentia notarii et testium predictorum ad hoc vocatorum et rogatorum, dixit et in quantum potuit fuit ibidem efficaciter protestatus, videlicet quod, quia videbat parari et disponi per aliquos officiales Urbis et aliquos alios Romanos sibi et aliis dominis cardinalibus periculum mortis, nisi eligerent in papam Romanum vel saltem Ytalicum, et super hoc ipse et alii domini cardinales pluries et aliquando cum minis fuerant requisiti, et quod ipse timebat de pejori quando essent in conclavi, et quod sibi videbatur secundum judicium suum magis utile quod eligeretur papa natione transmontanus quam Ytalicus, et omnino videbatur sibi expedire quod eligeretur (*b*) de collegio dominorum cardinalium et non de extra, et quod omnino erat determinatus nominare tres cardinales ultramontanos, de quorum quolibet videbatur sibi bonum esse et utile facere novum papam secundum conscientiam suam, et ideo dixit et propter hoc protestatus fuit cum quanta animi attentione potuit, et ita tunc dixit quod si eligeret vel nominaret in papam aliquem Ytalicum de extra collegium dominorum cardinalium, quod hoc esset metu mortis et omnino contra mentem et propositum ac voluntatem suam, quod nullo [modo] intendebat nec intenderet unquam consentire in talem sic electum, et quod per illam nominationem vel electionem, si ita dici debebat, non intendebat aliiquid illi sic electo acquireti in papatu, nec per quemcumque actum [818] qui inde per eum subsequeretur, sed quando talem nominationem vel electionem faceret, hoc faceret ut aufugaret mortem, quam videbat sibi et aliis dominis cardinalibus preparari. Item dixit quod etiam fuit protestatus tunc quod, si contingeret ipsum revocare istam voluntatem et propositum, ut superius per omnia est expressum, quod talem

a) poterat, ms. — b) papa natione... eligeretur, omis par Bal.

revocationem habebat pro nulla et irrita et nullius penitus firmitatis. Item quod de omnibus supradictis petiit sibi fieri publicum instrumentum per Stephanum, notarium supradictum. Item dixit quod notarius supradictus de anno predicto et mense novembbris proxime preterito diem suum clausit extremum, et quod propter turbationem que propter Romanos provenit perdidit multas res et scripturas suas, et quod omnino non posset habere de protocollis dicti notarii instrumentum predictum. Quare dictus dominus cardinalis ad perpetuam rei memoriam predictorum de predicta protestatione et de omnibus supradictis petiit sibi fieri publicum instrumentum, et requisivit dictum dominum Jacobum vicesgerentem quatinus juramenta testium superius (*a*) nominatorum, qui interfuerunt protestationibus supradictis, reciperet et dicta et etiam depositiones ipsorum in eodem instrumento inserantur et describantur. Et dictus dominus vicesgerens requisitionem superius factam tanquam consonam rationi admisit, juramenta ipsorum testium recepit de dicenda veritate super eis super quibus erunt interrogati et examinati, quodque prefati testes unus post alium de mandato ipsius domini vicesgerentis juramenta prestiterunt ut sequitur infra, et ad majorem roboris firmitatem idem dominus vicesgerens sedens super una caxa, quam sibi ad sedendum pro tribunali elegerat, ad requisitionem prefati domini cardinalis, auctoritatem suam interposuit pariter et decretum.

Sequuntur dicta et depositiones testium, videlicet quod perfecta protestatione predicta per quemlibet ipsorum testium, super ea interrogavit eos dictus dominus judex separatim. Et primo dictum dominum Guiraudum de Brolio, qui respondit dictam protestationem fuisse factam et dictum per dictum dominum cardinalem, prout superius continetur. Interrogatus quomodo scit dixit quia fuit presens. Dictus tamen testis dixit quod sibi videbatur dominum cardinalem dixisse quod erat determinatus nominare duos cardinales, de quorum quilibet bene posset provideri sancte romane Ecclesie. Interrogatus testis si prece, pretio, favore, odio, amore, vel timore deposuerit superius deposita ab eodem, dixit per suum juramentum quod non, nisi pro veritate dicenda. Secundo interrogavit dictum dominum Bertrandum Raphaelis, qui etiam respondit verum esse dictam protestationem fuisse factam et sic dictum per dictum dominum cardinalem, prout superius continetur. Interrogatus quomodo scit respondit quia fuit presens et ita audivit. Interrogatus si prece,

a) supra, Bal.

pretio, odio, amore, timore, vel favore deposuerit superius deposita ab ipso, dixit per suum juramentum quod non, nisi pro veritate dicenda. Postea etiam separatim interrogavit dictum dominum Antonium Cayre, qui etiam respondit verum esse dictam protestationem fuisse factam et dictum per ipsum dominum cardinalem, prout superius continetur. Interrogatus quomodo scit dixit quia presens fuit, et ita audivit. Interrogatus in quo loco dixit quod in Urbe et in camera secreta ipsius domini cardinalis. Interrogatus testis si prece, odio, favore, timore, vel amore deposuerit predicta, dixit per suum juramentum quod non, quia rei veritas sic se habebat. Postmodum autem separatim interrogavit dictum dominum Giraudum de Maseto, qui similiter respondit quod erat verum et dictam protestationem fuisse factam et dictum per eundem dominum cardinalem, prout superius continetur, et sic audivit presentibus notario et aliis pre[820]dictis. Interrogatus in quo loco dixit quod in Urbe et in camera secreta ipsius domini cardinalis. Interrogatus testis utrum prece vel favore, odio, vel amore deposuerit superius deposita ab eodem, dixit per suum juramentum quod non, nisi pro mera veritate, que sic se habet. Postremo autem interrogavit idem dominus vicesgerens dictum fratrem Johannem Besserie, de ordine Minorum, qui etiam respondit verum esse quod dictus dominus cardinalis fecerit dictam protestationem, prout superius continetur, dicens dictus testis quod ad dictam protestationem fuit vocatus una cum notario et testibus supradictis, et de dictis protestatione et aliis supradictis petiit fieri publicum instrumentum per notarium supradictum. Interrogatus in quo loco dixit quod in Urbe et in camera secreta ipsius domini cardinalis. Interrogatus testis utrum prece, odio, favore, vel timore deposuerit superius deposita ab eodem, dixit per suum juramentum quod non et quod rei veritas sic se habet, dicens testis quod notarius qui fuit presens decessit, et ideo non potuit reperiri nota de predictis protestationibus, quam notam idem notarius recepit.

Postea decrevit dictus dominus vicesgerens omnibus supradictis fidem adhiberi debere, sicuti in instrumento quod super predictis fuerat primitus requisitum, et de quibus omnibus dictus cardinalis petiit et dictus dominus vicesgerens voluit fieri publicum instrumentum per me, notarium publicum infrascriptum. In quorum omnium et singulorum predictorum testimonium prefatus dominus vicesgerens hoc presens publicum instrumentum voluit et fecit una cum signo et subscriptione mei notarii infrascripti, sigilli proprii dicte curie, quo utitur, communiri. Acta fuerunt hec Fundis in

domo habitationis prefati domini cardinalis, videlicet in sua camera paramenti, anno, indictione, mense, die, et pontificatu quibus supra, [821] presentibus venerabilibus et discretis viris domino Petro Giliberti, presbitero, canonico et sacrista Glandatensi, Guillelmo Sabine, domicello Vapincensi, Bertrando de Thure, Sancte Floris, et Johanne Ganau, Virdunensis diocesum, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego, Petrus Amberee, clericus Nivernensis diocesis, publicus apostolica et curie camere apostolice predicte auctoritate notarius, qui predictis ipsius domini cardinalis expositioni, testium productioni, juramentorum prestationibus, examinationi eorumdem, ac ipsorum depositionibus, auctoritatis et decreti interpositioni, ac omnibus aliis et singulis supradictis, dum, sic ut supra leguntur, agerentur et fierent, una cum prenominatis testibus presens interfui (*a*), eaque sic fieri vidi et audivi, et in notam recepi de qua hoc presens instrumentum extrahens manu propria in hanc formam publicam redegi et scripsi, et signum meum una cum appensione sigilli dicte curie de mandato dicti domini vicesgerentis apposui consuetum in testimonium premissorum rogatus.

CXCII

DECLARATIO¹ CARDINALIUM ADVERSUS BARTHOLOMAEUM ARCHIEPISCOPUM BARENSEM INTRUSUM IN PAPATU. — Anagni, 2 août 1378.

Hanc declaracionem ediderunt cardinales quum desperassent de redin-tegranda concordia. Illius autem componendae et scribendae curam omnes imposuerunt Guidoni de Malesicco, Petro de Sortenaco, Petro Flandrini, et Guillelmo Noelleti. Hujusce rei testis nobis est locuples idem Petrus Flandrini in tractatu quem tum scripsit de hoc schismate. Idem testatur etiam Petrus de Sortenaco in depositione facta coram legatis regis Castellae. Edita est autem ea declaratio in tomo quarto

a) fui, Bal.

1. D'après deux actes originaux conservés aux archives de Vaucluse, *H 64*. Les souscriptions de douze cardinaux y figurent. Leurs sceaux sont encore attachés aux parchemins. Les mots suppléés par Baluze d'après le ms. latin 11745 ont été mis entre crochets.

historiae universitatis Parisiensis, pag. 468, ex schedis Bonaventurae Bauduisii. Nos illam invenimus in duobus antiquis codicibus bibliothecae Seguieriana, in duobus bibliothecae Colbertinae, in uno Sancti Victoris Parisiensis, denique in praestantissimo illo codice Har [822]laeano [ms. latin 11745, fol. 16 r^o] quo frequenter usos esse nos constat in hoc opere componendo. Hinc ergo illam emendavimus.

Baluze.

Cum propter falsam assertionem iniquorum veritas quandoque in lucem venire nequeat, rationabiliter jura sanxerunt ut ea que in alterius possunt redundare prejudicium scripturis authenticis adnotentur, ne in posterum, cum ab hominum memoria, que naturaliter labilis existit, discesserint, falsitas veritati prejudicet, aut iniquitas prevaleat equitati. Ut igitur veritas eorum que novissimis diebus in Ecclesie sancte romane prejudicium, vituperium, ac dedecus inauditum in Urbe attemptata sunt cunctis pateat, nec valeat per falsoitates quomodolibet obumbrari, dignum et rationi congruum est ut in eorum et ipsa perpetrantium detestationem et confusionem perpetuam presentibus inserantur. Sciant ergo universi Christi fideles quod cum sancte memorie et felicis recordationis dominus Gregorius papa XJ, die xxvij preteriti mensis martii, obiisset, officiales Urbis diversa consilia in Capitolio tenuerunt, aliqua secreta, aliqua majora, aliqua generalia, ut moris est inter eos in expeditione magnorum negotiorum; in quibus tractatum fuit quis modus [per] eos teneri deberet in electione pape, et prout per plures cives Romanos aliquos qui intererant consiliis, et [per] aliquos qui dicebant se audivisse ab illis qui consiliis interfuerant, reportatum fuit pluries dominis cardinalibus, in eisdem consiliis concluserunt ut omnino cogerent dominos cardinales ad eligendum Romanum vel saltem Ytalicum, eo, ut dicebant, quia aliter non poterant esse securi quod curia in Ytalia remaneret. Et in uno ex istis consiliis fuit iste dominus Bartholomeus, tunc archiepiscopus Barensis, prout ipse publice confessus est, licet asserat modo quod ipse impressionem fieri dissuasit. Qui etiam Bartholomeus (*a*) postea, ut asserunt fide digni, se multum recommendavit Bandarensibus [823] in ecclesia Beate Marie nove antequam conclave intraretur. Item prefati officiales statim post mortem ejusdem domini Gregorii voluerunt habere custodiad omnium portarum et pontium urbis, etiam que prius per gentes ejusdem domini Gregorii et suo nomine custodiebantur, easque de die

a) tunc archiepiscopus Barensis, ajouté par Bal.

et nocte custodiri fecerunt diligenter, ea, ut verisimiliter et communiter creditur, causa ut domini cardinales ante celebratam electionem Urbem egredi non valerent pro libera electione alibi celebranda. Item prefati officiales Urbis, pendentibus decem diebus qui effluxerunt inter mortem predicti domini Gregorii et introitum conclavis, simul aduinati cum alio magno numero civium, omnibus dominis cardinalibus insimul adunatis pluries supplicarunt (*a*) eosque requisierunt ut eligerent papam Romanum vel saltem Ytalicum, addentes ut ante ingressum conclavis vellent ipsos ad consolationem populi de hoc clarificare, et aliquibus vicibus subjunixerunt quod aliter dubitabant de maximis et irreparabilibus periculis et scandalis, cum viderent et cognoscerent corda civium nimium sublevata; et ulterius certos cives miserunt ad domos multorum (*b*) dominorum cardinalium, qui ex parte officialium et populi similes requisitiones fecerunt ipsis dominis cardinalibus in particulari. Item prefati officiales manda-
verunt omnibus nobilibus Urbis, per quos furor populi reprimi poterat, sub penis maximis ut infra tres dies exirent Urbem; quod mandatum nunquam (*c*) pro parte dominorum cardinalium requisiti revocare voluerunt. Imo, quod fuit deterius, requisiti ut saltem comites Nolanum et de Fundis, qui erant officiales Ecclesie, permitterent stare Rome, negaverunt expresse; ac etiam postea requisiti ut saltem comitem Nolanum et dominum Agapitum de Columpna, episcopum Ulixbonensem, magnos cives et notabiles in Urbe deputarent pro custodia conclavis, hoc facere denegaverunt, no[824]lentes quod aliquis qui dubitaretur offendti a populo se haberet intromittere quoquo modo. Propter quod domini cardinales dubitantes de eo quod postmodum accidit, miserunt pro officialibus, et exposuerunt eis cum magna fide errores qui poterant sequi ex modis quos ipsi tenebant circa ipsos, expresse etiam eis dicendo quod si propter premissa, que minas et impressionem eos velle facere sapiebant, aliquis in papam eligeretur, non esset verus papa, et quomodo ipsi tendentes ut curia penes ipsos remaneret, essent causa ipsam perdendi. Et requisiverunt eos de duobus in effectu. Primo quod rusticos de comitatu, quos in magna multitudine fecerant ad Urbem venire, remitterent, et populum ita ordinarent quod non posset esse scandalum, et quod abstinerent ab illis consiliis que videbantur esse causa inflammandi populum. Secundo quod [ipsi] ordinarent unum bonum capitaneum

a) supplicaverunt, Bal. — b) quorumdam, Bal. — c) nunquam, mis après requisiti par Bal.

ad custodiam burgi Sancti Petri cum certo numero gentis confidate dominis cardinalibus, offerentes cardinales prefati se pro certo velle solvere stipendia dictae gentis quamdiu essent in conclavi, et quod ipse facheret taliter (*a*) custodiri pontes, vel ipsos tenendo clausos, vel saltem de bona gente in sufficienti numero munitos quod populus non posset transire ad palatium. Qui omnia verbo concesserunt, et unum Bandarensem fecerunt capitaneum. Et ille (*b*) fecit quatuor cives connestabularios. Et isti ultra juramentum quod prius presterant officiales juxta formam capituli *Ubi majus* solempniter juraverunt bene et fideliter dominos [cardinales] tenere securos et ab omni violentia et impressione custodire, et alia multa prout ab eis petita fuerunt. Sed nichil penitus observaverunt. Imo antequam domini intrarent conclave tota platea Sancti Petri adeo fuit plena populo pro magna parte armato quod vix potuerunt intrare palatium, et cum eis fere quot in palatio recipi potuerunt intraverunt; et eadem nocte portas palatii [825] apertas tenuerunt, nec ipsas claudi permiserunt, ac diversarum domorum portas ejusdem palatii ruperunt, ipsumque palatium ab omni parte circumdederunt armatis hominibus, ut nullus posset intrare vel exire absque eorum scitu. Item subsequenter, postquam omnes exiverant conclave, excepto senatore cum paucis personis qui loquebantur dominis [cardinalibus], et porta conclavis custodiretur ut nullus posset intrare, supervenerunt omnia capita regionum Urbis simul cum multis civibus, volentes intrare conclave. Et licet fuerit eis mandatum quod non est de more quod post clausam portam, maxime ita tarda hora, aliquis intraret conclave, nichilominus intrare omnino voluerunt, ipsosque domini cardinales fracturam portarum et pericula personarum timentes intrare permiserunt, et similes requisitiones fecerunt, petentes etiam vicibus reiterratis quod antequam exirent conclave de hoc declararentur, expresse subjungentes quod ita videbant dispositum populum quod istud factum aliter transire sine periculo personarum non poterat. Item quod per multos bonos cives reportatum fuit dominis cardinalibus antequam intrarent conclave quod aliqui prelati erant in Roma, quorum aliqui erant de urbe, aliqui de extra, Ytalici tamen, qui ad hoc ut impressio fieret totis viribus populum inflammabant, et qui multa promittebant officialibus urbis, quilibet ipsorum in casu quo eligeretur in papam. Item sciendum est quod mortuo domino Gregorio prefato sancte memorie remanserunt sexdecim dumtaxat in

a) taliter facheret, *Bal.* — *b)* ipse, *Bal.*

curia domini cardinales, scilicet domini Petrus de Corsinis, Portuensis et Sancte Ruffine, Johannes de Croso, Penestrinensis episcopi, Guillermo de Agrifolio, tituli Sancti Stephani in Celio monte, Franciscus de Thebaldesches, tituli Sancte Sabine, Bertrandus Atgerii, tituli Sancte Ceciliae, Robertus de Gebennis, basilice XIJ apostolorum, Symon de Brossano, tituli Sanctorum Johannis et Pauli, Hugo de [826] Montegum, tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum, Guido de Malesicco, tituli Sancte Crucis in Jherusalem, Petrus de Sortenaco, tituli Sancti Laurentii in Lucina, Geraldus de Podio, tituli Sancti Clementis presbiteri, Jacobus de Ursinis, [tituli] Sancti Georgii ad Velum aureum, Petrus Flandrini, [tituli] Sancti Eustachii, Guillelmus Noelleti, [tituli] Sancti Angeli, Petrus de Vernhio, Sancte Marie in via lata, et Petrus de Luna, Sancte Marie in Cosmedin dyaconi cardinales, ad quos solos jus et potestas eligendi romane ac universalis Ecclesie sumnum pontificem tunc pertinuit : quorum duodecim erant ultramontani et quatuor tantum Ytalici. Et omnes cardinales ultramontani facientes u'tra duas partes collegii, post vacationem, antequam intrarent conclave, et in introitu, et post usque ad tempus impressionis de qua infra dicetur, continue fuerunt in voluntate et proposito et deliberatione, etiam ex causis tangentibus Ecclesiam sanctam Dei, eligendi de collegio, et non de extra, et eligendi ultramontanum et non Ytalicum, et domini Ytalici erant etiam in deliberatione eligendi de collegio et non de extra, licet tenderent, ubi bono modo posset fieri, ut unus ex Ytalicis de collegio eligeretur; et in ista voluntate continue permanerunt etiam postquam intraverunt conclave usque ad crastinum, quo audierunt more solito missas suas, non obstante quod postquam intraverunt conclave, Romani, ut moris est, non permiserunt quod porta conclavis muraatur. Imo postquam domini jam lectum intraverant, cum magna difficultate custodes conclavis dictam portam cum quadam barra lignea claudere permiserunt et ex post occupaverunt palatum, et specialiter partem illam que de directo erat subtus conclave, solarium dicti conclavis ictibus et percussionibus tota nocte commoventes, et etiam existentes armati, plurimum quasi sine intermissione clamantes : *Romano lo volemo [827] o italiano.* Et aliqui asserunt se (a) audivisse aliquos clamantes : *Moriantur.* Et ita continuaverunt clamores istos usque in crastinum, adeo quod vix aliquis de dominis de tota nocte dormivit. Post vero circa auroram fatigati, aliquo modico tempore

a) se asserunt, *Bal.*

a clamoribus quieverunt. Demum audientes dicti domini [cardinales] missas suas, clamores consuetos reassumpserunt, ymo validiores quam prius, sic quod vix missas audire et intelligere poterant. Quibus auditis, dum domini cardinales se disposerent ad procedendum in facto electionis, campane Capitolii et ecclesie Sancti Petri, que erant prope palatium, inceperunt pulsari ad martellum pro congregazione totius populi ad rumorem. Et tunc fortius populus more solito cum magno furore incepit clamare : *Romano lo volemo o al manco Italiano.* Fuerunt etiam domini cardinales advisati per illos qui ab extra custodiebant conclave, quorum aliqui erant ultramontani, aliqui Romani, quod nisi statim sine aliqua morosa deliberatione eligerent Romanum vel Ytalicum, omnes domini cardinales erant in periculo quod inciderentur per frusta. Propter quod domini cardinales ultramontani, propter vitandum mortis periculum, alias non facturi, prout etiam tunc dixerunt, condescenderunt ut Ytalicus eligererur. Et quia etiam ex dominis cardinalibus Ytalicis aliqui dixerunt quod veraciter, si eligerentur, non acceptarent electionem, cum viderent eis notorie impressionem fieri, omnes simul volentes vitare mortis periculum, cui proculdubio subjacebant, quasi ex abrupto et sine aliqua discussione meritorum et status persone nominaverunt dictum dominum Bartholomeum tunc archiepiscopum Bareensem, et ipsum, tanquam eis, ut credebant, magis notum, et in factis et moribus curie magis experitum, licet sequens experientia contrarium ostenderit manifeste, elegerunt in papam; et eorum aliqui tunc dixerunt quod elige[828]bant ipsum animo et proposito quod ipse esset verus papa, timore tamen mortis in eorum animis continue perdurante; excepto [tamen] uno domino cardinale Ytalo Romano, qui dixit quod propter notoriā impressionem quam videbat nec sibi nec alteri daret vocem suam, nisi primo (*a*) cessaret impressio et esset in sua libertate, et uno ultramontano, qui primo unum de cardinalibus Ytalicis nominavit, licet postea timore mortis adheserit Barensi predicto, et uno alio domino cardinali ultramontano, qui nominando ipsum protestatus fuit quod nulla propter impressionem poterat fieri electio, sed ipsum nominabat timore mortis; et salvo quod unus aliis ultramontanus, priusquam hoc fieret, fuit protestatus solemniter coram notario publico quod si contingeret ipsum consentire in aliquem Ytalicum, hoc faceret dumtaxat timore mortis, alias non facturus. Et ulterius dixerunt aliqui domini cardinales inter se quod volebant et intentio

a) prius, Bal.

eorum erat facere sicut fuit alias (*a*) factum, ut per chronicas appareat, scilicet quod quam primum commode possent secederent ad locum tutum et securum, et tunc ipsi eum reelegent de novo. Demum domini cardinales ad populum tumultuantem et jam dispositum ad rumpendum conclave miserunt. Et quia non audebant, eis existentibus in illo furore, publicare electionem, per tres primos dominos cardinales fecerunt eis dici et promitti et promiserunt quod infra diem crastinum ante horam tertiarum consolarentur eos de papa Romano vel Ytalico. Et fecerunt rogari quod recederent; quod diu facere (*b*) renuerunt, non permittentes intrare cibaria dominorum eis portata pro prandio, cuius hora jam instabat. Demum recesserunt de una domo ante conclave existente, sed nullatenus nec palatium exire nec arma deponere voluerunt. Et interim domini miserunt pro multis prelatis, inter quos iste tunc Barensis, et jam per modum supradictum electus fuit; qui ve[829]nit, et vidit populum furentem, et audivit clamores predictos ipsius populi furentis et totam violentiam et impressionem factam per totam diem, et ab ingressu conclavis scivit vel scire debuit tanquam notoriam, et, ut creditur, aliquid de electione hujusmodi presentiens, et ei saltem tacite consentiens, juvabat ad expellendum populum de illa domo, et ut cibaria permitterentur intrare. Et tunc populus, continue tamen remanens in palatio et armatus ut prius, aliquantulum quievit a clamoribus et violentiis inferendis. Et domini comederunt. Et postea omnes, exceptis tribus ultramontanis, redierunt ad capellam palatii. Et eis congregatis, unus ex dominis Ytalieis dixit quod modo cessabat impressio, et quod reelegeretur. Unus vero ex ultramontanis dixit quod non cessabat, ymo domini erant in majori periculo quam ante. Et finaliter aliqui ex presentibus, aliis tribus absentibus non requisitis imo penitus insciis, dixerunt, licet nondum essent in libertate sua tali quod sine primo periculo aut majori potuissent resilire aut alium, prout ante impressionem deliberaverant, eligere: *Ego dico idem quod hodie.* Sed antequam omnes finivissent loqui, cum jam venissent prelati pro quibus missum erat, populus, etiam multis ex officialibus ad hoc instigantibus ipsum populum, cum maximo furore et clamando: *Per la clavalata de Dio Romano le (*c*) volemo, irruerunt in conclave,* et ipsum per quatuor partes fregerunt; et intraverunt officiales et populus armatus fere quantum potuit recipere conclave. Propter

a) alias fuit, *Bal.* — *b)* facere diu, *Bal.* — *c)* lo clavellato de Dio Romano lo, *Bal.*

quod domini, se quasi mortuos estimantes, in capella secreta se pro majori parte (*a*) reduxerunt; cuius porta statim fuit cum magnis securibus in pecias fracta. Et intravit populus armatus adhuc clamans ut supra, omnesque dominos hinc inde circumdedit. Et nisi quia unus dominus volens suum et aliorum vitare periculum dixit eis quod dominus Sancti Petri erat electus, sed nolebat consentire, et quod [830] inducerent eum ad consentiendum, creditur quod omnes, saltim ultramontani, fuissent interficti. Sed auditio quod dominus Sancti Petri erat electus, in ipsum dominum Sancti Petri irruerunt, et pre ius invitum bis posuerunt eum in una cathedra. Et dum attenderent (*b*) ad faciendam sibi reverentiam, quilibet ex dominis, prout melius potuit, exivit palatum, [et] ad domos proprias ut plurimum sine capis et capellis aut peditando recesserunt. Demum ad vesperascente aliqui etiam sub dissimulatis habitibus se reduxerunt ad castrum Sancti Angeli, aliqui exiverunt Romam vel de nocte vel in dissimulato habitu, aliqui in suis domibus latuerunt. Postea in crastinum, aliquatenus quietato populo, iste tunc Barensis, qui remanserat in palatio et in cameris papalibus, et nullo modo, etiam ter per aliquos de dominis qui de Urbe recesserant requisitus, exire voluit, misit et etiam per officiales et populum adhuc existentem in motu suo furioso mitti fecit ad dominos qui erant in castro et illos qui in eorum domibus remanserant, et (*c*) reiteratis et fere continuatis vicibus ipsos requirendo et requiri faciendo ut pro majoris periculi evitazione venirent ad ipsum. Qui tunc venire noluerunt; sed quasi fastiditi de suis requisitionibus miserunt ad illos qui remanserant in domibus suis, qui ab eo et officialibus Urbis requisiti jam venerant ad palatum, unam cedulam eorum manibus subscriptam, per quam sex tunc in palatio cum eo (*d*) existentibus committebant potestatem ipsum in thronizandi. Qui de hoc non contentus, nec ea uti curans, quia non obediebant, fecit eos iterum atque iterum requiri ut pro majoris scandali vitatione omnino castrum exirent et venirent ad palatum. Ipsi vero dubitantes de majori scando, maxime quia sex ex dominis cardinalibus, et tam ipsorum quam aliorum dominorum (*e*) familia et bona fere tota erant dispersa per Urbem, et quia castrum non erat de viciualibus sufficienter muni[831]tum, et quia etiam non habebant locum ad quem tute, postquam sciebatur quod intraverant castrum, possent recedere, et quia Romani predicti circa castrum ipsum de nocte stacatum seu

a) pro majori parte se, Bal. — b) accederent, Bal. — c) omis par Bal. — d) cum eo in palatio, Bal. — e) Romanorum, Bal.

palencum facere tentaverant, exiverunt castrum, et venerunt ad palatium, et ipsum in thronis averunt more solito. Quod cum sciverunt illi qui ab Urbe recesserant, licet cum magna cordis amaritudine, timentes quod si tunc non venissent, Romani suspicentes quod vellent impugnare electionem istius alios dominos et eorum familiam (*a*) trucidassent, ipsorumque bona diripuissent, redierunt ad Urbem, et ipsum postea coronaverunt. Et ab illo tempore domini cardinales in reverentiis et aliis tractaverunt eum ut papam, non tamen cum intentione et proposito ex hiis aliquid sibi novi juris tribuere aut ipsum in primo confirmare. Et ipse in consistoriis ac extra in promotionibus ac aliis usus est ut papa. Tamen ista omnia facta fuerunt in Urbe, ut predicitur, ubi domini cardinales, saltem ultramontani, nunquam se reputaverunt securos; ymo verisimiliter credunt et communiter creditur quod si in Urbe suam promotionem revocassent in dubium vel eam impugnassent, omnes interfecti fuissent, cum causa impressionis continue perduraret. Propter que (*b*) existentes in Roma nec etiam inter se de ista materia nunquam ex proposito saltem conferre fuerunt ausi: ipseque, licet plures requisitus, usque modo urbem cum dominis cardinalibus exire noluit, nec dominos cardinales ponere in loco seguro; quinymo postquam domini cardinales ultramontani cautius quam potuerunt paulatim venerunt Anagniam volentes super premissis deliberare et pericula eis imminentia ex eorum mora inter Romanos possetenus evitare, ipse quasi solus, saltem sine sociate alicujus domini cardinalis, venit Tyburim, qui locus etiam distingitur per Romanos, ad quem eos sepius evocavit, quasi eos volens prioribus vel equis periculis implicare. Qui de hiis juste sibi timentes, sue advocationi rationabiliter obtemperare recusarunt. Que omnia et singula pro tanto presentibus sunt scripta, inserta et (*c*) annotata ut per ipsorum inspectionem universis nota fiant, de ipsis boni et justi doleant, iniqui vero, hoc est, ipsa attemptantes, de commissis peniteant, et ad similia in posterum prosilire non presumant, in quantum sue volunt saluti consulere, famam quoque suam illibatam illesamque servare.

Et ego Guillelmus Prefecti clericus (*d*) Ebroicensis diocesis, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius, anno a nativitate Domini MCCCLXXVIIJ, inductione I, die secunda mensis augusti, apostolica Sede vacante, omnia et singula suprascripta, que incipiunt cum propter falsam assertionem, etc., et finiunt illesamque servare,

a) familiares, *Bal.* — *b)* quod, *Bal.* — *c)* atque, *Bal.* — *d)* omis par *Bal.*

ad requisitionem et mandatum reverendissimorum in Christo patrum et dominorum dominorum (*a*) dicte sancte romane Ecclesie cardinalium, qui inferius se manibus propriis subscriperunt (*b*) Anagnie in palatio apostolico coram ipsis dominis cardinalibus audientibus et intelligentibus, ut dicebant, in presentia notariorum et testium infrascriptorum publice et alta voce de verbo ad verbum legi et publicavi et aliis arduis occupatus negotiis per alium scribi feci (*c*), et in hanc publicam formam redegi, manu etiam propria me subscripsi, et signo meo consueto signavi, cum signis et subscriptionibus et appensionibus sigillorum dominorum cardinalium et camerarii infra scripti (*d*) ac notariorum predictorum requisitus una cum notariis eisdem ad hec presentibus per ipsos dominos cardinales, ut premittitur, subscriptos et in eorum conscientiis firmiter asserentes premissa sic per me (*e*) lecta et publicata vera et ita facta esse, necnon per reverendissimum in Christo patrem et dominum dominum Petrum miseratione (*f*) divina archiepiscopum Arelatensem, sancte romane Ecclesie camerarium, tanquam [833] judicem ordinarium ibidem pro tribunali sedentem et interponentem in premissis, ut inferius continetur, suam auctoritatem pariter et decretum super hiis, fieri unum vel plura publica instrumenta in testimonium eorumdem. Presentes autem fuerunt cum notariis infrascriptis lectioni, publicationi, dictorumque dominorum cardinalium assertioni, requisitioni, et decreti interpositioni prefatis reverendissimus in Christo pater et dominus Johannes, miseratione (*f*) divina tituli Sancti Marcelli presbiter cardinalis, etiam reverendus in Christo pater dominus Johannes, eadem miseratione (*f*) episcopus Gebennensis, ac venerabiles et discreti viri domini Bertrandus Raffini et Seguinus de Autone, camere apostolice clerici, ac frater Petrus de Silva, prior prioratus de Uziaco, Claromontensis diocesis, ordinis sancti Benedicti, testes ad ea vocati specialiter et rogati.

Et ego Johannes Rosseti, de Martigniaco, clericus Eduensis diocesis, auctoritatibus (*g*) apostolica et imperiali publicus notarius, premissis lectioni, publicationi, et dominorum cardinalium assertioni, et appositioni decreti per dominum camerarium, et aliis premissis omnibus una cum prenominatis testibus et notariis supra et infrascriptis presens fui, et hic manu propria me subscripsi, et signum consuetum apposui in testimonium premissorum vocatus et rogatus.

a) omis par Bal. — *b)* manu propria scripsi, et ea, ajoutés par Bal. — *c)* et aliis... feci, omis par Bal. — *d)* omis par Bal. — *e)* scripta, ajouté par Bal. — *f)* permissione, Bal. — *g)* auctoritate, Bal.

Et ego Symon le Jay, clericus Altissiodorensis diocesis, apostolica auctoritate et imperiali publicus notarius, lectioni, publicationi, assertioni et decreti interpositioni predictis una cum testibus et notariis publicis supradictis presens interfui, ideoque ad requisitionem dictorum dominorum cardinalium et de mandato prefati domini camerarii, qui, ut predicitur, pro tribunali sedens in premissis auctoritatem suam ordinariam interposuit et decretum, hic propria manu me subscripsi, et signum meum apposui consuetum.

Et ego Johannes de Croso, [834] episcopus predictus (*a*) Penestrinus sancte romane Ecclesie cardinalis, premissa omnia et singula, ut scripta sunt, in mea conscientia assero esse vera, et in eorum testimonium hic manu propria me subscripsi, et sigillo proprio (*b*) sigillavi.

Et ego Guillelmus de Agrifolio, tituli Sancti Stephani in Celio monte sancte romane Ecclesie (*c*) presbiter cardinalis predictus, premissa omnia et singula, ut scripta sunt, in mea conscientia assero esse vera, et in eorum testimonium hic manu mea propria me subscripsi, et sigillo proprio sigillavi.

Et ego frater Bertrandus Atgerii, tituli Sancte Cecilie sancte romane Ecclesie (*c*) presbiter cardinalis, premissa omnia et singula, ut scripta sunt, in mea conscientia assero et credo (*d*) omnino esse vera, et in eorum testimonium hic manu propria me subscripsi, et sigillo proprio sigillavi.

Et ego Robertus de Gebennis, basilice XIJ Apostolorum presbiter cardinalis, premissa omnia et singula, ut supra scripta (*e*) sunt, in mea conscientia assero [et teneo omnino] esse vera, et in eorum testimonium hic manu propria me subscripsi, et [proprio] sigillo sigillavi.

Et ego Hugo de Montegrum, tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum presbiter cardinalis predictus, premissa omnia et singula, ut [supra] scripta sunt, in mea conscientia assero esse vera, et in eorum testimonium hic manu propria me subscripsi, et sigillo proprio sigillavi.

Et ego Guido de Malesicco, tituli Sancte Crucis in Jherusalem presbiter cardinalis, premissa omnia et singula, prout supra scripta sunt, in mea conscientia assero esse vera, et in eorum testimonium hic manu propria me subscripsi, et sigillo proprio sigillavi.

a) predictus episcopus, *Bal.* — *b)* meo, *Bal.* — *c)* sancte romane Ecclesie, *omis par Bal.* — *d)* teneo, *Bal.* — *e)* supra dicta, *Bal.*

Et ego Petrus de Sortenaco, tituli Sancti Laurentii in Lucina presbiter cardinalis predictus (*a*), premissa omnia et singula, ut supra scripta sunt, in mea conscientia assero esse vera, et in eorum testimonium hic manu propria me subscripsi, et sigillo proprio sigillavi.

Et ego Geraldus de Podio, tituli Sancti [835] Clementis presbiter cardinalis predictus (*b*), premissa omnia et singula, ut supra scripta sunt, in mea conscientia assero esse vera, et in eorum testimonium hic manu mea propria me subscripsi et sigillo proprio sigillavi.

Et ego Petrus Flandrini, [tituli] Sancti Eustachii dyaconus cardinalis predictus, premissa omnia et singula, ut supra scripta sunt, in mea conscientia assero esse vera, et in eorum testimonium hic propria manu me subscripsi, et sigillo proprio sigillavi.

Et ego Guillelmus Noelleti, Sancti Angeli dyaconus cardinalis predictus, premissa omnia et singula, ut supra scripta sunt, in mea conscientia assero esse vera, et in eorum testimonium hic propria manu me subscripsi et sigillo proprio sigillavi.

Et ego Petrus de Vernhio, tituli Sancte Marie in via lata dyaconus cardinalis, premissa omnia et singula, ut supra scripta sunt, in mea conscientia assero et dico esse vera, et in eorum testimonium hic me propria manu subscripsi, et sigillo proprio sigillavi.

Et ego Petrus de Luna, Sancte Marie in Cosmedin dyaconus cardinalis, premissa omnia et singula, prout supra scripta sunt, in mea conscientia assero esse vera, et in eorum testimonium propria manu hic me subscripsi, et sigillo proprio sigillavi.

Et nos Petrus, miseratione divina archiepiscopus Arelatensis, sancte romane Ecclesie camerarius, et judex ordinarius predictus, ad requisitionem et mandatum reverendissimorum in Christo patrum et dominorum dominorum ejusdem sancte romane Ecclesie cardinalium eorum manibus propriis prescriptorum premissis omnibus et singulis interfuiimus una cum notariis et testibus antedictis, in hiisque in dicto palatio in loco ad hoc per nos electo pro tribunali sedentes auctoritatem nostram ordinariam interponimus pariter et decretum ac in testimonium eorumdem sigillum [836] nostrum proprium presentibus (*c*) duximus apponendum.

a) omis par Bal.—b) omis par Bal.—c) omis par Bal.

CXCIII

PETRI DE CROSO ROMANAEC ECCLESIAE CAMERARII EPISTOLA¹ AD COLLECTORES SEDIS APOSTOLICAE ADVERSUS BARTHOLOMAEUM, ARCHI-EPISCOPUM BARENSEM. — [1378].

Petrus, miseratione divina archiepiscopus Arelatensis, sancte romane et apostolice Ecclesie camerarius, venerabili viro domino etc. collectori etc., salutem in Domino. Cum dominus Bartholomeus de Preinhano, si dominus dici mereatur, olim archiepiscopus Barensem, vacante Sede apostolica per obitum felicis recordationis et sancte memorie domini Gregorii pape XJ, sacrum papatum romanum et universalis Ecclesie per seditionem et popularem tumultum ac impressionem violenter occupaverit, et adhuc in Ecclesie, anime sue et animarum eidem adherentium detrimentum scandalumque universalis Ecclesie detineat occupatum, feceritque ipse Bartholomeus sic intrusus, apostaticus, non apostolicus, antichristus et invasor ac destructor, si sustineretur, totius christianitatis de facto multas promotiones de multis ecclesiis et monasteriis ac beneficiis providendo contra canonicas sanctiones que ipsum Bartholomeum cum suis actoribus, fautoribus, et sequacibus auctoritate divina et sanctorum apostolorum Petri et Pauli perpetuo anathemate feriunt et a liminibus sancte Dei Ecclesie decernunt separatum, et cum ad nos solum et in solidum ratione nostri camerariatus officii va ante Sede apostolica, que ad presens vacare dignoscitur, spectet et pertineat administratio et gubernatio ac regimen totius patrimonii et temporalitatis ad sanctam romanam Ecclesiam pertinentis, necnon receptio omnium fructuum, reddituum, preventuum et emolumentorum ad cameram apostolicam quali[837]tercumque vel quomodocumque spectantium, vobis et vestrum cuilibet, de quorum fidelitate et conscientia confidimus, tenore presentium committimus et mandamus quatinus ad ecclesias Massiliensem, Grassensem, et Tricastrinensem, de quibus per ipsum intrusum nuper de facto certis personis est provisum, personaliter accedentes inhibeatis ex parte nostra, prout nos etiam tenore presentium inhibemus, capitulis et omnibus aliis subjectis dictarum ecclesiarum tam clericis quam laicis ne de cetero personis ipsis, quibus de dictis ecclesiis sic

1. D'après le ms. latin 1463 (ancien Colbert 822), fol. 77 r° (Bibliothèque nationale de Paris).

est de facto provisum, obedient seu pareant quoquo modo, nec ipsas personas teneant pro dominis seu prelatis, nec sibi seu mandatis suis respondeant de fructibus seu aliquibus obventionibus ad ipsas ecclesias spectantibus, dantes et concedentes vobis et cuilibet vestrum tenore presentium plenam potestatem, etc.

CXCIV

LITTERA¹ QUALITER CARDINALES NOTIFICANT UNIVERSIS QUOD DOMINUS CLEMENS FUIT RITE ET CANONICE PER EOS ELECTUS ET SOLEMNITER INTHRONIZATUS ET CORONATUS. — [1378].

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis sancte Romane Ecclesie cardinales salutem et sinceram in Domino caritatem. Quoniam nonnulli intrusionem detestabilem viri pestiferi Bartholomei, olim Barensis archiepiscopi, per violentiam et impressionem notorias (a) in apostolicam Sedem intrusi dampnabiliter defensare et electionem ac assumptionem de sanctissimo patre et domino domino Clemente divina providentia papa septimo ad apicem apostolice dignitatis tam per nos quam per reverendissimos patres et dominos ceteros sancte romane Ecclesie cardinales duas partes et ultra (b) ejusdem Ecclesie cardinalium facientes canonice et sanctissime celebratam ausu temerario impugnare falsis assertionibus [838] moluntur, nos, qui intrusioni hujusmodi interfuius, et de violentia et impressione nobis et aliis illatis ipsa facti atrocitate sumus edocti, modum et formam violentie, impressionis et intrusionis predictarum devotioni vestre, ut vobis de ipsis veritas patefiat, presentibus duximus reserandum. Dudum siquidem apostolica Sede vacante per obitum felicis recordationis domini Gregorii pape XJ, qui in Urbe decessit, nonnulli perditionis filii Bandarenses nuncupati et alii officiales urbis ejusdem affectantes quod romana curia in dicta Urbe vel in Ytalia remaneret, et hoc non posse fieri nisi Romanus vel Ytalicus papa fieret arbitrantes, diversis secretis et non secretis etiam majoribus et generalibus civium dicte Urbis consiliis super modo ad hoc tenendo

a) notoriā, Bal. — b) et, ajouté par Bal.

1. D'après le ms. latin 11745, fol. 266 r^o (Bibliothèque nationale de Paris).

per eos [ut Romanum vel Ytalicum in summum pontificem possent habere] in suo Capitolio ad sonum campane more solito celebratis, in quorum uno personaliter affuit vir pestifer supradictus, tandem, prout fama publica divulgabat, dyabolico spiritu instigati decreverunt omnino quod Romanus vel Ytalicus summus pontifex haberetur, et si hoc a nobis et reverendissimis patribus ceteris sancte romane Ecclesie cardinalibus tunc in dicta Urbe existentibus, ad quos electio hujusmodi pontificis pertinebat, per viam supplicationis obtinere non possent, nos et ceteri cardinales predicti ad hoc per ipsos cogeremur inviti; et ut eorum hujusmodi scelestum propositum effectui manciparent, gentes que ad custodiam nonnullarum portarum et pontium dicte urbis per prefatum dominum Gregorium fuerant deputate ab hujusmodi custodia amoverunt, alios, prout eis placuit, ad ipsam custodiam deputantes, et magnam multitudinem armatorum de castris circumvicinis ad dictam urbem venire fecerunt, sepiusque cum magno numero civium inverecunde et importune petierunt a nobis et ceteris cardinalibus antedictis congregatis in unum quod ante conclavis introitum pro electione hujus[839]modi celebranda clarificaremus eosdem quod Romanum vel Ytalicum eligeremus in papam, adjientes quandoque quod alias de maximis scandalis et irreparabilibus periculis dubitabant, cum, ut dicebant, ad hoc volendum omnino corda civium viderent nimium sublevata. Similia quoque verba nobis et eisdem cardinalibus etiam sigillatim per cives notabiles dicta fuerunt, et dum equitabamus, nobis et familiaribus nostris publice dicebantur. Ac insuper nobilibus et majoribus dictae Urbis, per quos verisimiliter furor populi poterat aliqualiter mitigari, sub penis maximis mandaverunt ut infra tres dies urbem exirent, nec ad [nostram et ceterorum cardinalium requisitionem] ipsius urbis notabiles officiales predicti Ecclesie existentes remanere nec ad custodiam predicti conclavis aliquos de nobilibus et majoribus civibus dictae urbis deputare aliquatenus permiserunt. Et licet nos et ceteri cardinales predicti prefatis officialibus sepius dixissemus quod errores intolerabiles ex hujusmodi modis execrabilibus quos tenebant infallibiliter sequerentur, et quod si hiis durantibus aliquis Romanus vel Ytalicus eligeretur in papam, non esset papa, sicque eorum affectibus quibus predictam curiam optabant habere contrarium sequeretur, eosque requisissemus ut a talibus abstinerent et armatos predictos recedere facerent, ne rumores in populo incitarent, desisterentque ab eorum consiliis que populum inflammabant, et concives eorum taliter ordinarent quod ab scandalis abstinerent,

ipsique, ut cautius nos deciperent, secundum formam juris jura-
menti interpositione promisissent nos bene et fideliter tenere securos
et a quacumque impressione et violentia preservare, tamen ceca
cordis cupiditate seducti in eorum hujusmodi maligno proposito
perseverantes, omnino juramentorum ipsorum religione contempta,
contra promissionem hujusmodi dampnabiliter venientes, et asseren-
tes se non posse [840] tumultum populi cohercere, quod nedum nos sed
nec etiam se ipsos poterant defensare, die qua conclave intravimus
tantam multitudinem populi pro majori parte armis offendilibus
muniti per pontes ad plateam Sancti Petri dicte urbis accedere per-
misérunt quod nos et ceteri cardinales prefati ad palatium Sancti
Petri, in quo dictus dominus Gregorius papa tempore sui obitus habi-
tabat, et in quo predictum conclave extitit ordinatum, propter multi-
tudinem hujusmodi potuimus vix intrare. Et illo sero dum nos et
ceteri cardinales predicti in prefato conclavi essemus, quidam se
capita regionum dicentes supervenerunt ibidem, et importune intrans-
tes conclave predictum cum quibusdam armatis, nobis et dictis cardinalibus similem illi quam prefati officiales nobis et eisdem cardinalibus fecerant requisitionem fecerunt, adjicientes finaliter quod nisi
eis aliter declararemus in specie quod omnino eligeremus Romanum
vel saltem Ytalicum, taliter populum videbant dispostum quod
mortis periculum nullatenus evitare possemus, prefatique armati
non permiserunt quod nocte illa porte palatii clauderentur et quod
porta dicti conclave, ut est solitum fieri, muraretur; dictumque
palatium taliter occuparunt et vallarunt per girum quod nullus,
presertim ex nostris servitoribus, sine eorum licentia intrare potuit
vel exire. Et quidam ex eis subtus ipsius conclave solarium existentes,
et prefatum percutientes solarium, ac quasi tota nocte vociferantes
clamabant : *Romano lo volemo o Italiano.* De mane vero cum nos
et dicti cardinales missam audiremus ibidem, inceperunt validius
et altius exclamare ac adeo quod vix poteramus intelligere celebran-
tem. Et dum nos congregassemus pro deliberatione habenda quid
esset agendum, campane Capitolii et basilice Sancti Petri, que dicto
palatio est vicina, inceperunt pulsari ad sturnum, ut eorum utamur
vocabulo, eo videlicet sonitu quo populus consuevit [841] ad arma vo-
cari. Et tunc populus cum magno furore altius exclamabat: *Romano
lo volemo o al manco Italiano.* Demum autem cum per nonnullos tam
ultramontanos quam Romanos ad custodiam dicti conclave positos
nobis et dictis cardinalibus dictum fuisse quod nisi confessim de
Romano vel Ytalo electio fieret, prout per dictum populum pete-

batur, omnes incideremur per frusta, ac tres primi cardinales, quorum duo erant Ytalici, ex parte collegii nostri ad fenestram porte dicti conclavis ad loquendum populo accessissent, et non valentes eorum temerariam furoris audaciam aliter mitigare nisi ex parte ipsius collegii eis promisissent expresse quod ex quo non poterant aliter mitigari, eorum impleretur voluntas, videlicet Romanus vel Ytalicus eligeretur in papam, ipsi populus promissione hujusmodi non contenti, ac asserentes se duci per verba, et comminantes de rumpendo conclave, nos et cardinales jam dictos ferocitate adeo terribili terruerunt quod deliberandi inter nos et procedendi ad electionem juxta sanctiones canonicas et laudabiles antiquas consuetudines faciendam libere et pure mentibus non erat quoquo modo facultas. Et de hoc fuerunt aliqui ex nobis et aliis reverendissimis patribus protestati, et coram omnibus dictum fuit quod electio, si qua fieret, non valeret, sed ad vitandum mortis dumtaxat periculum fieret quod petebant. Et sic nos et quidam alii ex dictis cardinalibus, qui etiam proposueramus non eligere extra dictum collegium, ad evitandum dumtaxat mortis periculum, quod alias nobis procul dubio imminebat, predictum virum pestiferum Bartholomeum, natione Ytalicum, contra propositum nostrum hujusmodi in papam, licet de facto, repente per verbum *eligimus* abusive duximus nominandum. Non tamen hoc more solito publicavimus, nec ad ulteriora procedere curabamus, nec processissemus, nisi major adhuc violentia furentis puli coegisset. Multi namque de prefato populo fores et muros aliquos dictorum palatii et conclavis violenter et armata manu fregerunt, et dictum palatium contra nostram et dictorum cardinalium voluntatem intrarunt, bonaque ad nos et dictos cardinales spectantia infra predictum conclave et quorundam etiam extra illud existentia exposuerunt in predam, aliquosque ex nobismetipsis cardinalibus in personis propriis irreverenter et injuriouse, nulla consideratione habita dignitatis pertractarunt, et nonnullos qui a rabie dictorum populi se salvare volentes conabantur recedere detinentes interius reduxerunt, et cum aliqui se in capellam dicti palatii reclusissent, armati predicti dictam capellam, portis ejus cum securibus violenter effractis, intrarunt, mortem evaginatis gladiis comminantes nisi papam Ytalicum vel Romanum haberent, nec sedari precibus vel misericordia potuerunt usquequo dictum fuit et datum intelligi quod in papam electus fuerat cardinalis Sancti Petri. Ipsi itaque ad eum concurrentibus, nonnulli ex nobis et ex cardinalibus antedictis sine familiaribus et habitu tali quali de dicto palatio peditavimus etiam sine capis et

in roqueto ac sine capucio, meliori modo quo potuimus exivimus rabiem populi tam furentis fugientes, aliqui extra Urbem ad loca remota. Sed idem vir pestifer, qui ab hora diei tertia erat in palatio, et presentialiter notitiam de premissis habebat, dampnabili et inaudite ambitionis ardore succensus, inanem et transitoriam mundi gloriam saluti proprie anteponens, tanquam electus in apostolico palatio pernoctavit, licet nondum pro parte collegii de hoc aliquid fuisset intimatum eidem. Et facta mane presentatione execrabilis nominationis seu electionis hujusmodi ab illis ex nobis et prefatis cardinalibus qui in dicta urbe remanserant, et qui ad castrum Sancti Angeli de dicta urbe se reduxerant, per dictorum officialium [843] et populi diversas minas ad ejus requisitionem extorta, hujusmodi nephande nominationi seu electioni statim impetuose nimis et presumptuose consensit, et pro papa se gessit, ac metu et ipsius causa adhuc perdurantibus se procuravit et fecit per eos ex nobis cardinalibus predictis quos habere potuit de facto inthronizari et postea coronari. Cumque idem vir pestifer a predictis officialibus et populo premissis non obstantibus pro romano pontifice teneretur, nosque et prefati alii cardinales in dicta urbe sub eorum tyrannide maneremus ut prius, nec nobis et eisdem cardinalibus, presertim citramontanis, fugiendi ad aliquem locum tutum aliqualis appareret facultas, oportuit propterea quod nos et alii cardinales predicti ad evitandum mortis periculum fingeremus eumdem virum pestiferum per actus exteriores ut papam romanum et pontificem nos habere, donec cautioni quo potuimus modo nos retraximus quam citius commode potuimus ad civitatem Anagnie per xxxvij miliaria a dicta Urbe distantem. Ac cum nec ibi tuti essemus, cum per ejus officiales et capitaneum regeretur, gentes armigeras pro tuitione nostra de diversis partibus, cooperante Domino, congregavimus. Ex tunc vero ipsum pro papa non habentes, nosque ab ipsius subtrahentes obedientia, ut decebat, super premissis et statu eusdem romane Ecclesie, quam idem vir pestifer sic tyranlice et nequierer occupabat, mature tractare incepimus inter nos sepius, et deinde cum nonnullis prelatis et personis notabilibus et discretis. Frequentibus itaque et diligentibus deliberationibus habitis, cum dictus vir pestifer ex parte nostra et dictorum cardinalium per magne auctoritatis et scientie viros, nunc hos, nunc alios, caritative monitus ac etiam requisitus insignia papalia deponere et ab hujusmodi occupatione ipsius Ecclesie desistere non curaret, ipsum die nona men-[844] sis augusti tunc immediate sequentis apud Anagniam solemniter publicavimus in papatu fore intrusum nulla electione canonica precedente,

et denuntiavimus anathematizatum per canonicas sanctiones. Tandem vero nobis et eisdem cardinalibus in civitate Fundorum existentibus, et attendantibus quod eadem romana Ecclesia pastore carebat, et quod ei diuturna vacatio, presertim illis temporibus, periculum non modicum existebat, vocatis et ibidem convenientibus Petro, episcopo, Symone, presbitero, Jacobo, dyacono cardinalibus antedictis, cum jam Franciscus, cardinalis Sancti Petri predictus, fuissest viam universe carnis ingressus, diversis super hiis tractatibus habitis, die xxij mensis septembris tunc immediate secuta prefatus dominus noster Clemens, tunc Robertus basilice XIJ Apostolorum presbiter cardinalis, existens in civitate Fundorum predicta, in Romanum pontificem rite et canonice fuit electus, et consensum suum hujusmodi electioni de se facte prestitit, inthronizatus, et ut est moris, solemniter coronatus, per reverendissimos patres dominos ejusdem romane Ecclesie cardinales in Avinione existentes, quibus premissa omnia intimare curavimus, cum omnium consensu et approbatione et devotione receptus. Premissis autem, dilectissimi, que in fide nostra et sub animarum nostrarum periculis asserimus fore vera, ac devotioni vestre pro vestrarum animarum salute providimus reseranda, vestra devotio fidem credulam adhibeat; ac dominum Clementem prefatum pro vero Christi vicario ac universalis Ecclesie summo pontifice ac patre et pastore animarum vestrarum teneat, sibi obedientiam et reverentiam debitas exhibendo, ac assistendo eidem et predicte Ecclesie, matri vestre, contra prefatum virum pestiferum ejusdem Ecclesie invasorem nequissimum et totius Christianitatis perfidum invasorem presidiis et auxiliis opportunis. Et si forsitan ali[845]quis vestrum de premissis aliter informatus cupiat scire plenius veritatem, ad nos veniat cum omni securitate et fiducia. Parati enim sumus cum Dei adjutorio quemcumque venire volentem de veritate plenaria benigne et placide informare. Idemque dominus noster cupiens pro animarum salute, quam totis zelatur affectibus, quod premissorum veritas elucescat, quibuscumque ad romanam curiam pro informatione hujusmodi accendentibus per suas patentes litteras, quas per diversas mundi partes archiepiscopis et episcopis destinavit, securitatem et fiduciam tribuit, ita videlicet quod accidentes hujusmodi, sive divina gratia illustrati veritati consentire voluerint, sive propria excecati malitia in obstinationis nequitia permanere, benigne suscipiet et faciet pertractari, ac quandocumque voluerint libere et absque impedimento quocumque ad propria remeare permittet.

CXCV

LITERA¹ SEPTEM CARDINALIUM, SUIS SIGILLIS SIGILLATA, EXISTENTIUM AVINIONI, NOTIFICANTIUM INTRUSIONEM PRIMI ELECTI. — Avignon,
8 mars 1379.

*Universis et singulis Christi fidelibus ad quos presentes littere per
venerint miseratione divina A. (a) Albanensis, J. Sabinensis, P. tituli
Sancte Anastasie, et G. tituli Sancti Vitalis, P. Ebredunensis, G. Sancti
Saturnini presbiteri, et H. Sancte Marie in Porticu dyaconus sancte
romane Ecclesie cardinales, Avinioni commorantes, salutem et sinceram
in Domino caritatem. Ad vestram notitiam deducimus per presentes
quod sanctissimus in Christo pater dominus Clemens papa VIJ ad
diversas partes orbis terrarum destinandos duxit reverendissimos
in Christo patres dominos Johannem, episcopum Penestrinensem,
G. tituli Sancti Stephani in Celio monte, G. tituli Sancte Crucis in
Jherusalem presbiteros, et P. Sancte [846] Marie in Cosmedin sancte
romane Ecclesie cardinales, vestrum omnes et singulos informaturos
de hiis que nuper apud Urbem inopinate, permittente Domino, eve-
nerunt. Quare vos hortamur obnixius deprecantes quatinus veritatem
impressionis et intrusionis (b) Bartholomei, olim Barensis archiepiscopi,
se Urbanum papam VJ hodie de facto nominantis, et declarationis
contra ipsum facte per dominos sancte romane Ecclesie cardinales,
necnon et canonice electionis prefati domini nostri pape per ipsos
vobis demonstrandam tanquam per illos qui inter omnes mortales
una cum aliis dominis cardinalibus, qui premissis interfuerunt, om-
nium actorum circa premissa noverint plenissimam veritatem, inte-
ressentes personaliter utrobique dum premissa agerentur, recipiatis
corde humili et devoto, sicut et nos recepimus et tenemus informati
per ipsos et alias dominos sacri collegii cardinalium qui in Urbe et in
civitate Fundorum personaliter intererant, dum predicta injuriosa
intrusio dicti olim Barensis et canonica electio prefati domini nostri
Clementis actualiter agerentur. Datum Avinioni sub nostrorum testi-
monio sigillorum, die octava mensis martii, anno a navivitate Domini
millesimo trecentesimo septuagesimo nono, pontificatus dicti domini
nostri anno primo.*

a) omis par Bal. — b) et intrusionis, omis par Bal.

1. D'après le ms. latin 11745, fol. 267 r°.

CXCVI

**INTIMATIO ET NOTIFICATIO¹ CARDINALIUM DEPRECANTUM UNIVERSOS
CHRISTI FIDELES UT CLEMENTI ADHAEREANT.** — Avignon, 24 août
1379.

*Universis Christi fidelibus miseratione divina episcopi, presbiteri,
et dyaconi sancte romane Ecclesie cardinales salutem in Domino sem-
piternam. Speculatorum a Domino Deo sabbathum quanto post romanum
pontificem sumus in altiori specula constituti, tanto vigilantius et soler-
tius denuntiare debemus et detegere cunctis fidelibus [847] imminentia
animatorum pericula hostilesque versutias et incursus. Cum itaque,
ut a certo didicimus, seductor ille Bartholomeus, olim Barensis archie-
piscopus, se falso papam nominans, velut alter Antichristus, jam
dudum miserit ad diversas mundi partes quosdam pseudoprophetas,
quos ipse solus sibi constituit cardinales, et nonnullos alias sue nequitie
defensores, ut suasibus falsis et dolosis suggestionibus christianum
populum a veritate seducant et in ipsorum animatorum dampnationem
perpetuam eidem apostatico faciant adherere, et propterea sanctissimus
in Christo pater dominus noster Clemens papa VIJ, more boni
pastoris, cupiens hujusmodi fraudibus obviare, de nostro consilio,
plures ex reverendissimis patribus sancte romane Ecclesie cardina-
libus necnon ex venerabilibus patribus archiepiscopis, episcopis,
et aliis inferioribus prelatis magne auctoritatis et scientie viros de
veritate intrusionis dicti Bartholomei et electionis canonice dicti
domini nostri Clementis habentes tam in jure quam in facto notitiam
pleniorem ad diversa mundi climata, ut populum de premissis in-
struant, duxerit destinandos, nos attendentes quod post ipsum sanc-
tissimum dominum nostrum Clementem ad nullos alios pertinet
quam ad nos ejusdem Ecclesie cardinales denuntiare fidelibus, quis
sit papa et pro vero papa reputetur, nec adeo quibuslibet aliis sicut
nobis in hac parte sit credendum, universitatem vestram attentius
deprecamur et obsecramus in Domino Jhesu Christo quatinus pro
vestrarum animatorum salute eidem domino Clementi, quem nos cum
eo existentes collegialiter, et quem nos etiam alii per eum, ut pre-
mittitur, destinati, singulariter verum Dei vicarium credimus, dicimus
et tenemus, prout etiam nobiscum tenuerunt, dum vitam ducerent*

1. D'après le ms. latin 11745, fol. 267 r°.

in humanis, bone memorie domini Egidius, Tusculanensis, et Johannes, Sabinensis episcopi, ejusdem sancte romane Eccle[848]sie cardinales, in hac fidei constantia et unitate sancte romane Ecclesie decesserunt, tanquam vero Christi vicario, patri et pastori eorumdem animarum vestrarum, obedientiam et reverentiam exhibeatis et faciatis quantum in vobis fuerit ab aliis exhiberi, ejusque monitis et mandatis obediatis et faciatis ab aliis obediri, ita quod ipse vos dilectionis filios vosque eum per consequens patrem invenisse benivolum gaudeatis, et insuper ejusdem domini nostri nuntios et prelatos, quos propterea ad partes vestras declinare contigerit, suscipiatis efficaciter commendatos, et ipsos prosequamini favoribus opportunis, ut exinde apud Deum crescatis meritis, vestreque devotionis et fidei sinceritas potioribus valeat laudibus commendari. In quorum testimonium presentes litteras fieri fecimus et sigillorum trium priorum nostri collegii cardinalium, ut moris est, appensione muniri. Datum Avinioni, vicesima quarta die mensis augusti, indictione secunda, pontificatus ejusdem sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Clementis pape septimi anno primo.

CXCVII

LITTERAE¹ CLEMENTIS VII DE LEGATIONE GUILLELMI DE AGRIFOLIO CARDINALIS AD REGNA BOHEMIAE ET ALAMANNIAE. — Fondi, 18 décembre 1378.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Guillelmo, tituli Sancti Stephani in Celio monte presbitero cardinali, apostolice Sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem. Cum te ad regnum Bohemie ac Alamanie et nonnullas alias partes atque terras in nostris inde confectis literis expressas, commisso tibi plene legationis in illis officio, duxerimus destinandum, et, sicut accepimus, in eisdem regniis, partibus atque terris sint nonnullae persone ecclesiastice tam seculares quam regulares que scelerato viro [849] Bartholomeo, olim Barensi archiepiscopo, in Sedem apostolicam violenter intruso pertinaciter adheserunt et faverunt, adherent et favent, et literis suis usi fuerunt et utuntur, ad gremium sancte romane Ecclesie regredi non

1. Ex archivo monasterii Helenensis, *Bal.*; pièce non retrouvée.

curantes, nos attendentes quia sicut favorem devotio promeretur, sic inde votis ac rebellibus est favor merito subtrahendus, ac cupientes hujusmodi temerariis ausibus obviare, circumspectioni tue, de qua in hiis et aliis fiduciam gerimus in Domino speciale, procedendi auctoritate apostolica contra omnes et singulas hujusmodi personas, prout de jure tibi videbitur faciendum, ac alias ipsarum, de quibus tibi legitime informatione summaria precedente constiterit quia in hujusmodi adhesione et fautoria pertinaci rebellione perstiterint, et ab illis desistere ac literas hujusmodi quibus usi fuerint et utuntur, ut prefertur, canonice moniti restituere noluerint, a suis officiis et beneficiis ecclesiasticis, etiamsi dignitates, personatus vel officia cum cura aut sine cura fuerint, privandi et perpetuo amovendi ab eisdem, neenon beneficia ipsa, cum ea per privationem vel amotionem hujusmodi vacare contigerit, singula videlicet eorum cum omnibus juribus et pertinentiis suis singulis personis ydoneis quas ad hoc duxeris eligendas, dummodo non sit in eisdem beneficiis seu ad illa alicui specialiter jus quesitum, auctoritate predicta conferendi et de illis etiam providendi, etiamsi singule persone hujusmodi unum vel duo aut tria seu plura aut unicum vel duo dumtaxat beneficium ecclesiasticum vel ecclesiastica, etc. invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus ecclesiarum in quibus hujusmodi beneficia fuerint forsitan contrariis juramento, confirmatione apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, etc. Datum Fundis, xv kalendas januarii, pontificatus nostri anno primo.

CXCVIII

[850] GUILLELMI DE AGRIFOLIO CARDINALIS LITTERAE¹ QUIBUS VICES SUAS IN DIOECESI COLONIENSI COMMITTIT ABBATI GELLONENSI SIVE SÁNCTI GUILLELMI DE DESERTIS. — Metz, 10 septembre 1379.

Guillelmus, miseratione divina tituli Sancti Stephani in Celio monte presbiter cardinalis, apostolice Sedis legatus, venerabili patri domino abbatи monasterii Sancti Guillelmi de Desertis, ordinis sancti Benedicti, Lodovensis diocesis, salutem in Domino. Noveritis nos literas sanctis-

1. Ex eodem archivо, *Bal.*; pièce non retrouvée.

simi in Christo patris et domini nostri domini Clementis divina providentia pape VIJ recepisse, quarum tenor talis est: *Clemens, episcopus, etc., ut supra.* Cum autem postmodum vos ad civitatem et diocesim Coloniensem et nonnullas alias partes infra terminos legationis predictum dominum nostrum Clementem papam VIJ nobis commissemus consistentes pro expeditione negotiorum sancte Ecclesie romane nobis commissorum, ad quam vacare non poteramus nec possumus de presenti, aliis arduis ejusdem Ecclesie negotiis in aliis partibus terminorum legationis ejusdem legitime prepediti, duxerimus destinandum, et, ut intelleximus, in illis partibus sint nonnullae persone ecclesiastice tam seculares quam regulares que scelerato viro Bartholomeo olim Barensi archiepiscopo, in Sedem apostolicam violenter intruso, adheserunt et adherent, faverunt et favent tam pertinaciter quod nedum eis denegandus est favor, quinimo, ne ad eorū durum et obstinatum transeant, eorum contumacia, ut salvi fiant spiritus, rigore justitie compescenda censetur, nos cupientes, prout officii nostri debitum exigit, super hiis quantum possumus providere, juxta potestatem per dictas literas nobis datam, quia in partibus illis presentialiter ad providendum super hiis interesse nequimus, circumspectioni [851] vestre, de qua in hiis et aliis plene confidimus, procedendi auctoritate apostolica contra quascumque personas ecclesiasticas seculares et regulares, cujuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis existant, infra terminos nostre legationis constitutas, que prefato Bartholomeo adherent et adherebunt, favent et favebunt, et universa et singula super hiis faciendi que nobis per prefatas apostolicas literas conceduntur plenam et liberam concedimus auctoritate eadem qua fungimur potestatem, committentes vobis super hiis plenarie vices nostras donec eas ad nos duxerimus revocandas. Et si contingat nos auctoritate literarum earumdem contra quascumque personas procedere, de quo nobis potestatem reservamus, non intendimus per hoc hujusmodi commissionem vobis factam in aliquo revocare, nisi de revocatione hujusmodi specialis et expressa mentio in nostris literis habeatur. In quorum testimonium presentes nostras literas fieri fecimus et nostri sigilli appensione muniri. Datum et actum Metis in camera nostre habitationis sub anno a nativitate Domini MCCCLXXVIIJ (*sic*), inductione IJ, die vero decima mensis septembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Clementis divina providentia pape VIJ anno primo.

CXCIX

PETRI DE MONTERUCO CARDINALIS PAMPILONENSIS EPISTOLA¹ AD
LUDOVICUM, COMITEM FLANDRIAE. — Avignon, 23 juillet [1379].

*Magnifico et potenti viro domino comiti Flandrie domino et amico
carissimo P., cardinalis Pampilonensis.*

Magnifice princeps, domine carissime. Dudum per obitum felicis recordationis domini Gregorii pape XJ, apostolica Sede vacante, ac Bartholomeo, olim Barensi archiepiscopo, ad summi apostola-[852] tus apicem canonice, ut tunc credebatur, assumpto, prout per litteras reverendorum patrum dominorum meorum cardinalium in ejus electione presentium collegialiter factas nobis et multis aliis extiterat intimatum, nos credentes per informationem hujusmodi quod electio ipsa fuisset et esset canonice celebrata, eidem Bartholomeo tanquam vero romane ac universalis Ecclesie summo pontifici adhesimus. Et demum iidem domini cardinales seu ipsorum major pars extra dictam Urbem existentes, dictamque electionem et alia inde secuta per impressionem Romanorum que cadere poterat in constantes viros factam asserentes esse invalidam, ac dictum Bartholomeum in apostolica Sede intrusum publicarunt et etiam declararunt, et paulo post omnibus dominis cardinalibus in ultramontanis partibus existentibus in civitate Fundana insimul congregatis ultra quam due partes ipsorum sanctissimum in Christo patrem et dominum nostrum dominum Clementem papam VIJ, tunc cardinalem Gebennensem, in summum pontificem canonice elegerunt. Et licet dicti domini cardinales hujusmodi declarationem et assumptionem dicti domini nostri Clementis nobis per suas litteras significare curaverint, nos tamen volentes de premissis plenius informari, mentem nostram aliquamdiu tenuimus in suspenso, nec ipsis pro tunc adhesimus, donec per nonnullos fide dignos, qui in hujusmodi electione dicti Bartholomei impressiva fuerant in Urbe presentes, fuimus de premissis omnibus plenius informati. Nuper vero, videlicet de mense novembris proxime preterito, quia post diligentem examinationem et informationem legitimam super premissis per nos habitam reperimus predictam electionem de dicto Bartholomeo fore invalidam et per impressionem et violentiam Romanorum celebratam, nec aliam electionem cano-

1. Ex autographo ejusdem cardinalis, *Bal.*

nicam de persona ejusdem [853] Bartholomei fore postmodum subsecutam, scrupulum conscientie nostre illico deposuimus, et dicto domino nostro Clementi pape VIJ ex tunc adhesimus et adheremus ac adherere volumus sibique obedire in omnibus tanquam vero summo pontifici et vicario Jhesu Christi. Que omnia ad vestram notitiam deducimus per presentes, ut si forsan, quod absit, nunc estis vel aliquando fuistis in errore consimili, velitis lumen agnoscere veritatis, ut scisma detestabile, quod est, proh dolor, ex premissis dampnabiliter suscitatum, dextera vestre potentie extinguatur, et tot malis que exinde formidantur verisimiliter proventura finis laudabilis salubriter imponatur. Personam vestram sanam et incolumem conservare dignetur Altissimus feliciter et longe. Scriptum Avinioni, die xxiiij mensis julii, manu propria.

CC

EPISTOLA¹ CLEMENTIS PAPAE VII AD JOANNEM REGEM CASTELLÆ. —
Avignon, 26 mai 1380.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Joanni, regi Castelle et Legionis illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Licet, fili carissime, tue celsitudini tam per nuntios, quos sepe ad eam transmisimus, quam alias plene potuerit esse notum quod, dudum apostolica Sede vacante per obitum felicis recordationis Gregorii pape XJ, predecessoris nostri, qui in Urbe decessit, romane Ecclesie cardinales, de quorum numero tunc eramus, Bartholomeum, olim Barensem archiepiscopum, per violentiam et impressionem Romani populi in apostolicam Sedem intrudere coacti fuerunt, quia tamen dilecti filii Fernandus, ordinis fratrum Minorum professor, confessor tuus, Rodericus Bernardi audientie tue auditor, ac Alvarus Melendi, legum doctor, ambaxiatores tui, quos pro premissorum veritate [854] presertim ab illis ex eisdem cardinalibus, qui hic resident, inquirenda huc novissime destinasti, illa que circa cardinales eosdem, dum facienda per eos in Urbe predicta romani pontificis immineret electio, per prefatum populum facta fuerunt tibi mitti in scriptis postularunt instanter, nos totis desideriis affectantes ut hujusmodi veritas cunctis

1. D'après le ms. latin 11745, fol. 16 r° (Bibliothèque nationale de Paris).

Christi fidelibus patefiat, ac hujusmodi votis tuis satisfacere cupientes, ea que de violentia, et impressione ac intrusione predictis per nos et cardinales prefatos in civitate nostra Anagnie deliberatione provida concordata nostrisque et eorumdem cardinalium propriis subscripta manibus et roborata sigillis fuere tue celsitudini per ambaxiatores eosdem duximus transmittenda, ut per illa et informationes alias quas ambaxiatores predicti a pluribus et fide dignis personis hic super premissis recipere potuerunt tua serenitas informata plenarie amplius de intrusione predicta nullatenus possit aut debeat hesitare. Datum Avinioni, viij kalendas junii, pontificatus nostri anno secundo.

CCI

SCRIPTA¹ DOMINORUM CARDINALIUM SUPER CONCILIO GENERALI.
[1380-1381?]

Si queratur concilium generale², cum de tali materia non sit publice presertim coram laicis disputandum, poterit dici quod, cum hoc sit unum de majoribus negotiis que possint occurrere in Ecclesia Dei, ante omnia videtur quod ipse princeps deputaret aliquos in tali materia industriosos, cum quibus super hoc deliberaretur.

Illis vero habitis, queratur utrum petatur concilium pro habenda informatione quoad principem et suos, an vero pro tota christianitate.

Si dicatur quod primo modo, videlicet pro informatione principis et suorum, potest tangi quomodo alii reges [855] et principes hactenus quilibet in regno suo voluit informari per cardinales et nuncios ad se missos et non submittere se vel suos aliorum determinationi, quia par in parem, etc. Nec etiam esset hoc conveniens honori principis,

1. D'après le ms. 988, fol. 127 v° (Bibliothèque de Grenoble). — 2. Ce mémoire n'a pu être écrit en 1379, comme l'indique Baluze. En effet, l'enquête des ambassadeurs castillans, qu'il mentionne, eut lieu à Avignon en mai 1380 et à Rome en août suivant. Les ambassadeurs n'atterrirent en Espagne que le 27 septembre 1380. D'autre part, le mémoire est antérieur au mois d'août 1381, car son rédacteur cite le Portugal parmi les nations soumises à l'obéissance de Clément VII. Or, on sait que le 29 août 1381, le roi Ferdinand reconnut solennellement Urbain VI comme pape légitime. Son « apostasie » lui avait été arrachée par l'Angleterre. Le mémoire date donc ou des derniers jours de l'an 1380, ou des premiers mois de 1381; cf. N. Valois, *La France et le grand schisme d'Occident*, Paris, 1896, t. I, p. 209 et t. II, p. 207.

nec certe esset bene secundum Deum quod expectando [quod] generale concilium congregetur et habeatur universalis determinatio, interim dampnentur multe anime, que citius possent plene instrui et reduci.

Unde reges Castelle et Aragonie deliberaverant quod celebraretur concilium; sed postea examinatis circumstantiis destiterunt per se ipsos, et elegerunt viam audiendi informationes per nuncios ad se hinc inde missos, et demum pro majori certificatione miserunt ad dominos cardinales in Avinione ad sciendum de hiis que facta sunt in conclavi. Miserunt etiam Romam ad sciendum de hiis que facta sunt extra conclave. Et reversis ambaxiatoribus suis se declararunt.

Illi tamen reges, principes et prelati qui potuerunt citius informare conscientias suas, ut Portugalie et Navarre ac Scotie, noluerunt ulterius differre nec alios expectare, sed jam declaraverunt se velle obedire domino Clementi.

Si vero queratur generale concilium celebrari pro scismate radicitus extirpando de tota christianitate, dicatur quod quia concilium non potest in brevi tempore convocari, cum oporteat haberi voluntatem regum et principum de loco et tempore celebrandi concilii et providendi securitatibus oportunis tam pro veniendo quam pro redeundo, et quod possint haberi victui necessaria competenter, expedit quod interim illi qui venturi sunt ad concilium, presertim prelati et doctores, sint preavisati in materia scismatis taliter quod non possint decipi nec errare in eligendo partem falsam pro vera. Et hoc esse non potest nisi ordinetur quod in Alama[856]nia, Hungaria et Anglia ex nunc recipientur informationes pro parte domini nostri Clementis ita bene sicut hactenus pro parte adversa, quia etiam ita factum est in aliis regnis.

Dicatur etiam quod nullus cogatur auctoritate principis tenere nisi partem que secundum Deum et veram conscientiam videbitur veritate nisi.

Poterit etiam tangi quod multe difficultates occurrerent si deberet celebrari concilium pro tota christianitate. Oportet enim prius scire de voluntate Bartholomei, an se vellet submittere, quia jam per annum non potuit haberi consensus ipsius.

Item oporteret haberi consensum regum et principum ac prelatorum orbis.

Oporteret etiam concordare de presidentibus in concilio, et qualiter mandarentur executioni diffinitio[nes].

Oporteret etiam providere quid fieret ubi non concordarent presi-

dentes. Quod est satis verisimiliter futurum, si assumpti fuerint partiales.

Insuper oporteret quod factum esset appunctatum et certificatum antequam concilium conveniret, ut solum ibi tractaretur quid juris esset supposito facto.

Et quia de hiis que facta sunt infra conclave per dominos cardinales ipsi possunt certius (*a*) informare quam alii quicumque, et ex hoc pendet totaliter determinatio an Urbanus sit papa, ad habendum de hoc informationem ad eos videtur principaliter recurrendum et eis credendum, sicut in simili crederetur electoribus Imperii. Et si non sufficiat littera testificationis dominorum cardinalium XIJ manibus subscripta et sigillata ac solemniter tabellionata, ipsi poterunt adhuc personaliter audiri et examinari.

CCII

[857] ISTA¹ SUNT TRADITA PER REVERENDISSIMUM IN CHRISTO PATREM DOMINUM CARDINALEM EBREDUNENSEM. — [1386]².

Circa materiam concilii generalis advertendum quod licet via illa nedum sit inutilis, sed etiam periculosa parti veritatis, ymo etiam de facto appareat impossibilis, si bene circumstantie examinentur, ut declarabitur infra, quia tamen communiter totus mundus reputat illam viam bonam, refutare eam per expressa verba esset scandalosum, et quasi videretur pars refutans causam injustam fovere, presertim attento quod Januenses omnino creduntur obtinuisse a Bartholomeo quod petat vocari concilium generale, quia supponunt quod pars ista non consentiet; et si[c] Bartholomeus multum justificaret causam suam, ubi nos refutaremus expresse. Et tamen adhuc esset major stultitia acceptare illam viam.

Item multum caute procedendum est in materia ista, et omnino cavendum quod ex parte domini nostri pape non detur quoad hoc

a) citius, *Bal.*

1. D'après le ms. 988, fol. 129 r° (Bibliothèque de Grenoble). — 2. M. N. Valois a montré que Baluze avait eu tort d'assigner au traité du cardinal d'Embrun la date de 1381; il faut opter pour l'année 1386. *La France et le grand schisme d'Occident*, Paris, 1896, t. II, p. 259.

Flamingis responsum. Bene tamen videtur expediens quod dominus dux Burgundie et consilium suum essent informati, antequam tene-
retur dicta, de rationibus et motivis per que apparere clare potest quod illa via concilii generalis non est possibilis nec sequenda. Et alias ita fuit conclusum quando bone memorie dominus dux Brebantie petebat Parisius illam viam, et rationes hoc concludentes infra tanguntur.

Item videtur expediens quod, antequam nuncii apostolici et Flamingi convenient coram domino duce, ipse vellet prescire a Flamingis qualem respcionem facere intenderent. Et quando ipsi aperirent viam, concilii, statim ipse recitaret qualiter dux Brebantie [858] alias hoc petierat, et super hoc fuerat plene deliberatum, et finaliter conclusum quod illa via non posset teneri, et quod etiam non procedebat de jure nec de ratione. Et istud potest dicere dominus dux Burgundie ex se ipso, quia fuit presens quando Parisius de hoc agebatur. Et consilium ejusdem domini ducis quasi per modum mutue collationis posset proponere aliquas rationes hoc probantes, que infra dicentur, potius eas allegando et dicendo ex se ipsis quam quod viderentur procedere a parte nunciorum apostolicorum.

Item bonum videretur quod hoc pretextu dominus dux Burgundie non ita cito haberet partes simul in presentia sua, sed seorsim tractaret cum Flamingis, ut posset eos revocare ab opinione petendi concilium.

Ubi autem Flamingi omnino persisterent in opinione sua et dice-
rent ita fuisse deliberatum et conclusum in consiliis suis, tunc vide-
retur quod dominus dux Burgundie diceret se velle loqui ad partem super hoc nuncii apostolicis. Et eo casu non videretur malum si nuncii apostolici dicerent quod nullum mandatum habuerunt super hoc a domino nostro papa; quia jam sunt plures anni elapsi quod super illa via deliberatum fuerat et conclusum quod erat impossibile eam sequi; alioquin, si Flamingi dare possunt modum et formam quod concilium in brevi congregari posset in aliquo loco bene seculo utriusque parti et omnibus prelatis christianitatis et aliis qui ad talia sunt congregandi, ipsi bene crederent quod dominus noster Clemens de hoc gauderet; sed quia hoc ab omnibus prudentibus reputatur impossibile, nedum de jure, sed etiam de facto, tendere ad hoc esset vanum et perdere tempus; et videbatur proponi subterfugii causa dumtaxat, cum nuncii non fuerint ad hoc destinati, nec ad hoc emprensa est ista dieta, sed potius ad audiendum quid sentiant de intrusione Bartholomei, consideratis rationibus [859] propositis et allegatis in alio

termino proxime lapso. Et offeratur eis quod si adhuc super aliquibus volunt audire vel conferre, ipsi nuncii parati sunt satisfacere cuiuscumque petenti vel impugnare volenti, nec oportet quoad hoc expectare quod concilium generale vocetur.

Item videtur quod ab eis rationabiliter peti posset super quo et qua de causa petunt concilium generale. Nam aut ipsi dubitant circa facta que pro parte nostra dicuntur, aut circa (*a*) juris decisionem, aut circa utrumque. Et quocumque dato, veritas brevius et facilius apparere potest et manifestari citra (*b*) concilium generale quam ibi. Et hoc declarabitur infra. Et si dicant quod se non reputent habere consiliarios et litteratos ydoneos et sufficientes ad discutiendum et bene discernendum in materia ista, potest eis dici quod ipsi secure convocent quot voluerint, et congregentur ubi voluerint in loco tuto utriusque parti, et libenter ipsi nuncii nostri accedent illuc pro discutienda et manifestanda veritate.

Si Flamingi dicant quod ipsi potius petunt concilium generale propter auctoritatem judicandi de papatu quam pro habenda informatione quid juris, tunc petatur ab eis utrum credant quod Bartholomeus sit papa. Et si dicant quod sic, oportet eos fateri quod non credunt eum posse judicari per concilium generale nec dampnari tanquam intrusum. Si vero dicant quod ipsi dubitant quis duorum sit papa, et in tali dubio requirant determinationem concilii generalis, dici potest eis quod secundum hoc ipsi debent se reddere indifferentes, etc. Alioquin argumentum stat ut prius. Sed quia re vera fatendum est alterutrum illorum esse papam, et per consequens non subesse judicio concilii, sed preesse, et qualibet pars asseret hoc de suo vel asserere posset, manifestum est quod illusorium esset judicium concilii generalis.

[860] Preterea potest tangi quod honestius petiissent ab initio scismatis congregari concilium, nec debuissent per tot annos remansisse in tanta pertinacia nolendi informari de veritate. Et ideo videntur hoc petere causa diffugii dumtaxat.

Item potest eis dici quod nunquam legitur quod fuerit expectatum concilium generale ad determinandum scisma inter duos contendentes de apostolica Sede; sed semper creditum fuit illis ad quos spectabat electio romani pontificis, si omnes vel major pars dixerunt unum esse papam, quantumcumque ab initio plures nominati et electi fuissent.

a) scire, ms. — b) circa, ms.

Et si obiciatur de eo quod legitur de Sym[m]acho papa, dicendum quod ibi fuerunt vocati solum episcopi de quadam parte regni Theodorici, et non de tota christianitate; et illi clare dixerunt quod de domino Sym[m]acho non intendebant judicare, quia solius Dei judicio reservata erat causa sua, ut legitur XVIJ dist. : § *Hinc etiam.*

Item in presenti scismate nulli reges vel principes aut regna vel nationes expectaverunt concilium generale, sed adheserunt isti vel illi, sicut eis visum fuit. Est tamen verum quod domini reges et regna qui tenent cum domino nostro Clemente plene voluerunt informari pro utraque parte de veritate eorum que proponebantur tam in facto quam in jure, et comperto quod Romani fecerant impressionem notoriam dominis cardinalibus in conclavi et aliis hujusmodi que dicere longum esset, et quod ipsi domini cardinales in Anagnia declaraverant ipsum Bartholomeum non esse papam, sed intrusum, et per eos debere procedi ad aliam electionem, et quod Bartholomeus satis expectatus nichil pro se responderat vel allegaverat, et quod omnes domini cardinales qui erant ultra montes, ad quos tunc spectabat electio romani pontificis, convenerant simul in civitate Fundorum, ac ibi canonice assump[861]tus erat in papam dominus Clemens VIJ, et receptus erat in papam per alios dominos cardinales existentes in Avinione, et quod pro parte Bartholomei nichil rationabile dicebatur, sicut nec dici poterat, ad ejus defensionem vel impressionis et intrusionis excusationem, ipsi, dimisso Bartholomeo, adheserunt dicto domino Clementi sancte et juste. Et certe dicere quod ipsi male fecerunt et debuerunt expectare concilium generale esset magne temeritatis et fatuitatis.

Preterea rex Aragonum, qui vult stare indifferens, nunquam petiit concilium generale nec petit. Dictum enim fuit sibi per nuncios Bartholomei et per consiliarios suos quod impossibile foret exequi viam illam.

Ee autem sunt rationes et motiva per que dicitur concilium generale pro sedando (*a*) scismate celebrari non posse temporibus istis.

Primo quia prelati totius christianitatis difficile possent convenire tute in uno loco et sub uno rege vel domino de quo plene confiderent propter guerras et dissensiones quasi in tota christianitate vigentes(*b*). Et si aliqui suo nomine non habent guerras, tamen sunt faventes

a) procedendo, *ms.* — *b)* urgentes, *ms.*

et colligati cum habentibus guerras. Unde sicut Angli non libenter venirent ad concilium celebrandum in Francia vel e contra, sic etiam esset de aliis regnis.

Item quia pars que tenet cum Bartholomeo non facile veniret ad celebrandum concilium in partibus obedientibus domino Clementi, vel e contra.

Item quando prelati utriusque partis congregari deberent in aliquo loco, multe dissensiones et scandala orirentur propter promotiones diversas in pluribus ecclesiis factas (*a*) hinc inde de diversis personis. Et hoc est evidens, nedum in ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis et episcopalibus, sed etiam in abbatiis et magistris ordinum mendi[862]cantium et aliis multis.

Item pars Bartholomei vellet ipsum tanquam papam in concilio presidere et suos anticardinales; quod nunquam tolerare possent antiqui veri cardinales nec eorum sequaces.

Item reges et regna que se declaraverunt pro domino Clemente cum magna examinatione negotii et probatione lucida veritatis, non facile dimitterent quod revocaretur in dubium an ipsi sint scismatici et deberet de hoc cognosci et judicari per multitudinem episcopelorum Ytalicorum.

Item aut concilium illud vellet decidere negotium via judicii vel superioritatis, et hoc nullo jure fundari potest, aut per viam submissionis, quia ambo principales se submitterent judicio concilii, et ad hoc istud non sufficeret ad judicandum de illo qui esset veraciter papa, aut concilium vellet procedere per viam tractatus examinando veritatem negotii et partibus consilium dando, et tunc esset in voluntate cuiuslibet sequi concilium vel non sequi, et frustra foret in hoc laboratum, et, quod est durius, pars veritatis jam venisset in quamdam sollicitam dubitationem seu ambiguitatem.

Item Alamanni, Ungari, Angli et alii hujusmodi, qui nunquam voluerunt audire aliquid contra Bartholomeum, non possent informari de veritate per celebrationem concilii, nisi illi qui essent presentes. Et ita per consequens absentes male possent reduci ad tenendum firmiter contrarium ejus quod per tot annos tenuissent absque alia informatione facienda per singulos episcopatus et insignia loca. Ideo Greci adhuc non sunt reducti ad unitatem fidelem sepe miserunt ad generalia concilia nostra. Unde si concilium celebrari deberet, prius deberent mitti et admitti informationes pro habenda veritate.

a) factis (sic), ms.

Unde in quatuor conciliis generalibus omnes episcopi veniebant preavisati, quia jam deliberaverant in partibus suis etiam per [863] particularia concilia super articulis fidei in generali concilio decidendis. Et tamen ibi solum querebatur de jure divino. Hic autem oritur jus ex facto, quia prius deberet inquire et examinari. Post que ad concilium veniretur. Et maxime audiendi essent domini cardinales antiqui, qui soli testificari possunt de iis que passi sunt et fecerunt in conclavi.

Item si dicatur quod concilium generale celebraretur in duobus locis vicinis et (*a*) quelibet pars per se staret in uno loco, verisimile est quod quelibet conaretur fundare et defendere partem suam. Et ex hoc sequi posset perpetuatio scismatis vel radicatio ad maximum tempus.

Item advertendum quod olim, quando celebrabantur concilia generalia, nunquam prelati totius christianitatis congregabantur in uno loco, licet subessent dominio unius imperatoris; sed tenebantur concilia in diversis partibus mundi super eadem materia. Et ita servatum fuit tempore Niceni concilii; in quo congregati fuerunt orientales, occidentales vero Rome ducenti octoginta sub beato Silvestro. Et idem reperietur quasi de omnibus conciliis. Nec unquam romanus pontifex celebravit concilium nisi in loco ubi se crederet posse habere plenam obedientiam. Et ad alia concilia tenenda mittebat legatos suos, qui presidebant (*b*) concilio vice pape. Et quicquid ibi deliberaretur vel concluderetur, semper reservabatur et submittebatur romani pontificis correctioni et determinationi.

Preterea in conciliis in quibus ipse papa personaliter presidebat, postquam deliberatum et conclusum erat super agendis cum omnibus episcopis et prelatis, antequam pronuntiarentur ea que statuenda erant, papa deliberabat cum solis cardinalibus, omnibus episcopis et prelatis exclusis, ut reservaret debitum honorem Ecclesie romane, que in cardinalibus consistit, et illa est que dici[864]tur preesse omnibus capitulis et ecclesiis mundi.

Igitur in casu presenti frustra peteretur concilium generale, quia quicquid ibi deliberaretur vel ordinaretur, adhuc posset corrigi per apostolicam Sedem.

a) ut, ms. — b) in, mis ici par le ms.

CCIII

EPISTOLA¹ PETRI DE SORTENACO CARDINALIS AD FRANCISCUM DE CORSINIS ET SIMONEM DE BROSSANO CARDINALES. — [Mai-juin 1380²].

Ista sunt tradita per r. p. dominum cardinalem Vivariensem³ quoad concilium.

Primo ostendatur impossibilitas congregandi propter guerras et dissensiones quasi universaliter in tota christianitate vigentes.

Item cum (*a*) quilibet rex se reputet quasi imperatorem in regno suo, quilibet vellet ut (*b*) in regno suo assignaretur locus concilii, nec clerus unius regni vellet ad aliud regnum accedere, potissime inimicum regno suo, ut in Francia et Anglia patet exemplum, et de pluribus aliis. Et (*b*) sic nunquam posset concordari de loco. Et sic (*c*) interim Ecclesia semper magis et magis destrueretur.

Item quis convocabit istud concilium? Si dicatur quod imperator, non potest esse, cum re vera non sit hodie imperator. Et supposito quod esset, non obediretur sibi per reges alios, quia quilibet in regno suo illi reputat se esse (*d*) parem. Et si dicatur quod (*e*) de consensu regum fieret, dicatur quod reges alii non sunt ibi nec ambaxiatores eorum (*f*), et si oporteat eos consulere, magna tempora fluent antequam concordent, et forsitan in hoc non concordabunt nec in loco nec in ipso concilio, potissime reges qui jam sunt declarati. Et sic frustra fit de hoc sermo, et semper Ecclesia destruitur, et destruetur durante tali labyrintho.

[865] Item quis presidebit in isto concilio? Quis ordinabit istud concilium? Non video quis possit esse ille. Et si nullus sit presidens, quod bonum potest expectari (*g*) ex tali concilio, ubi erit tanta multitudine sine capite? Certe nullum; quia ubi multitudo, ibi confusio.

a) omis par B. — b) omis par A. — c) omis par A. — d) omis par B. — e) omis par B. — f) ipsorum, A. — g) spectari, A.

1. D'après le ms. 988, fol. 128 r^o (*A*) et 131 v^o (*B*) (Bibliothèque de Grenoble).

— 2. M. Valois a montré que cette lettre fut probablement écrite vers mai ou juin 1380; cf. *La France et le grand schisme d'Occident*, t. I, p. 319 et t. II, p. 314. Baluze lui avait assigné la date de 1381. — 3. Au folio 128 r^o le copiste a attribué la lettre au cardinal Guillaume Noëllot: « *Sancti Angeli quoad concilium generale.* »

Item concilium non habet potestatem judicandi quis sit papa, quia nullum jus, nulla decretalis hoc sibi concessit (*a*). Et sic posset contingere quod faceret de non papa papam et de papa non papam.

Item sunt plures nationes que nullo modo volunt informari super veritate facti, sed juxta arbitrium proprie voluntatis procedunt, sicut sunt Alamanni, Ungari, Ytalici pro majori parte. Et (*b*) tales non essent boni consultores, ymo potius essent partiales. Et (*c*) pari modo esset dici de nationibus que jam se declaraverunt, quod sunt partiales. Qui erunt ergo illi qui tenebunt istud concilium ?

Item cum nationes in isto scismate sint divise, aliisque pro uno, reliquo pro altero, si congregarent se super (*d*) isto negotio, timendum est quod quilibet vellet opinionem suam firmare. Et sic possent recedere discordes. Quo casu scisma esset perpetuo radicatum, et esset error pejor (*e*) priore (*f*).

Ad concilium particulare (g).

Si dicatur quod sit decisivum sive judicativum, dicatur sicut supra¹ de concilio generali. Si sit declarativum, dicatur quod primo oportet recordari factum et habere veritatem facti (*h*). Ideo oportet quod fiat informatio equalis et cum utraque parte, et non cum una tantum, et cum cardinalibus, qui soli veritatem ipsius facti (*i*) scire possunt. Alias super facto dubio vel incerto non posset concilium fieri nec concilium sanum haberi (*j*).

Item istud tangit reges et principes qui sunt jam (*k*) declarati et cardinales [866] absentes, quos oportet primo consulere an velint istam viam acceptare.

Item in isto concilio nichil aliud potest sciri quam sciatur nunc. Impressio fuit notoria ab extra in conclavi. Nullus est, dum fit electio, nisi (*l*) cardinales dumtaxat; et illi soli sunt qui sciunt veritatem

a) jus aliquod nulla decretalis sibi concessit, *B.* — *b)* omis par *A.* — *c)* omis par *A.* — *d)* pro, *A.* — *e)* potior, *B*, corrigé en pejor par une main plus récente. — *f)* et esset error pejor priore, omis par *A.* — *g)* Ad concilium particulare Dominus Vivariensis, *A.* — *h)* istius negotii au lieu de facti, *A.* — *i)* omis par *B.* — *j)* nec concilium sanum haberi, omis par *B.* — *k)* jam sunt, *A.* — *l)* domini, ajouté par *A.*

1. Le mot *supra* indique clairement que ce mémoire a, comme le précédent, le même auteur, c'est-à-dire Pierre de Sortenac. M. P. Fournier a donc eu tort de contester l'attribution de Baluze; cf. *Catalogue général des manuscrits des bibliothèques publiques de France*, Paris, 1889, t. vii, p. 298.

istius rei. Et (*a*) scita veritate rei, jus est clarum. Ad quid fiet ergo (*b*) istud concilium? Certe pro nichilo. Et interim Ecclesia destruetur. Melius est ergo quod quilibet amplectatur statim veritatem, omni (*c*) affectione particulari postposita.

Item cognoscere et judicare de hoc spectat (*d*) ad (*e*) cardinales, qui habent vacante Sede de papa providere et ipsum representare populo, et populus recipit illum quem (*f*) cardinales representant. Et ista conclusio bene fundatur et defenditur (*g*). Frustra ergo vocaretur concilium nec generale nec particulare.

Item aptentur alie rationes que sunt inducere contra concilium generale ad concilium particulare.

Item quod nunquam scisma per concilium generale vel particulare fuerit terminatum, nec per cronicas reperitur (*h*).

Item cogitandum est qui venient ad istud concilium. Non est sperandum quod illi qui fovent partem Bartholomei veniant, quia illi jam sunt determinati. Nec venient alii partem domini Clementis tenentes per rationem predictam. Et si venirent, quilibet firmaret se in opinione sua. Et sic recederent discordantes, et scisma radicaretur et firmaretur. Qui sunt ergo illi qui venient ad istud concilium? Verisimiliter creditur quod indiferentes et neutrales, et nulli alii. Et isti sunt valde pauci respectu christianitatis. Cum ergo sint pauci, alie nationes non credent ipsis, que jam se firmaverunt et partem elegerunt. Et sic nullam utilitatem istud concilium afferret, ymo dampnum maximum, quia interim Ecclesia stat sub maximis periculis et fluctibus.

[867] Item statim quando intrusus sciet quod per nos convocatur concilium, ipse convocabit suum de adherentibus sibi; qui habebit plures numero, quia plures sibi favent. Et indiferentes et neutrales etiam ibunt, et audirent erroneas rationes ipsorum, ita quod forsan firmabunt (*i*) se cum ipsis, vel saltim redibunt titubantes et dubii fortius primo. Concilium ergo de quo fit sermo non proficiet, ymo dabit materiam majori malo.

Item omnes fideles viri ad cardinales respiciunt in isto facta. Habant ergo cardinales bonum et verum judicium, quia ipsi soli sunt qui melius et certius possunt in isto facto judicare, cum sciant veritatem facti et juris, et inter ipsos determinata veritate procedant

a) omis par A. — b) ergo fiet, A. — c) quilibet statim veritatem agnoscat, omni, A. — d) expectat, B. — e) dominos, ajouté par A. — f) domini, ajouté par A. — g) fundetur et defendatur, A. — h) reperitur per cronicas, A; ici s'arrête la concordance avec le texte de B. — i) firmabitur, ms.

quoad populum christianum per modum doctrine, ne ad universum populum christianum, ut indubitanter evanescet scisma, et transibit sicut umbra.

Item sciatur ad quem finem volunt habere istud concilium particolare. Quia vel volunt istud concilium ut informentur a concilio, vel ut informent concilium. Si ut informentur a concilio, hoc esse non potest, quia ipsi melius sciunt veritatem et in facto et in jure quam concilium. Si velint hoc ut informent (*a*) concilium, sciatur primo opinio ipsorum, per quam volunt informare concilium. Et si sit bona, acceptabitur. Si non sit bona, informabuntur melius quantum fuerit possibile.

Primo videtur consideranda dispositio mundi, specialiter christianitatis, que, proth dolor, adeo est infecta ut vix sit dare nationem vel linguam que alteri non emuletur. Nam citramontani reges Francie, Castelle, et Portugalie tenent unam viam; quorum sunt inimici reges Anglie et Navarre. Et licet rex Aragonum non sit inimicus regum Francie et Castelle, est tamen regis Portugalie, qui est de eorum sequela. Et etiam est rex Aragonum in suspicione cum Gallicis, eo quia dux An[868]degavensis pretendit se jus habere in regno Majoricarum et comitatibus Rossilionis et Cer[i]tanis.

Item fere tota Alamania est affectione divisa in ista guerra. Nam alii favent regi Francie, et alii regi Anglie. Que divisio nedum est inter seculares, ymo etiam inter magnos prelatos.

Item est alia divisio inter Alamanno satis antiqua, inter scilicet Australes et Bavarios, que totam cit[er]iore Alamaniam dividit, et que divisio etiam usque ad hoc scismatis negotium est protensa.

Item in Alamannia ulteriore est alia divisio. Nam rex Norwegie est in guerra cum duce Magnopolis super successione regnorum Suecie et Dacie; que guerra totam ulteriorem Alamaniam dividit. Que etiam divisio ad hoc scismatis negotium est extensa. Nam rex Norwegie et sui sequaces tenent partem domini nostri, alter et sui tenent partem oppositam.

Item divisio et emulatio que est inter regem Ungarie et dominam reginam Sicilie satis est cuilibet nota.

Item alie divisiones et emulationes que sunt per seu inter dominia Ytalie satis sunt manifeste.

Item cause que movent obstinatos pro parte illius de Roma satis sunt manifeste. Nam, ut creditur et est communis et verisimilis fama,

a) informet, ms.

vix est aliquis (*a*) qui moveatur zelo justitie ac veritatis, sed (*b*) particularibus affectionibus querentium que sua sunt, [non] que Jhesu Christi.

Et hec dispositio, si fieret aliquod concilium, multa pericula et scandala generare posset, ut infra declarabitur.

Item est consideranda dispositio christianitatis quantum ad istud presens scisma, que in tres partes divisa est. Nam una pars tenet partem domini nostri et collegii. Alia pars tenet partem illius de Roma et suorum. Alia vero est indifferens, et nulli prestans obedientiam stat per se, nullum superiorem [869] recognoscens.

Item est tertio considerandum quod adversarius nullo modo vult aliquod concilium. Ymo nedum denegavit dominis meis, ymo regibus pluribus, scilicet Castelle, Aragonie et Bohemie. Qui rex Bohemie, cum esset sibi oblatum concilium, primo per ducem Lupoldum Austrie, subsequenter per ducem Brabantie, patruum suum, ex ordinatione et mandato illius de Roma et Ravennatis hoc instigantis ac prosequentis respondit quod ipse nolebat nec concilium generale nec particolare nec congregationem litteratorum nec deliberationem prelatorum nec audire aliquid, sive consisteret in facto, sive in jure, per quod jus illius de Roma revocaretur in dubium. Et in hac opinione pro nunc est firmatus dictus rex Bohemie ex ea principaliter causa quia Ravennas et illi clericis curie sue promoti per illum de Roma, ut eum fixum in hac opinione teneant, dant sibi intelligere quod quomodo cumque Bartholomeus succumbat, ipse hereticat patrem suum, qui in illa opinione decessit, nec est spes eum pro nunc revocandi nisi per tractatum matrimonii, qui pendet, de sorore sua danda regi Francie; in quo tractatu, dum dicta tenebitur, speratur quod possit informari de justitia domini nostri et de preservatione fame et honore patris sui mortui, et per consequens reduci.

Item est advertendum quod dominus noster tam per tres dominos meos cardinales legatos quam alios plures et diversos nuncios tam propter hoc quam pro aliis necessariis causis fere ad omnes partes christianitatis missos fecit diligenter inquire si consideratis ipsarum partium dispositionibus et negotii qualitate ac circumstantiis via concilii esset utilis et expediens ad faciendum hoc presens scisma cessare et errorem extirpare de mentibus hominum in hoc negotio non recte informatorum. Et omnium est et fuit concors opinio quod [870] dominis cardinalibus Ytalicis jungentibus se cum aliis, via concilii

a) aliquos, ms. — b) seu, ms.

nec esset utilis nec expediens. Et omnes concordant quod plus operabitur ad reductionem christianitatis in unum ipsorum conjunctio cum aliis quam faceret concilium, et erit sine periculo, et ex concilio possent inconvenientia multa sequi, ut declarabitur subsequenter.

Item est advertendum quod dominus noster cum dominis cardinalibus antiquis, quorum XV erant in curia, tres in legatione, et cum quatuor ex creatis per eum in curia existentibus, habuit consilium cum presentibus, videlicet quinque vel sex vicibus, tam in consistorio quam in camera, eis propter hoc ad consilium convocatis, et cum absentibus per litteras et nuncios, utrum ista via concilii particularis sit expediens et utilis omnibus consideratis ad faciendum hoc scisma cessare. Et omnibus concordantibus, nemine discrepante, est visum quod, maxime adversario non se submittente sicut ipse, ipsa via ne-dum est expediens, imo statui pape et Sedis ac sacro collegio dominorum vituperosa et prejudiciabilis, statui domini nostri scandalosa, ad cessationem scismatis nichil proficiens, et disposita ad multa scandala generanda, et magis apta ad perpetuandum scisma quam exting[u]endum; et hoc per rationes sequentes.

Primo igitur videtur quod ista via esset vituperosa domino nostro et Sedi cui preest, eo quia ipse esset aliorum judicio submissus obli-gatus, et sic quodam modo redactus ad servitutem, adversario suo remanente in sua pristina et plena libertate. Et sic claudicaret istud concilium, quia posset ordinari in prejudicium unius partis, et non in prejudicium alterius.

Secundo videtur quod ista via esset ipsi domino nostro scandalosa. Nam est dubitandum quod reges et principes, prelati, et universitates studiorum, qui ipso procurante se declaraverunt pro eo, [871] videntes quod modo ipse tam factum suum quam ipsorum principum, prelatorum, et universitatum studiorum declarationes revocat in dubium et supponit judicio et examini aliorum, ex hoc scandalizarentur et contra ipsum provocarentur. Quod nullo modo est sibi expediens.

Item videtur quod ista via esset vituperosa et inhonesta sacro collegio dominorum cardinalium. Nam ipsi habita matura deliberatione tam inter se quam cum omnibus peritis quos habere potuerunt se declaraverunt contra illum de Roma, publicando ipsum non esse papam. Qui ergo modo vocarent concilium ad sciendum utrum fecerunt bene vel non, esset facere sicut ille qui lata sententia suspendii contra quemdam [peteret] utrum bene fecisset vel non.

Item videtur quod ista via esset sacro collegio dominorum multum prejudiciabilis. Nam ipsis dominis concorditer videtur quod decernere

de electione pape, si tenet vel est nulla, ipso jure pertinet ad collegium. Unde ponere declarationem ad ipsos pertinentem in judicio aliorum, esset quodam modo saltim ipso facto super hoc contra se judicare et declarare quod istud non ad collegium sed ad concilium noscatur pertinere; quod usque (*a*) in presens tempus predecessores nostri nunquam facere voluerunt. Et supposito quod esset dubium ad quos pertinet de electione pape decernere, non esset tutum, nulla necessitate cogente, contra se modo declarare.

Et cum collegium sit per Dei gratiam in statu quod possunt omnes esse simul, saltem presentes (*b*) deberent omnes convenire et videre si dubia que circa gesta per eos moventur ipsimet possent concorditer clarificare, et si non possent, quod tunc vocaretur aliorum concilium.

Item videtur quod ista via nichil proficeret ad cessationem scismatis. Nam, ut dixi, mundus est tripartitus. Quia aliqui obedientiunt illi de Roma, et illi ad [872] istud concilium, quod auctoritate domini nostri tantum esset celebrandum, nullo modo venirent. Alii sunt sub obedientia domini nostri; et pro istis non indigemus concilio. Alii sunt indifferentes; et pro istis tantum sufficit declaratio vestrum duorum dominorum quantum concilium totius mundi, ut satis plene est informatus dominus noster. Ut quid ergo fient pro re sine fructu tot expense et sustinebuntur tot labores?

Item quantum ad istos indifferentes, pro quibus videtur magis peti concilium, nedum esset concilium inutile, imo dampnosum: quia propter absentiam et longam distantiam multorum vocandorum oporteret multum longum terminum assignari pro se parando et veniendo ad concilium, et in tenendo ipsum labetur magnum tempus, et interim indifferentes stabunt in sua indifferentia, et nec papa nec domini habebunt emolumenta sua, qui per regnum Francie solum et istam provinciam non possunt sustineri. Et si vos duo domini declaratis vos, indubie statim se declarabunt reges Castelle et Aragonie. Quibus declaratis, erunt unite Gallie et Hispanie, que adjuvante Deo tribulationibus durantibus poterunt statui romane Ecclesie, pape scilicet et collegii, subvenire.

Et si dicatur quod ymo etiam illi qui sunt de obedientia adversarii venient ad istud concilium, licet istud fit omnino inverisimile, adhuc videtur quod esset periculum magis de perpetuitate scismatis quam extinctione. Nam cum, ut dictum est, mundus sit in tali dispositione quod fere inter omnes nationes et linguas sunt inimicitie vel invidia,

a) quo usque, ms. — b) presens, ms.

et cum etiam illi qui tenent pro adversario videantur magis moveri ex particulari affectione quam zelo justitie et veritatis, quod appetat quia informationes veritatis recusant recipere, nullo modo est verisimile quod in isto concilio nationes concordarent in unam sententiam. Et si concilium in discordia solveretur, esset periculum quod nunquam magis scisma posset extingui. Et per istam rationem potissimum fuit expresse refutatum concilium tempore domini Innocentii IJ ut dicit beatus Bernardus in epistola ad episcopos Aquitanie.

Si autem, ut habet communis fama, istud concilium non petatur propter intrusionem adversarii, que est clara, sed propter assumptionem domini nostri, que est dubia, placeat declarare an sic canonica sua assumptio revocetur in dubium, et creditur quod per aliqua consistentia in facto, que vestre dominationes, ut creditur, ignorant, satisfiet plene; et si non potest satisfieri, bene reperietur alia via brevior dominationibus vestris grata ad dubium istud tollendum.

CCIV

BULLA¹ CLEMENTIS PAPAE VII QUA JOANNEM FLANDRINI PRAEFICIT ECCLESIAE AUSCITANAEC. — Sperlonga, 20 mai 1379.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis capitulo ecclesie Auxitanensis salutem et apostolicam benedictionem. Romani pontificis, quem pastor ille celestis et episcopus animarum, potestatis sibi plenitudine tradita, ecclesiis pretulit universis, plena vigiliis sollicitudo requirit ut ipse circa cuiuslibet statum ecclesie sic vigilanter excogitet sique prospiciat diligenter quod per ejus providentiam circumspectam ecclesiis singulis pastor accedat ydoneus et rector providus deputetur, per quem ecclesie ipse, superni favoris auxilio suffragante, preserventur a noxiis, et votive prosperitatis successibus gratulentur. Dudum siquidem felicis recordationis Gregorius papa XJ, predecessor noster, provisiones omnium cathedralium ecclesiarum tunc [874] apud Sedem apostolicam vacantium et in posterum vacatarum collationi et dispositioni sue reservavit, ac decrevit ex tunc irritum et inane si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingenter attemptari. Et deinde ecclesia Auxitanensi ex eo vacante quod idem predecessor venerabilem fratrem

1. D'après le registre Avin. 219, fol. 461 v°; ex archivio ecclesiae Auscitanac, Bal.

nostrum Johannem, Narbonensem, tunc Auxitanensem archiepiscopum, apud Sedem ipsam constitutum, a vinculo quo ipsi Auxitanensi ecclesie, cui tunc prerat, tenebatur de fratribus suorum consilio, de quorum numero tunc eramus, de apostolica plenitudine absolvens, ipsum ad ecclesiam Narbonensem tunc vacantem auctoritate apostolica transtulit, preficiendo eum ipsi Narbonensi ecclesie in archiepiscopum et pastorem, idem predecessor eamdem ecclesiam Auxitanam Philippo, olim patriarche Jherosolimitano, ex certis causis, de dictorum fratrum consilio, auctoritate predicta commendaverit, per eum, quamdiu viveret et eidem Jherosolimitane ecclesie precesset, tenendam, regendam, et etiam gubernandam, et subsequenter dicto predecessor, sicut Domino placuit, sublato de medio, nos divina favente clementia ad apicem summi apostolatus assumpti, cupientes eidem ecclesie Auxitanensi utilem et ydoneam per dicte Sedis providentiam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie Auxitanensis ordinationi et dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingenter attemptari, et deinde commendam hujusmodi de fratrum nostrorum consilio, pro eo quia dictus Philippus perditionis alumpno Bartholomeo olim Barense archiepiscopo, qui Sedem predictam nititur occupare, adherebat notorie dando ei auxilium et favorem, auctoritate predicta duximus revocandam. Nos igitur ad provisionem ipsius ecclesie Auxitanensis secun[875]dum premissa vacantis celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuerat neque poterat reservatione et decreto nostris obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis subjaceret incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentibus, post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem ac etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad dilectum filium Johannem electum Auxitanensem, tunc decanum ecclesie Laudunensis, legum doctorem, in spiritualibus providum, et in temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium virtutum donis, ut fide dignorum testimonii accepimus, insignitum direximus aciem nostre mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona ipsius Johannis electi nobis et eisdem fratribus ob dictorum suorum exigentiam meritorum accepta eidem Auxitanensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate predicta providimus, dictumque Johannem electum ei prefecimus in archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius Auxitanensis ecclesie sibi in spiritualibus et tempo-

ralibus plenarie committentes, in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod prefata ecclesia sub ipsius Johannis electi felici regimine, gratia sibi assistente divina, prospere regetur et salubriter dirigetur ac grata suscipiet in eisdem spiritualibus et temporalibus incrementa. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus eumdem Johannem electum tanquam patrem et pastorem animarum vestrarum grato admittentes honore, ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitam et devotam, ejus salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis. Alioquin sententiam quam idem Johannes electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam observari. Da[876]tum apud Spelongam, Gaietanensis dyocesis, **xiiij** kalendas junii, pontificatus nostri anno primo.

CCV

**EJUSDEM PAPAE CLEMENTIS EPISTOLA¹ AD COMITEM ARMANIACENSEM
DE NEGOTIO ECCLESIAE AUSCITANAEE.** — Avignon, 17 novembre
[1379]².

Clement, etc. Chier fil, nous avons n'agaires receu tes lettres escriptes à Rodés le vingtiesme jour du mois d'octobre derreirement passé, et avons diligemment veu tout ce qui estoit contenu en icelles. Et quant à la premiere part des lettres que nous envoyasmes autrefois au seigneur de Chastelpers, ensamble unes autres dedens encloses, esqueles se contenoit que tu voloies avoir l'archeveschié d'Aux de l'un ou de l'autre, à ce, chier fil, te respondons brievement et tenons certainement que jamais lesdites lettres ne furent faites de ta volonté ne de ton commandement, et que ceux qui telles lettres envoioient n'estoient pas certifiés de ta volonté ne entention, ne onques n'en creumes riens. Car bien savons que tu, tant pour ton devoir fere, comme pour le linaige que est entre nous et toy, et la grand amour que nostre oncle de Bouloigne avoit à ta maison, tu ne vorroyes avoir fait pour riens cella meismement. Car nous avons singulier desir de toy

1. Ex archivo regio Ruthenensi; *Bal.*; pièce non retrouvée. — 2. La lettre est certainement de l'année 1379, puisqu'elle est postérieure à la précédente. Elle n'aurait plus de sens, si on la plaçait en 1380.

fere plesir. Mais de l'eglise d'Aux nous ne poons. Car d'icelle adonques vacant quand nous estions encore és parties d'Italie, ou chastel de Spelongue, nous en ordonnames en la personne de Jehan Flandrin, frere germain de nostre amé fil le cardinal de Saint Eustace; par lequel ladite eglise sera tres bien et tres profitablement gouvernée, si comme nous tenons fermement, tant par la faveur, conseil, et aide de toy et de tes gens, comme par ledit cardinal; et se portera en telle maniere ou gouvernement de ladite [877] eglise que tu en seras moult content, et plus par aventure que tu ne seroies de plusieurs autres. Et pour ce ledit Jehan et ladite eglise d'Aux, laquelle est sans aucun moyen ta propre mere espirituelle, te recommandons tant de cuer que nous plus poons. Et nous avons et averons specialement pour recommandé, quant ben y venra, la personne de l'evesque de Lectore, pour lequel tu nous as moult souvent et tres affectueusement supplié de promouvoir à ladite eglise. Et samblement pour le frere dudit seigneur de Chastelpers, auquel nous avions et avons, tant pour consideration de toy, comme dudit seigneur de Chastelpers, comme pour les merites de sa personne, tres grant volonté et affection de pourveoir. Mais devant la reception de tes lettres et que nous peussions savoir ta volonté et entention sur le fait de l'abbaye de Saint Gile, nous en avions desja donné esperance à l'instance du cardinal d'Albane, duquel le mort abbé estoit compagnon et familier de son propre ostel et de son linage; et bonnement sens faire contre nostre honneur et dudit cardinal et les coutumes anciennement gardées entre les cardinaux, nous n'en povions autrement ordonner. Neantmoins, chier fil, nous voulons que tu saiches certainement que ledit frere dudit seigneur de Chastelpers et tous autres que tu nous as recommandés et recommanderas en temps avenir, nous averons pour recommandés et en nostre memoire en telle maniere que quand le cas si escherra, tu pourras appercevoir par experiance de fait la tres grand affection que nous avons à toy et de faire toutes choses qui te porront estre agreeables. Si te prions, chier fil, tant à certes et de cuer comme nous poons que pour les causes dessus dites ne te veille desplaire si ne sont à cette fois pourveus. Et derechiefs ledit archevesque d'Aux, auquel nous avons singuliere affection pour plusieurs causes, espe[878]cialement pour les grans merites de sa personne, ses besoignes et l'eglise tu vueilles avoir pour consideration de nous pour recommandés, et à lui et à ses gens donner et faire donner aide, conseil, et faveur en ses besoignes. Car en ce, chier fil, tu nous feras tres grand plaisir. Donné à Avignon, sous nostre annelsecret, le dix-septième jour de novembre.

CCVI

KAROLI V REGIS FRANCORUM EPISTOLA¹ AD GUILLEMUM PATRIARCHAM CONSTANTINOPOLITANUM. — Montargis, 26 septembre [1379].

Karolus, Dei gratia Francorum rex, venerabili in Christo patri patriarche Constantinopolitano, amico nostro carissimo, salutem cum dilectione sincera. Amice dilectissime, nequaquam diffidimus vos scivisse quomodo carissimus et fidelis amicus noster cardinalis Ambianensis ad nos nuper profectus est tam per jussionem apostolicam pro Ecclesie negotiis quam ad nostri instantiam et mandatum. Ipsum namque jussimus ad tempus in nostra societate degere ut nostris presit consiliis et secretis negotiaque supradicte Ecclesie juxta nostri appetentiam cordiale valeant hiis in partibus salubrius et decentius pertractari. Verum cum nobis suo dilucidarit eloquio paternitatem vestram zelantem interius vehementer, ut liquet ex opere subsecuto, universalis Ecclesie unionem, ante summi electionem pontificis sacrum cetum cardinalium et dictum ipsum summum antisitem in eorum et Ecclesie exagitationibus, proh dolor, anxiosis patrociniis, consiliis et auxiliis in quantum vestre potentie suppeditet absque ulla lentitudine confovisse astitisque sibi pro defensa Ecclesie et personarum ipsorum cuiuslibet tutamento tanquam indefessum et sollicitum pugilem fidei orthodoxe, hec om[879]nia et longe majora que super hac materia nobis aperuit sermo suus mentis lustricatibus revolventes, eaque peracta esse ad cunctorum non delirantium a semita veritatis complacentiam et profectum, et demum qualiter prefatis summo presule et cardinalibus in Avignonensi civitate perrectis, totius trepidationis sarcina deposita, indutus armis athlete fortissimi et intrepidi Ecclesie tutatoris, illuc non ambigit vestra paternitas remanere, pro viribus defensare ipsius causam Ecclesie non postponens, ex quibus precipue nos gaudentes tam pro bono veritatis sequacium quam pro eo quod ex regni nostri limitibus vestra paternitas ortum traxit, decrevimus inde peragere vobis grates ex precordiis, rogantes attente quatinus, veluti remur indubitanter vos affici, in sic celebrimis actibus vigeant continuati progressus ne vestra efficax operositas refrigeat, quin ferventius, prout nostre inest firme fiducie, ad vestre laudis preconium statuisset, non verentes quod sicut ab hujus-

1. D'après le ms. latin 4127 (ancien Colbert 356), p. 781 (Bibliothèque nationale de Paris).

modi scismatis initio inchoavimus, viis et modis omnibus quibus congruerit et poterimus assistemus jugiter Ecclesie summo pontifici et aliis ministris ipsius presidio et auxilio efficaci ad pellendum morbum tam languidum quo multi ambulantes per devia caliginosis jaculis perleduntur, nobis resribentes preterea, amice carissime, que placida fuerint votis vestris. Nam majestas regia minime ingrata exauditione tepebit. Datum apud Montem Argi, die xxvij septembris.

CCVII

EJUSDEM PATRIARCHAE RESPONSORIA¹ AD SUPERIOREM EPISTOLAM.
Avignon, octobre [1379].

Serenissime ac gloriosissime rex, veridine plusquam illustris. Cum quantis reverentia et humilitate (Hoc decet me semper flexis poplitibus, vultu demisso humo proclivum re[880]verentius) commendando vestros mellifluos apices cordis jubilo amplectendo, totus attonitus, fere in extasi, plurimum admiror quod ingens vestri celsitudo mei tam infimi sui, rex, incole minime immemor persistat. Nempe etsi paupercula mea et imbecillis parvipotentia quicquam in anxiis et periculis (*a*) felicis ac sancte memorie dominorum Urbani et Gregorii summorum pontificum, et viduitatis tunc vacillantis Ecclesie, necnon domini nostri Clementis VIJ temporibus quiverit operari, emeritus agere debui, ymo quaque die, si hoc valuero, pensatis piis et justis Christi sponse miseriis, sui misertus, ad omnia perferenda, Christi honore proposito, ipso juvante validius assurgam. Verum, potentissime rex, sponsa Christi, heu proh dolor, quod ingemiscendo profero, pene jugulata impiorum manibus, in profundo pelagi ventis et fluctibus exposita mersui, naviculaque Petri paucis remigibus lassescenibus indefesse tempestuosum salum sulcantibus in altum educta, equoreis flatibus pene precipiti mersa profundo et in exitium agitata, ymo in tempestate noctis per scopulorum abrupta, per invia ponti cespitando, nusquam portum tutum arripiens, in majestatis vestre omnipotentiam, vos velut polum fixum magnete dirigente virtutum,

a) periculosis, *Bal.*

1. D'après le même ms., p. 784.

aspiceret, vestrumque jubar ac uti centrum Ecclesie, a quo in circumferentias orbis profluit tota virtus, de caligine illam eduxerit in suam lucem. Quis namque qui non recolat quotiens a vestris genealogicis progenitoribus in solo manens prostrata fuerit reducta in sedem propriam? Quippe istos summos pontifices ac istis plures, videlicet dominos Stephanum IJ, IIJ et IIIJ, Adrianum J, Leonem IIJ, Gregorium IIIJ, Johannem VIIJ, Sergium IIJ, Urbanum IJ, Gelasium IJ, Calixtum IJ, Innocentium IJ, Eugenium IIJ, Alexandrum IIJ, Innocentium IIJ et IIIJ hos omnes mirifice ac gloriosissime, quos [881] Romana insania tumultuosa ac imperatorum perfidia in obliquum abduxerat, majestas ipsa Francorum regia propriis humeris in altum erexit. Novissimis vero temporibus illam attritam scismatibus per amplius honorificentius extollendo, tanta indagine tetri problematis noctes dirupit diutine malleando in incud. sui alti consilii ac universitatis sue veritatis alumne ut ex Parisius..... petenti lucide pateat aditus paradisi. Atqui creberrime dum hec revollo animo, uberes gratias agens, in excelsum Deo manus extollo, tantoque vestre serenitatis preconia perstupo quanto singulare auxilium ab altissimo previsum et ordinatum sue Ecclesie orthodoxe eminus vos fore prenoscito. Unde tam ingentis serenitatis cunctipotentiam totus reclinus in terram humillime posco, uberrimas gratias ad laudum meritorum actiones agendo, summe rex, ut sicut huic operi tam laudabiliter tamque potenter fecistis exordium, manus ad fortiora queque ponendo, presidiis undequaque potentibus avidius assistat, cum opus sit facto. Quid enim gloriosius quam tantum oppresse tantumque demisse Ecclesie subvenire? Nam virtus semper ad fortia; ac ubi ad infima Ecclesia Dei videtur deprimi, ad sui erectionem potentior virtus sensibilius approbatur. Altissimus vestre sacre regie majestatis celsitudinem, cuius quasi solius filii predilecti Dei Ecclesia sic afflita, languescens, ac gemebunda, aliorum suffragiis destituta, auxilia solita humiliter implorat, diu et feliciter conservare dignetur felicibus auspiciis regnaturam; que michi fidelissime creature servitori minimo, continuo et devoto precipiat semper omnia grata sibi; que exequar humiliter ut verus obediensque regnicola et fideliter juxta posse. Scriptum Avinioni, die octobris.

Ejusdem precelse majestatis servitor minimus, supplex orator, ac obnoxius perpetuus capellanus, frater G[uillelmus] pa[882]triarcha Constantinopolitanus, ecclesiarum Idrontine et Nigropontensis administrator.

CCVIII

JOANNIS REGIS CASTELLAE EPISTOLA¹ AD KAROLUM V, REGEM FRANCORUM. — Medina del Campo [20 septembre² 1379].

Serenissimo principi Karolo, Dei gratia Francorum regi, fratri nostro carissimo, Johannes, eadem gratia rex Castelle et Legionis, salutem et dominice vestis unire scissuram. Princeps serenissime, si turbatos rerum ordines humane rationis disciplina miratur, si ad insolitos prodigiorum incursus mens nostra stupore concutitur, qua, princeps karissime, sollicitudine, quo terrore fidelis debet intellectus intercipi, quale potest monstrum vel prodigium opinari, si versa vice consuetudinum, quod olim lucidum erat, modo videatur obscurum, binos in firmamento militantis Ecclesie soles inspicere, et alicujus eorum eclipsata lumina non lucere? Que tam atrox et seva furentis hostis astutia ut tanto impetu multiformes versutie sue fucos mentibus humanis obiciat, quod colliso capite et caligante memoria, membra languentia in devium tante cecitatis involvat? Sed hoc forte non sine causa geritur. Nec enim voluntatis divine permissio fortuitis casibus implicatur. Ad has igitur elidendas insidias, ad hos pestiferos declinandos insultus vestra clara fraternitas, que inter ejus deferenda preconia ex eo signanter extollitur quod Ecclesie Dei zelum illibata fidei religione complectitur et ad ejus opportuna remedia promptis semper favoribus animatur, ut quemadmodum splendida illa prosapies per incrementa virtutum sue se confirmat origini, sic devoti principis radicata perfectio ex actuum laudanda prestantia eterno famulatur auctori, piis affectibus excitata, prout ipsius serenitatis litteris nuper acceperimus, mandavit omnem magistrorum [883] cetum a locis studiorum insignibus regni vestri universaliter congregari, quatinus per eos hujus frementis blasphemie perniciosa sevitia, qua hodie professio christiana colliditur, discussa et aperta veritate concorditer sopiaetur; quorum sententie, ut dicte littere tradit auctoritas, consono equalique omnium judicio et assensu, reprobato primo electo, utpote apostata et

1. D'après le ms. latin 14643 (ancien Saint-Victor 842), fol. 125 r^o et 188 r^o. —

2. N. Valois a prouvé que la date indiquée par le manuscrit, 20 décembre, était une erreur de copiste; cf. *La France et le grand schisme d'Occident*, Paris, 1896, t. I, p. 205-207. Il pense que la lettre même dut être rédigée par Pierre Tenorio, archevêque de Tolède.

intruso, secundum verum Christi vicarium et universalis Ecclesie Dei declaravit antistitem; et hoc ipsum pro veritate credere et tenere vestre serenitatis felicitas profitetur, nosque ad hujus terminationis propositum amplectandum suis benignis affatibus excitat; ut qui sumus in ceteris unanimes et conjuncti, in hujus professione veritatis nulla inveniamur varietate discreti. Ex quibus, serenissime princeps, illum certum affectionis zelum erga nos fraternitas vestra prodit quem ad clare memorie progenitorem nostrum vetus olim experientia demonstravit. Nam dum nos ad veritatis et justitie cultum ferventer allicitis, a vestris virtutibus discrepare non optatis; ut sicut mutuis et connexis viribus et animis in temporalibus regnis Deo auctore proficimus, sic per fructuose operationis effectum mentis nostre acumen ad eterni regis obsequium dirigamus. Porro, prudentissime princeps, etsi ad abrogandam crudelis mali formidinem mansuetudinis vestre studium sollerti cura processerit, et ad illud idem junctis votis nostra tendat intentio, ad eumdemque finem idemque propositum, licet diverso calle, nitatur, si divina concesserit misericordia pervenire, unicum tamen eternus medicus in hoc morbo aditum reconciliande sospitatis invenit, unicum judicio nostro in hiis procellis celestis ille nauta portum salutis instruxit, ut videlicet totius catholice plebis generale concilium congregetur, in quo circa hec et alia quid religioni conveniat, quid Ecclesie Dei expediatur, et quid omnium saluti [884] proficiat statuatur, et per quod tante calamitatis infectio, omnium fidelium conscientiis quietatis, ab Ecclesia Dei ipso actore radicitus precidatur. Nam cum primus electus tanto tempore absque contradictione fuerit in possessione papatus, multum videtur absurdum quod a suspecti sibi consistorii judicio dampnari debuerit non auditus; presertim cum Ytalici, Alemanni, Ungari, et alie plures orthodoxe fidei nationes in suis conventibus perhibeantur oppositum terminasse; ex quo vulgares communiter, nedum et plebeii, sed et innumerosi proceres et prelati ac docti viri, non modo in ejus devotione tepescunt, sed ad eam disponuntur fortius et intendunt: a quo proposito, quia impossibile nobis esset eos omnino divellere, disposuimus in suis eosdem conscientiis non turbare. Quis enim unquam regnantium, prudentissime princeps, mentem sibi firma ratione coherentem a proprie conscientie statu potuit amovere aut libero animo additis etiam cruciatis imperare? Unde in hoc ancipiti et intricato periculo tutius estimamus confiteri, neutri adherendo, probabilem ignorantiam quam indisusso negotio festinam fortassis assumere audaciam. Ex parte enim scimus, sed ex parte prophetare nequimus. Quare, princeps-

clarissime, cum particulares conventus et terminationes non sufficiant ad tantum piaculum expiandum, sed atrocioris flamme videantur provocare incendium, dignemini ad viam predicti generalis concilii declinare, quam omnes fere principes christiani et tres cardinales Ytalici necnon christiane plebis vota miseranda probantur expetere; cuius virtute serenitatis vestre conscientia et nostra necnon aliorum omnium christiane fidei professorum, qui profusis clamoribus et gemitibus geminatis dicti tantummodo concilii solatium prestolantur, abjectis erroribus et omni eliminata caligine serenate, in pristine quietis dulcedine fovebuntur, et re[885]sumptis ac restauratis spiritibus ad ea que Dei sunt fideliter dirigentur. Ad hec autem felicitati vestre efficaciter suadenda zelo et bone dilectionis affectu, quem ad caram serenitatem vestram gerimus, principaliter incitamus; ne, quod absit, vestre serenitatis lucide puritati unquam possit ascribi, si vestri causa tantum Ecclesie Dei et totius catholice fidei bonum contingeret impediri. Scimus enim ea vos solum diligere que Deo possunt et justitie convenire. Porro si ad ea que per ambaxiatores nostros, dudum a serenitatis vestre presentia redeuntes, nobis ex parte vestra insinuata didicimus, distulimus respondere, vestra claritas non miretur. Nam propter sacra nostre coronationis initia congregatis prelatis, proceribus et sapientibus regni nostri, providimus super hoc cum eis prius maturare consilium quam serenitati vestre indeliberatum proferre responsum. Per hec autem, frater amantissime et gloriostissime princeps, nostram sinceri federis unionem, nostre fidelis amicitie puritatem nullius caligo suspicionis inficiat, nullius turbo dissensionis elidat; sed nos mansuetudinis vestre zelo ita quisque noverit excitari ut qui vobis fuerint fidei integritate conjuncti, nobis quoque sint vinculo perpetue dilectionis uniti, et quos sibi contigerit adversari, castellanorum vires oporteat experiri, hostiumque communium Anglicorum cornua conterendo, experientia docente dolenter intelligent quanto soliditatis affectu felicia vota vestra firma se societate contingant. Datum (*a*) apud Medinam del Campo, die vicesima mensis decembris. *Lupus,*

a) Datum, etc., fol. 188 r^o.

CCIX

[886] PETRI TENORII ARCHIEPISCOPI TOLETANI EPISTOLA¹ AD JOANNEM DE GRANGIA, CARDINALEM AMBIANENSEM. — Medina del Campo, 21 septembre 1379.

Reverendissimo in Christo (a) patri ac domino suo (b) specialissimo domino cardinali Ambianensi.

Reverendissime pater et domine, post humilem et devotam recommendationem. Tanto solet, pater benignissime, cujusque morbi cura esse facilior quanto ejus origo conspicitur esse patentior; et hujus pestis pernicies tanto magis inquiritur, tanto plus abscondita oculere se videtur, adeo quod spectantium illudere et frustra (*c*) conatur intuitum, ut modicum restet in ejus jam salute remedium, et ex eo majus sibi creditur imminere periculum, cum in morbi notitia discrepantes diversa adhibere satagunt remedia fomentorum. Hinc est, reverendissime pater, quod cum in hoc sevo languore quo, proh dolor, sponsa Christi comprimitur, in ipsius facti declaratione nulla huc usque potuerit rei geste veritas extorqueri, aliis pro parte primi electi proponentibus unum, aliis pro parte alterius inficiantibus illud idem, tanta hodie sollicita cura fidelium ambiguitatum fluctuatione distrahitur quod ratio exulat, intellectus obtunditur, et cuncta pene omnium memoria conculcatur. Quare, pater benignissime, vestris benignis circa hoc monitis et exhortationibus respondendo, noveritis quod pro parte primi electi dominus meus rex et ego tot et tanta in facto rei geste perceperimus que dictis et assertionibus dominorum meorum cardinalium non concordant, sed penitus adversantur, quod si eis fuisset fides adhibita, altercationis hujus jam fuisset questio terminata; et pro tanto idem (*d*) dominus meus rex cum consilio suo tutius estimavit in hoc tenere medium quam ad alteru[887]tram partem faciliter inclinare. Super quibus dominus meus rex plenius scribit domino meo regi Francorum illustri. Ideo ulterius brevitatis causa non insisto, tum etiam quia eidem domino meo regi mitto certa mea (*e*) motiva et dubia super quodam tractatu domini

a) in Christo, *omis par Bal.* — *b)* *omis par Bal.* — *c)* et frustra, *omis par Bal.* — *d)* *omis par Bal.* — *e)* *omis par Bal.*

1. D'après le même ms., fol. 125 v^o et 188 v^o.

mei cardinalis Sancti Eustachii circa hoc edito et per eum nuper michi misso, cum responsione mea ad eumdem, que dignetur eadem paternitas domestica benignitate perlegere et circa ea necnon quemque occurrerint vobis in veritate ipsius facti meam conscientiam declarare, offerens me ad omnia ipsius paternitatis obsequia et mandata, quam conservet omnipotens per tempora longiora. Scriptum in Medina del Campo, xxij die septembris, anno LXXIX.

Vester servitor P., archiepiscopus Toletanus.

CCX

RUPERTI COMITIS PALATINI EPISTOLA¹ AD KAROLUM V REGEM FRANCORUM. — Heidelberg, 10 octobre [1379].

*Serenissimo principi ac domino domino Karolo, regi Francorum,
domino et consanguineo nostro carissimo.*

Serenissime princeps et domine consanguinee karissime, recommendatione premissa debita cum promptitudine in singulis complasendi juxta vota. Excellentissime dominationis vestre litteras tam amicabiles de mense maii nobis transmissas recolimus recepisse, ex quarum tenore jocundam post tristia recepimus de convalescentia vestra consolationem, que de presenti rescripto reverendi patris domini episcopi Parisiensis, amici vestri sinceri, de meliori statu et prosperis successibus serenitatis vestre letius extitit multiplicata, et de statu vestro incolumi sepius letam suscipere informationem affectamus, quem nobis pro speciali consolatione nostra delectat sepius intimare. [888] *Et si de nostro audire cupitis, notificamus vobis nos sospitari et votivis in domino successibus prosperari. Insuper, illustrissime princeps et domine, supplicamus humiliter ut de mora per nos habita in rescribendo illico, prout serenitati vestre decuisset, nobis parcere velitis, cum hoc non ex malitia sed ex simplicitate processerit, presertim quia re vera nos insufficientem, qui sola materna lingua utimur, et simplex laicus sumus, et litteras ignoramus, ad tanta et premaxima puncta, que salutem respiciunt animarum, reputamus congrue et*

1. D'après le même ms., fol. 126 r^o et 189 r^o. Sur cette lettre, voir J. Weizsaecker, *Deutsche Reichstagsakten unter König Wenzel*, Munich, 1867, t. I, p. 263, n. 149.

debite respondere. Unde voluimus prius et clarius plurium prelatorum ac sacrorum theologie et canonum peritorum et aliarum notabilium personarum opinionibus et determinationibus informari ad respondendum serenitati vestre. Et quia nunc clare et multifarie informati sumus tam in parlamentis regalibus in quadragesima proxime preterita et nuper de mense septembris cum principibus electoribus et aliis principibus ecclesiasticis et secularibus, in sacra pagina et in utroque jure peritis viris, dominis et civitatibus in numero excesivo ilidem congregatis solemniter habitis, ubi sole clarius deductum fuit quomodo sanctissimus in Christo pater et dominus Urbanus ad papatum per reverendissimos in Christo patres dominos cardinales pro tunc electus, assumptus, coronatus, et ornamenti pontificalibus redimitus fuerat in conspectu innumerabilis populi diversarum nationum et ab ipsis cardinalibus pro vero summo pontifice cum reverentiis et obedientiis debitibus et solitis habitus et tractatus, quodque eis ad ipsum et ab ipso patuit accessus et discessus pro libito voluntatis. Fuerunt etiam ibidem plures littere cardinalium, in numero citra xvij, quedam extra Urbem, ubi nullus affuit metus, et aliique aliquorum ipsorum manibus propriis, et quamplures per dominum cardinalem Gebennensem scripte, in [889] medium producte, vise, lecte, et publicate, inter cetera in effectu continentes quod dictus dominus noster dominus Urbanus summus pontifex per ipsos dominos cardinales post celebrationem missarum, ex instinctu Spiritus Sancti, servata juris forma, fuit electus, et quod idem dominus noster apostolicus etiam in papatus ipsius possessione per multa tempora quievit, prout possidet de presenti. Quibus omnibus sic deductis, visis et auditis, et singulis opinionibus et conclusionibus eorum receptis, per omnes et singulos christicos ibidem existentes, solum Deum pre oculis habendo, publice determinatum (*a*) fuit quod hunc dominum Urbanum convenit Christi vicarium credere et papam approbare, appellare (*b*), tenere, et sine dubio profiteri; a quibus et tam sancta fide nos non licet dissidere nec contra conscientiam propriam veniendo ad gehennam edificare. Insuper voluimus vestre excellentie committere copiam unius epistole inter alias etiam ibidem publicate condam dive memorie imperatori Karolo et aliis regibus per ipsos dominos cardinales transmisse, et quamdam responsonem alias ipsis dominis cardinalibus per communitatem Florentinam destinatam, ad clarius informandam animo sincero serenitatem vestram.

a) declaratum, Bal. — b) omis par Bal., et au fol. 189 r°.

Et quia quod omnes christiani reges, regna et nationes ex causis premissis, tanquam sancte et juste moti, prefatum dominum Urbanum summum pontificem profitentur, credunt et acclamant, et firmiter presumimus vos saltem vere et juste informatos velle, ut verum christicola, ad justam et perfectam partem declinare, voluimus cum benigna supportatione serenitati vestre premissa notificare, deprecantes Altissimum studio cordis, manibus nostris cancellatis, quatinus per suam misericordiam aperire dignetur januam cordis vestri; quatinus abinde perversis informationibus et persuasionibus saluti anime contrariis penitus evulsis, largiter donum Spiritus Sancti [890] ibidem infundere dignetur; ut sic per vestram excellentissimam cooperationem pestifere divisionis scisma in fide christiana penitus et radicitus evellatur quod ob inde retributionem premii eterni et vite presentis prosperitatem feliciter consequi debeatis, retributore omnium bonorum largiente. Omnipotens serenitatis vestre personam conservare dignetur sanam et in colum cum felicibus incrementis, et nobis precipiat quevis sibi grata confidenter. Scriptum in castro nostro Herdilborg, die decima octobris, nostro sub signeto.

Rupertus senior, Dei gratia comes Palatinus, romani sacri Imperii elector, et Bavarie dux.

CCXI

WENCESLAUS IMPERATOR COMMITTIT¹ MARCHIONI MORAVIAE VICARIO
GENERALI POTESTATEM INQUIRENDI QUIS AMBORUM SIT PAPA, ET
EIDEM FACIAT OBEDIRI. — [Vers août 1383].

*Wenceslaus, Dei gratia Romanorum rex, futurus imperator semper
augustus et Bohemie rex, Jodoco eadem gratia marchioni et domino Mora-*

1. D'après le ms. latin 1469 (ancien Colbert 814), fol. 191 v° (Bibliothèque nationale de Paris). M. Weizsaecker (*Deutsche Reichstagsakten, ibidem*, p. 394) a démontré que les pouvoirs donnés au margrave de Moravie « ne sont que des projets sans doute émanés de la chancellerie française »; cf. en ce sens N. Valois, *La France et le grand schisme d'Occident*, Paris, 1896, t. II, p. 283, note 3 et Th. Lindner, *Geschichte des deutschen Reiches unter Kaiser Wenzel*, Braunschweig, 1875, t. I, p. 406. Les projets mêmes sont antérieurs au 21 août 1383, date à laquelle Wenceslas donna effectivement des pouvoirs au margrave; cf. F. M. Pelzel, *Lebensgeschichte des römischen und böhmischen Königs Wenceslaus*, Prague, 1790, n. 38 et 39. Weizsaecker estime qu'ils durent être ébauchés aux environs du 21 août 1383. Baluze a assigné au document CCXI la date de 1380 et au document CCXII celle de 1379.

vie, illustri carissimo fratri et vicario nostro in Ytalia et ultramontanorum partibus generali salutem. Primum et (a) maximum bonum omnibus hominibus credimus esse ut immaculate christianorum fidei rectam confessionem, ut per omnia hec roboretur, et omnis orbis terrarum sanctissimi sacerdotes ad concordiam copulentur et consone immaculatam christianorum professionem ostendant. Amore namque fidei et caritatis ardore romani principes ecclesiasticis disciplinis edocti student romane Sedis reverentiam conservare et ei cuncta subicere et ad ejus deducere unionem, ad ejus auctorem hoc apostolorum primum Domino loquente preceptum est, *Pasce oves meas;* quam esse omnium vere ecclesiarum caput et patrum regule et principum statuta declarant. Nam pax [891] Ecclesie, religionis unitas auctorem facti in sublime provectum grata sibi transquillitate custodit; neque parva ei vicissitudo a potentia divina tribuitur, per quem nullis rugis Ecclesia divisa secernitur, nullis mentis maculis variatur. Sane feralis pestis scismatis nunc vigentis propemodum nostram pulsat majestatem, quod provenit ex duabus dudum factis electionibus per cardinales (b). Prima fuit in personam Bartholomei archiepiscopi tunc Barenensis in Roma, alia vero in personam Roberti de Gebenna tunc sancte romane Ecclesie cardinalis in Fundis. Unde ad instar juris gentium, ingenuorum, servorum et libertinorum, tres procedunt species, fidelium qui obediunt vero pape, scismaticorum adherentium antipape, et indifferentium, scilicet tenentium neutrum, cum antea concluderetur in una. Alii vero quartam constituunt, utrumque tenentes, et supplicantes utriusque. Quod moleste gerit nostra regia celsitudo, dum percipit inconsutilem tunicam Domini, sancte vide- licet Ecclesie scindere unitatem. Ideo regia prudentia nos tanto periculo volentes occurtere, quod non solum corporum sed mortem etiam procurat animarum, vestre serenitati universi virtutibus illustrate de nostra certa scientia moderatione consilii valide confirmata comisimus et committimus per presentes quatenus vice et nomine nostris eamdem serenitatem, cum ad dictas Ytalie et ultramontanas partes pervenerit Deo dante, cum Dei timore, devota mente, prudenti diligentia, diligenti providentia, provida cura, sollicito et vigilanti studio informetis quis dictorum Bartholomei et Roberti sacro- sancte romane Ecclesie matris nostre, cuius ad'vocati juxta canonicas sanctiones sumus et defensores, verus et legitimus sponsus, Christi vicarius, et beati Petri successor existit, et illum illorum quem (c)

a) est, ms. — b) per cardinales, mots omis par Bal. — c) quem illorum, ms..

Christi vicarium esse repereritis in verum papam recipiatis, habeatis, et omnino teneatis, et [892] necessariis viribus in suis universis juribus protegatis et defendatis, sibi omnem reverentiam humiliter et in omni devotione exhibentes etiam vice nostra, alium vero perditum et intrusum viriliter expellatis et ultore gladio tanquam totius christianitatis invasorem et humani generis inimicum persequimini velut hostem; quoniam semper magnum nobis fuit studium veritatem apostolice Sedis et statum sanctorum Dei ecclesiarum custodire. Sic enim inconcusse atque inviolate devota Deo et pia mente celsitudinem vestram se habere volumus in predictis quod soli vestris professionibus aduersentur de quibus divina loquitur scriptura dicens : *Posuerunt mendacium spem suam, et mendacium operi speraverunt.* Et iterum qui secundum prophetam dicunt : *Domine, recede a nobis, vias tuas scire nolumus.* Propter quod Salomon dicit : *Semitas proprie culture erraverunt, colligunt autem manibus infructuosa.* Quicquid enim et circa premissa feceritis, ordinaveritis, decreveritis, statueritis et declaraveritis auctoritatibus nostris regiis, quas plenarie in vestre excellentie personam transferimus in hac parte, firmiter et inconcusse tenebimus, observabimus et custodiemus, ac a nostris subditis teneri, observari et custodiri perpetuis temporibus faciemus, jumentis, promissionibus et pactionibus in contrarium per nos factis et prestitis, que in hoc casu juxta canonicas et civiles sanctiones nullius sunt momenti, non obstantibus quibuscumque, protestantes expresse quod per presentem potestatem vicariatus officio per majestatem nostram nuper excellentie vestre commisso non intendimus aliqualiter derogare, sed potestatem intendimus adipisci potestati. Datum, etc.

CCXII

[893] IDEM¹ IMPERATOR WENCESLAUS COMMITTIT EIEM POTESTATEM REFORMANDI LIGAM CUM REGE FRANCIAE. — [Vers août 1383].

Wenceslaus, Dei gratia, etc. Dum virtus provida ligarum unionis et federis vires in unum conglutinat separatas, crescit justitie fortitudo, hostium infrenata audacia refrenatur, eorum insidiis et incurribus viriliter obviatur, regnorum salus et pax queritur, et subditi

1. D'après le même ms., fol. 192 r°. Même remarque que ci-dessus.

in pacis dulcedine gubernantur, servitur Deo pacis auctori, qui confirmat pacem, et principibus in subditis condonat que sunt pacis. Quamobrem eterne recordationis parentes nostri imperatores romani et Bohemie reges provide considerantes predicta cum gloriose memorie regibus Francie successive parentibus et predecessoribus illustrissimi principis domini Karoli, regis Francie, consanguinei carissimi nostri, uniones, confederationes et ligas, quibus aliis ultro citroque a dictis nominatim personis tam pro se quam imperio, regno, heredibus et successoribus suis quam subditis fecerunt et inierunt, prout in litteris publicis et autenticis (*a*) super hoc hinc inde confessis plenius dinoscitur contineri. Unde nos vestigia parentum et predecessorum nostrorum sequi volentes, et eos in virtutibus superare cupientes, celsitudini vestre committimus et plenarie per presentes committimus potestatem de nostra certa et consulta scientia, consiliis super hoc iteratis, quatenus cum ad dictas Ytalie ultramontanas partes Deo volente veneritis, dictas uniones, ligas et confederationes cum eodem rege Francie, consanguineo nostro carissimo, aut gentibus suis ad hoc habentibus plenum posse renovetis, de novo faciatis, adjecatis et inclusis hinc inde personis, et antiquis [894] confederationibus et ligis contentis, et eidem regi aut gentibus suis litteras vestras super hoc nomine nostro et regnorum nostrorum tradatis, et ab eisdem dicti regis similes litteras habeatis, dantes vobis plenam et plenissimam potestatem de novo faciendi et ineundi novas uniones, ligas et confederationes pro nobis, regnis et subditis nostris cum illustre principe duce Calabrie et Turonie futuro rege Sicilie et comite Provincie, Forcalquerii et Pedemontis, consanguineo nostro carissimo, aut gentibus suis ad hoc habentibus potestatem pro se, futuro regno, ducatibus, comitatibus, subditis, heredibus et successoribus suis, necnon promittendi in animam nostram jurandi quod nos ipsum juvabimus toto nostro posse contra omnes homines volentes ipsum in suis juribus, honoribus, dignitatibus, ducatibus, regno et comitatibus futuris impedire, invadere, perturbare, inquietare, aut molestare, aut quod nos heredes, successores, et (*b*) subditi nostri non impediemus, perturbabimus, inquietabimus aut molestabimus ipsum, heredes et successores suos in predictis, necnon etiam recipiendi ab ipso duce et rege ac comite futuro, nomine suo, herendum et successorum suorum, promissiones et juramenta in animam suam quod nos juvabit toto suo posse contra omnes volentes nos in nostris juribus,

a) auctoritatibus, *Bal.* — *b)* aut, *Bal.*

honoribus, dignitatibus, regnis et futuro imperio impedire, invadere, perturbare, inquietare aut molestare, et quod ipse, et heredes, et successores et subditi sui non impedit, perturbabunt, inquietabunt aut molestabunt nos, heredes et successores nostros in predictis, ac alia faciendi et recipiendi que in et circa predicta necessaria fuerint aut etiam opportuna, cum adjectione juramentorum et penarum quarumcumque. Nos autem promittimus ad sancta Dei envangelia juramus nos et successores nostros semper habere gratum et ratum et nunquam contra facere [895] vel venire et specialiter confirmare cum litteris, cauthelis et clausulis opportunis omnia et singula in predictis et circa premissa per excellentiam vestram facta, gesta et procurata. Datum et actum, etc.

GCXIII

RATIONES¹ ANGLICORUM, ET RESPONSIONES AD ILLAS ².*Prima ratio.*

Romani non artabant dominos cardinales ad aliquam personam singularem; sed solum petebant quod erat consonum rationi, vide-licet quod eligeretur Romanus vel Ytalicus. Igitur quantum ad personam eligendam domini cardinales erant omnino liberi. Cum igitur elegerint Bartholomeum, quem non petebant Romani, apparebat quod libere elegerunt eum. Igitur ipse est papa. In forma arguitur sic. Nullam personam eligere per Romanos cogebantur cardinales, quia nullum petiverunt Romani, Bartholomeum elegerunt cardinales. Ergo libere eum elegerunt, et nullo modo ad eligendum eum coacti sunt per Romanos. Et per consequens videtur quod ipse Bartholomeus est papa. Confirmatur per illud Numeri ultimo, ubi lege divina sancitum est : *Et hec lex super filiabus Salphaat a Domino promulgata*

1. D'après les mss latins 1469 (ancien Colbert 814), fol. 185 r°-188 v°, 1470 (ancien Colbert 815), fol. 193 r°-197 v°. — 2. Constitueram abstinere ab edendis in hoc opere rationibus Anglicorum propterea quod apud Odoricum Raynaldum, an. 1378, § 51, editae sunt. Verum postea animadverti annales Odorici non esse vulgo in omnium manibus, multos esse qui illos apud se non habent, omnes porro qui ista legent desideraturos conferre rationes cum responsionibus, quas nos tantum dare institueramus. Ob eam itaque causam etiam rationes in hanc collectionem referre placuit. [Note de Baluze].

est: Nabant quibus volunt, tantum sue tribus [896] hominibus. Sane filie Salphaat ad certam tribum ex hac lege artabantur. Et tamen ab initio voluit Deus matrimonium esse liberum. Conformiter in proposito. Licet domini cardinales artabantur per Romanos ad nationem certam, erat tamen eorum electio libera, quoad personam.

Responsio ad primam rationem.

Dicitur quod nedum tollitur eligendi libertas cum electores ad certum eligendum artantur, sed etiam cum eis libertas eligendi restringitur, ut cum circa certa supposita de ipsis eligibilibus illis facultas eligendi aufertur, et quod coactio vel impressio in genere facta, vide-licet de Romano vel Ytalico eligendo, nullo specialiter nominato, omnia supposita ipsius generis concernebat, et ideo inficiebat omnem electionem de Romano vel Ytalico eo modo celebrandam. Nedum enim prohibitive quoad alias nationes, ut nullus de illis assumeretur, sed etiam positive quoad Romanam vel Ytalicam nationem, ut unus de illis eligeretur in papam, fuit impressio facta. Dicitur etiam quod cum eligendus in papam omnibus sit preficiendus, non est consonum rationi quod cogantur electores eligere de certa natione; presertim cum etiam id quod alias constat esse bonum, non sit per modum illicitum extorquendum. Et ad id quod Numeri ultimo dicitur respondetur quod ibi non est artatio hominis, sed prohibitio divine legis, et quod ratio ibi posita hic non vendicat sibi locum.

Secunda ratio.

Propterea dictus Bartholomeus renuit cum magna et maxima instantia papatum suscipere, et tandem ad magnum rogatum cardinalium suscepit. Cum igitur rogaverint eum suscipere, non eum elegerunt invite. Ergo libere. Igitur ipse est papa.

[897] *Responsio ad secundam rationem.*

Ad secundam rationem diciur suppositum esse falsum, et quod ymo Bartholomeus papatum multum inordinate ambivit interessendo cum Romanis in aliquibus consiliis super hoc habitis et se recommendando officialibus Urbis, ac in signum hujusmodi rupto conclavi et dominis fugientibus, pernoctavit et remansit in cameris papalibus, et etiam ter per aliquos de dominis qui fugerant extra Urbem requiritus exire recusavit; imo et Banderensibus, quos de mane ad se venire

mandavit, dixit quod nisi facerent quod domini cardinales ad suam obedientiam accederent, nichil videbantur egisse, ac per eos adhuc durante furore populi dictos dominos, quorum aliqui ad castrum Sancti Angeli fugerant, et aliqui in domibus suis erant, ut ad ejus obedientiam venirent requiri iteratis vicibus cum instantia procuravit. Dicitur etiam quod rogamina talia circa nominationem vitiosam precedentem nichil immutare potuissent, et presumerentur propter metus durationem solum ad facilius evadendum comminate mortis periculum emanasse.

Tertia ratio.

Preterea ex relatione archiepiscoporum, episcoporum, et magistrorum in theologia, et aliorum doctorum qui eo tempore fuerunt presentes in curia habent Anglii quod domini cardinales, antequam intraverunt conclave, nominaverunt eum in papam ex unanimi assensu, cum in nullum cardinalium poterant concordare.

Responsio ad tertiam rationem.

Ad tertiam rationem dicitur suppositum esse falsum, et quod domini pro aliquo nominando non fuerunt ante ingressum conclave congregati, et quod si nominatus fuisset, talis nominatio ipsum non juvaret, quia plena libertas animi necessaria in electionibus prelatorum specialiter hoc requirit quod in actu electionis celebrande non adimatur electoribus plene deliberandi facultas: que tamen adimitur, nedum cum electores in genere vel specie ad certum eligendum artantur, sed etiam cum impediuntur quominus tunc super preconcepta animi deliberatione libere valeant cogitare et inter se tractare, deliberare, et mutare.

Quarta ratio.

Et postquam intraverunt conclave, antequam exirent, fecerunt super eum trinam electionem, quatenus sine scrupulo pateret electio. Igitur videtur quod sua electio in papam fuit mere libera



Responsio ad quartam rationem.

Ad quartam rationem, que incipit *Et postquam*, dicitur etiam suppositum esse falsum. Licet enim post nominationem B[artholomei] et precedentem promissionem de Romano vel Ytalico extortam,

prefatis dominis cardinalibus preter tres in capella conclavis constitutis, eodem tamen metu durante, ad requisitionem unius domini Ytalici aliqui ex ipsis dixerint sic, *Ego dico idem quod hodie, antequam tamen domini loqui finivissent, Romani per quatuor partes conclave fregerunt.* Verum per verba predicta non fuit aliqua electio celebrata, quia non constat quod due partes xvij dominorum cardinalium tunc in conclavi presentium (*a*) protulerint dicta verba. Nam tres de dictis dominis tunc erant a capella absentes, et non omnes domini in capella existentes dixerunt dicta verba; quia antequam domini loqui finivissent, conclave fuit fractum; maxime quia in prima nominatione unus ipsorum dominorum, natione Romanus, dixerat quod propter notoriam impressionem, quam videbat, nec sibi nec alteri daret vocem suam, nisi primo cessaret impressio et esset in sua libertate. Dicitur etiam quod nec hoc inferret [899] nominationem B[artholomei] fuisse liberam, quia sic eodem metu durante et ad finem propter quem metus illatus extiterat hujusmodi secunda nominatio facta fuisse, videlicet ut Romanus vel Ytalicus eligeretur in papam, cum ipse B[artholomeus] sit Ytalicus, utpote de Neapoli oriundus, nec ita factum fuisse dominis existentibus in sua libertate, et quia quanto plures nominationes fierent sub eodem metu, tanto major suspicio de impressione, primo vitio non purgato.

Quinta ratio.

Preterea libere coronaverunt eum. Quod patet per hoc quod cardinales qui erant extra Urbem redierunt ad coronationem suam.

Responsio ad quintam rationem.

Ad quintam rationem, que incipit *Preterea libere*, dicitur quod dicti domini redeuntes solum quatuor erant divisi extra Urbem et audiebant B[artholomeum] per Romanos de facto haberi pro papa et sibi per alios dominos obediri; erantque inhermes et absque gentibus et pecuniis quasi in medio Ytalie constituti, ac etiam in Romanorum territorio et districtu, et per consequens verisimiliter estimare debebant quod si ab ejus obedientia se subtraherent contra Romanorum furiam ac ipsorum et omnium Ytalicorum potentiam, verisimiliter suas non poterant salvare personas, et quod Romani hoc considerantes eorum trucidassent familias et bona etiam diripuissent, ac

a) dominorum cardinalium... conclavi presentium, *omis par le ms. latin 1469.*

in personas aliorum dominorum etiam verisimiliter irruissent; et ita per metum justissimum redierunt. Dicitur etiam quod coronatio, metu et impressione durantibus, facta fuit, quia Romani Romanum vel Ytalicum non verbaliter, sed cum effectu, petebant. Ergo nedum eligi, sed etiam installari, coronari, et ut pape obediri, cum in istis consistat electionis effectus, maxime cum isti actus electionis consecutivi et execu[900]tivi existant. Ymo tunc erat justior causa metus. Nam quis naturaliter plus movetur et inardescit ad retinendum quod jam possidere se credit quam ad (*a*) adipiscendum quod se nondum habere cognoscit. Et quia Romani post intrusionem B[artholomei] occasionem habuissent magis coloratam in defendendo intrusum quam prius in compellendo intrudi, et B[artholomeus] ad hoc Romanis mandatum et auctoritatem ac per se et fautores suos favorem, consilium et directionem prestitisset, et eos inflammari fortius procurasset. Dicitur etiam quod cum precedens B[artholomei] nominatio nulla fuerit ipso jure, per hujusmodi coronationem et alias sequentes actus, etiamsi liberi exitissent, illius vitium purgari seu ipsa confirmari minime potuisset, nec etiam nova induci electio; tum quia actus ipsi illosque gerentium animi ad hoc ordinati non erant, tum quia electionis natura et modi eligendi conditio hoc pati non possent.

Sexta ratio.

Preterea quia domini cardinales steterunt pacifice cum eo per plures menses, et suscepérunt ab eo communionem sacram, insuper beneficia et gratias pro se et suis petierunt. Et non est verisimile quod hoc fecissent si non scivissent eum esse papam. Igitur videtur quod ipse est papa.¹

Responsio ad sextam rationem.

Ad sextam rationem, que incipit *Preterea quia domini*, dicitur primo quod si domini cardinales temptassent subito aut sine licentia et bona opportunitate recedere, Bartholomeus et Romani, qui portas et passus custodiri faciebant contra eos, merito suspicati recessum impediissent, et fuissent in periculo personarum. Et ideo cito post intrusionem, que fuit octava aprilis, Bartholomeo supplicarunt quod cum aer romanus de estate eis intolerabilis foret, et in estate preterita Anagnie, ubi est locus [901] montaneus et aer purissimus, cum domino

a) omis par le ms. latin 1469.

Gregorio stetissent, et ibi habitationes parassent, placeret sibi illuc illa estate accedere et eis concedere quod suas munitiones pro dicta estate ibi ordinari mandarent; quod ipse concessit. Post que statim ipsi paulatim cum bonis cauthelis bona sua de Urbe fecerunt extrahi et ad Anagniam deportari. Et consequenter, adveniente mense maii, domini cardinales citramontani numero XIIJ (*a*), unus post alium, licentia a pluribus cum difficultate obtenta, quanto citius et convenientius potuerunt, ante finem junii ad Anagniam se mutarunt. Dicitur etiam quod sacram communionem ab eo non recepit nisi, dum ipse B[artholomeus], tempore quo domini in Urbe cum eo fuerunt, in pontificalibus celebravit, solus ille dominus cardinalis qui dixit evangelium coram eo : qui tamen non fuisset ausus contradicere, quia sic propter morem consuetum statum ipsius in dubium revocasset; et quia eo quod missa in die Pasche fuit celebrata in media nocte, dicta die non fuit cum eo communis communio facta; nec etiam episcopi et presbiteri ibi communicant. Et cum ista communio sit actus consecutivus et Rome fieret, subjacebat simili vitio sicut de coronatione est dictum. Ad id quod de beneficiis et gratiis opponitur dicitur quod illi pauci fuerunt, et hoc fecerunt ut suum recedendi propositum cooperirent, maxime (*b*) quia Romani sunt valde suspiciosi, et per diversos modos studebant inquirere animos dominorum, et quia tantum erat periculum quod eis imminebat quod nullus audebat alteri conceptum animi revelare. Et sic aliqui de ipsis poterant particulariter dubitare de statu et exitu rei et credere tam in facto quam in jure aliter esse vel futurum fore quam rei veritas se haberet (*c*). Et ideo cum media presumptionem et interpretationem recipient ab extremis, et domini in principio et in fine suam declaraverint voluntatem circa dictam [902] B[artholomei] nominationem per metum fuisse coactam, per dictos actus medio tempore factos circa nominationem hujusmodi non presumam animi libertatem. Dicitur etiam quod actus tales nec precedentis nominationis vitium purgare nec ipsam confirmare nec novam electionem inducere possunt per rationem quam de coronatione predixi; nec etiam presumptionem probabilem inducere valent quod libere facta fuerit nominatio prime, tum propter rationes precedentes, tum etiam quia consensus meticulous non recipit extensionem, et maxime ubi ipse meticulous verisimiliter aliam causam actus hujusmodi exercendi habere potuit, et presertim cum actus

a) XIIJ, ms. latin 1469. — *b)* ut suum recedendi... maxime, *omis par le même ms.* — *c)* et quia tantum erat periculum... veritas se haberet, *omis par le même ms.*

ipsi, etiamsi liberi sint, ad actum meticulosum precedentem consecutivi existunt, quia tunc censemur solum in modum consequentie esse facti, et ex consequentia ipsa simili morbo laborant, tunc etiam quia intentionem certam et expressam non tollit consensus tacitus vel presumpsus, tum etiam quia de jure dictorum et aliorum omnium similium actuum illatio solum ex tacita presumptione insurgens facilis ex metu seu causa alia leviori eliditur quam ipsa expressa nominatio principalis, que tamen eliditur et tollitur manifeste.

Septima ratio.

Preterea Romani non artabant dominos cardinales litteras commendatorias scribere pro Bartholomeo. Quod igitur domini cardinales scripserunt principibus et proceribus asserentes eum esse papam et extollentes litteris suis, libere fecerunt. Igitur videtur quod sit verum eum esse papam.

Responsio ad septimam rationem.

Ad septimam rationem, que incipit *Preterea Romani*, dicitur etiam quod isti sunt de actibus consecutivis, qui eidem vitio subjacent. Et alias etiam respondet sicut de coronatione, communione, ac beneficiorum et gratiarum [903] petitione est dictum. Dicitur etiam quod Rome, metu durante, a [Bartholomeo] extorte fuerunt. Et patet, quia de more romane Ecclesie regibus et principibus de nova electione pape non solet scribere collegium cardinalium, sed electus. Et tamen a dominis hoc extorsit. Et quia aliquas ipsorum dominorum cardinalium litteras per episcopum et diaconum juniores contra morem sigillari mandavit, pro eo quod antiquiores Ytalici erant, et quia ipsi Bartholomeo videbatur quod pro ipso minus Ytalicis crederetur, pro eo quod per Ytalicos fuit impressio facta. Et si aliqui particulariter scripserunt, illi fuerunt valde pauci, et ante deliberationem communem super facto habitam inter eos, et ad requestam ipsius Bartholomei nonnulli.

Octava ratio.

[904] Preterea domini cardinales pro nullo citra Deum debent decipere Ecclesiam sanctam Dei. Nunc domini cardinales sciverunt B[artholomeum] esse papam, vel sciverunt eum non esse papam. Si primum, habetur propositum. Si secundum, igitur deceperunt totam Eccle-

siam sanctam Dei. Igitur de cetero non est credendum eis. Patet consequentia, eo quod non est metus cogens constantem virum ad peccandum mortaliter. Sed decipere Ecclesiam sanctam Dei est peccatum mortale, etc.

Vide in hoc loco ineptam adnotationem Odorici Raynaldi.

Responsio ad octavam rationem.

[905] Ad octavam rationem, que incipit *Preterea domini*, quamvis manifeste ostendi posset argumentum istud multipliciter peccare in forma et ad propositum nil recte inferre, tamen ne responsio videatur esse verbalis, hujusmodi prosecutionem omitto, et ad realem et effectualem responsionem pertranseo, ut menti satisfaciām opponentis. Et in primis dico quod domini cardinales credentes B[artholomeum] non esse papam per modos, quos in Urbe metu mortis cum eo servaverunt, non deceperunt Ecclesiam sanctam Dei. Pro quo sciendum est quod si domini non servassent modos quos cum B[artholomeo] servaverunt, Romani in eorum et forte, ut verisimiliter creditur, etiam in suorum familiarium et ceterorum prelatorum, clericorum et laycorum curtesanorum, maxime citramontanorum, personas mortem comminatam intulissent, et quod non erat modus alias dictas preservandi personas, sine quibus non poterat obviari scismati nec Ecclesie provideri. Modo nullus sane mentis dice[906]ret quin Ecclesie potius expediverit per predictos modos personas predictas ipsi Ecclesie preservare quam tam detestabili morte eas de medio fuisse sublatas. Judicet enim quilibet devotus Ecclesie filius quam Ecclesie lamentabile dampnum fore tantarum Ecclesie columparum inhumanum parricidium, tot innocentium deplorandum excidium, tot ecclesiarum viduatarum irreparabile dampnum, tam perniciosum et obprobriosum impressionis exemplum, tam detestabile ydolum in Ecclesia perpetuo radicatum, tam dolendum erroris, scismatis, et perpetue deceptionis scandalum, tam magnum in Christi vicariatu, Ecclesie fundamento, et apostolica Sede monstrum, tam grande fomentum heresum et precipitum animarum, que ex casu dictarum personarum irremediabiliter secuta fuissent: quibus tamen per dictam preservationem, quantum humanitus fieri potest, nutu Dei salubriter est occursum, et finaliter per personas hujusmodi sic ut dicitur preservatas et in libertate extra Urhem postea constitutas ipsi Ecclesie ordinate provisum, prout volunt canonice sanctiones. Ex quibus clare infertur quod ea que domini

fecerunt non cesserunt ad deceptionem Ecclesie, sed potius ad maximam provisionem ejusdem. Dicitur etiam quod si Ecclesia decepta fuerit, non utique hoc processit ab ipsorum dominorum cardinalium facto, quod legitimam habet rationem, sed potius a Romanorum violentia et impressione et Bartholomei malitia et obstinatione ac ipsus Bartholomei sequacium excecata ambitione et obduratione. Ymo, proth dolor, se ipsos etiam deceperunt; qui non expectata dominorum libera voluntate et illius, post metus cessationem, in loco libero declarationem, contra rationem nimis prope[re] et faciliter crediderunt; et, quod magis dolendum est, adhuc se deceperunt amplius atque decipiunt nonnulli, qui quasi ignorantiam et propriam dampnationem affectantes, et contra partem quam nec vocare nec audire volunt judicium temere proferentes, veritatique et saluti proprie quasi ex proposito obicem ponentes, super ipsa veritate rei geste informationes legitimas recipere et audire recusarunt hactenus et recusant, ymo impediverunt et impediunt totis conatibus, contra commoda propria laborantes, quominus ad eos valeant pervenire, quanquam ad eas habendas procurandum teneantur et tenerentur de necessitate salutis. Dicitur preterea quod ex hoc quod domini cardinales B[artholomeum] metu mortis in papam nominarunt, ac eodem metu durante ipsum sic nominatum installarunt et coronarunt, et ut tali sibi obediverunt, nec potest nec debet inferri quod ipsi domini verbo vel facto mentiti fuerint nec aliter quam expedierit fieri egerint. Et primo quia secundum Sacram Scripturam ac legales et canonicas sanctiones licet, maxime ex magna et valde utili ac necessaria causa, et presertim ad persone sue et proximi sui mortis periculum evitandum, in tanta necessitate Dei Ecclesie providendum verbis et factis, hosti ex certa scientia (*a*) occultare verum et ad eum deludendum verba ipsa trahere ad sensum ipsi hosti ex certa scientia occultatum, prout reperitur factum fuisse per sanctos patres multoties in Novo et Veteri Testamento, et maxime, ut dixi, propter metum mortis. Nam actum alias indifferentem ad bonum et ad malum de natura sua, sicut eligere, installare, coronare, et obedire, qui tamen ratione circumstantiarum posset esse certo casu malus, justus metus interveniens in illo casu excusat et facit seu ostendit talem actum geri sine mendacio et peccato. Alias enim nulla simulatio seu occultatio veritatis ex causa rationabili facta utilis et sine peccato esse posset, contra Scripturas Sacras et legales ac canonicas sanctiones.

a) Ex certa scientia, omis par le ms. 1469.

Modo ita est quod propter justissimum metum mortis fecerunt dominii nominationem, installationem, coronationem, et obedientiam antedictas et alia hujusmodi ex causa magna et valde utili ac maxime necessaria, videlicet ut personas suas et aliorum salvarent, que alias salvari non poterant, et ut predicta omnia mala evitare et a loco metus exire et in libero Ecclesie providere possent, et pro eo maxime quia si hoc non fecissent, non potuisset alias provideri romane Ecclesie de vero pastore. Igitur per hoc quod dicitur predictos dominos dixisse vel scripsisse eligere vel etiam elegisse B[artholomeum] in papam non potest nec debet inferri ipsos mendacium commisisse, cum verbum *electio* in larga significatione etiam minus canonicam comprehendat, nec etiam per hoc quod installarunt, coronarunt, vel obediverrunt, quia actus isti ad bonum et ad malum sunt indifferentes de natura sua, et non possent nisi ratione circumstantiarum dici mali. Et tamen in casu quo male circumstantie actus hujusmodi alias malos reddere habent, metus et necessitas hujusmodi ab eis vitium et malum excludunt, ut dixi. Et tamen metus justissimus et evidenterissima utilitas ac necessitas maxima hic intervenerunt, ut prefertur. Ergo restat dicendum quod per verba et facta predicta nec potest nec debet inferri ipsos dominos verbo vel facto mentitos fuisse. Et sic restat quod, ista frivola et conficta et venenosa allegatione non obstante, dominis cardinalibus in ista materia credi debet, et maxime quia non est de jure verum quod mendacium, maxime officiosum et non juratum, repellat a testimonio, presertim non perseverantem.

[904] *In codice latino 1462, fol. 144 r^o, responsio ad octavam rationem ita habet.*

Ad octavam rationem, que incipit *Preterea domini*, dicitur quod nichil est imputandum dominis, si Rome, ubi non erat locus tutus, B[artholomeum] in papam nominarunt, ut possent mortem vitare et se liberare et providere Ecclesie Dei de vero pastore habita libertate. Quod autem distulerunt suam declarationem usquequo fuerunt in Ana[g]nia, etiam non est eis imputandum; quia donec dominus Bernardus de Sala cum Britonibus et Vasconibus pro defensione eorum accessit ad Ana[g]niam, non fuerunt ausi ad hoc procedere, et quia, ut ordinarius fieret, commiserunt quatuor dominis quod factum recolligerent et refferrent, ac etiam super hoc postmodum propter arduitatem negotii multa consilia tenuerunt. Cum ergo arguitur, domini cardinales sciverunt B[artholomeum] esse papam

vel sciverunt eum non esse papam, respondetur quod ista divisio non est sufficiens. Nam potuit esse quod aliqui domini in Urbe nesciverrunt, saltem determinate, an papa foret, et hoc pro [905] eo quod post intrusionem nunquam ausi fuerunt se super hoc collegialiter congregare nec invicem animi conceptum declarare. Et ideo nec unus scire poterat que vel qualis in nominando B[artholomeum] fuerat aut tunc erat voluntates aliorum nec quid alii super hoc facere intendebant. Et tamen eorum quilibet sciebat quod voluntas sua vel paucorum in tali facto sufficienter non potuerat nec poterat operari. Et ita merito quilibet intra se esse poterat scrupulosus. Nec tendebant domini ad deceptionem Ecclesie, sed ad salvationem personarum, et quod possent Ecclesie Dei providere legitime de pastore. Et quod fuerit Ecclesia decepta, non utique ab eorum facto, quod legitimam habet excusationem, sed ab o[b]stinata malitia Romanorum et ipsius B[artholomei] intrusi processit, quia ipsorum dominorum salubribus monitis et ex[h]ortationibus per notabilissimos viros eidem sepius recensisit nunquam voluit dare aures, sed contra Deum et justitiam natus fuit atque nititur, quantum in eo est, statum hujusmodi per violentiam retinere. Preterea si aliqui eorum in hoc forte peccassent, propter tantum metum venia digni essent. Nam et peccarunt apostoli et prophete. Et etiam quia patet quod in hoc non perseveraverunt. Nec hoc faceret pro B[artholomeo], cum constitutio canonica impressivam electionem nullam reddens puniat etiam electores qui in culpa sunt.

Nona ratio.

[907] Preterea, summus penitentiarius sigillavit litteras tribunales sigillo suo cum titulo tali. *Datum Rome, anno primo, Urbani sexti.* Igitur, testimonium perhibuit auctoritate qua magis potuit quod erat papa.

[Responsio ad nonam rationem.]

[908] Ad nonam rationem, que incipit *Preterea summus penitentiarius,* hic agitur solum de excusatione persone, quia re vera hoc ad factum B[artholomei] nichil infert. Excusatur autem, quia tunc dominorum animi patefacti non erant, nec sibi tutum erat aliter facere, et cessavit cum habuit libertatem suam, [909] nec expediebat quod solus statum Bartholomei hoc modo in dubium revocaret. Et etiam est verum in facto quod penitentiarius major, licet videat, moderetur, et signet supplicationes, non tamen sigillat nec videt litteras per se ipsum.

Decima ratio.

Preterea unanimi assensu scripserunt domini cardinales electores ad parlamentum regis Anglie quod elegerunt B[artholomeum] B[arensem] scribentes : *Elegimus B[artholomeum] B[arensem] metu tantum.* Ergo elegerunt eum. Cum igitur metus iste non vitiet electionem, tum quia non erat eis metus incussus pro persona illa, quia Romani non petebant eum, tum etiam quia metu nullus potest cogi ad eligendum, eo quod electio liberi arbitrii est actus, quod cogi non potest per hominem, tum etiam quia, antequam incuteretur eis metus, nominaverant eum eligendum.

Responsio ad decimam rationem.

Ad decimam rationem, que incipit *Preterea unanimi consensu etc.* Hic tacite reepilogantur rationes prima, tertia, et septima, ad quas superius est responsum. Et ultra, cum dicitur quod electio est actus liberi arbitrii, quod cogi non potest, conceditur de coactione precisa et absoluta. Sed hoc non procedit in coactione causativa seu conditionali, de qua loquitur edictum quod metus causa. Que tamen secundum canonicas sanctiones prelatorum electiones nullas reddit. Ideo nominatio Bartholomei taliter attemptata, licet vocaliter ab aliquibus electio appelletur, tamen quia re caret, carere debet et nomine. Et ideo non, nisi saltem cum determinatione suam efficaciam designante, puta cum metus adjectione, electio proprie potest dici. Et ideo domini non improprie locuti sunt, quia se eum elegisse simpliciter non dixerunt, sed dixerunt se eum elegisse per metum; [910] sicut mortuus homo non bene dicitur homo simpliciter, sed bene dicitur homo mortuus. Et facit quia jura que electionem nullam esse decernunt, eam nichilominus electionem appellant; et maxime quia ubi constat de rei veritate, non est verbali disceptationi insistendum. Nec potest quis super metu et impressione probabiliter dubitare, cum apud omnem nationem debeant ista esse notoria. Nam, sicut Deus voluit, tunc ratione Quadragesime et indulgentiarum quasi de omni natione plures erant in Urbe presentes.

Undecima ratio.

Preterea Romani non petebant quod cardinales sigillis propriis et publicis instrumentis affirmarent ipsum B[artholomeum] B[arensem]

esse papam. Igitur videtur quod domini cardinales hoc libere fecerunt, si sic fecerunt, si pro quia. Igitur istis testimoniis debent Anglici credere ipsum esse papam.

Responsio ad undecimam rationem.

Ad undecimam rationem, que incipit : *Preterea Romani non petebant, etc.* Ad istam responsum est supra circa septimam rationem. Dicitur etiam quod si notarii, qui nunquam intervenerunt (*a*) in electione romani pontificis, in instrumentis confectis per eos de hiis que per dominos seu coram dominis, antequam animos suos patefacerent, actitata fuerunt, Bartholomeum nominarunt, hoc non est ipsis dominis aliqualiter imputandum, quia in hiis contradicere nec poterant nec audebant, nec antequam domini animos declararent erat scriptoribus aliquid imputandum; et quiequid sit, nichil facit pro B[artholomeo]. Quod autem domini in publicis instrumentis aliter affirmaverint illum papam caret omnimoda veritate.

Duodecima ratio.

Preterea in canone habetur 79 dist. *Si quis pecunia vel militari vel populari* [911] *tumultu electus fuerit in summum pontificem sine unanimi consensu clericorum, etc.* Igitur si sit unanimis consensus, valet electio, licet assit militaris seu popularis tumultus. Patet hoc per exemplum de Gregorio V, qui ad instantiam imperatoris in papam est electus, et pro vero papa habebatur. Conformiter dicitur de isto Bartholomeo quod licet fuerit in electione sua popularis tumultus, fuit tamen in eum concors consensus cardinalium.

Responsio ad duodecimam rationem.

Ad duodecimam rationem, que incipit *Preterea in canone habetur, etc.*, dicitur quod hec ratio in falsa seu diminuta textus allegatione fundatur, quia omittit verbum *et canonica*. Nam ultra electionis concordiam textus ille requirit quod sit canonica. Modo cum popularis tumultus ad metus et impressionis illationem contra electores in electione procedit, electio tunc, licet concors sit, canonica dici non potest. Ei loquitur solum ille textus de tumultu circa intronizationem interveniente; quia re vera quoad vires electionis nil facit ad factum,

a) intervenerant, *Bal.*

dum concors et canonica electio antecessit. Sed que libera non est, canonica dici non potest.

XIII ratio.

Preterea revelatum est euidam sancte heremite de Anglia, qui manet in loco ubi incepit ordo fratrum Heremitarum de sancto Augustino, quod Bart[holomeus] B[arensis] debet recipi pro papa, quemadmodum dicitur quod scripsit ad Angliam tres litteras Spiritu Sancto cogente ipsum, unam pro regimine regni, aliam pro reformatione ordinis sui, et tertiam in qua narrat quod ipso celebrante ostensem est sibi in hostia sacrosancta B[artholomeum] B[arensem] esse verum papam. Et in illa littera hortatur omnes ad quos sue littere pervenerint quod dictum B[artholomeum] B[arensem] omni ambiguitate postposita teneant [912] papam, sicuti est sibi, ut dicit, divinitus revelatum.

Responsio ad XIII rationem.

Ad XIII rationem, que incipit *Preterea revelatum est etc.*, dicitur quod non meruit hoc suggeri, quia, ut testantur canonice sanctiones, talibus super hujusmodi invisibilibus ostensionibus credendum non est nisi per ostensionem miraculi vel Scripture testimonium speciale hoc probent. Aliter etenim ex hereticorum similem isti vitam ducentium falsa assertione fides nostra sepius titubaret.

Addit ipse episcopus Anglicus, et etiam forte tales littere sunt ficte. Et hoc magis consonat veritati, quia non continent quod est verum.

XIV ratio.

Ceterum plebs communis dicit : Nos debemus credere quemadmodum prelati nostri et doctores. Sed archiepiscopi, episcopi, magistri in theologia, et doctores sacri canonis nos informant quod tenemur sub pena excommunicationis majoris et sub pena privationis omnium bonorum nostrorum tam spiritualium quam temporalium credere B[artholomeum] B[arensem] esse papam. Igitur tenemus eum papam. Item iste B[artholomeus] B[arensis] primo fuit electus. Ergo ipse est papa.

Responsio ad XIV rationem.

Ad XIV rationem, que incipit *Ceterum plebs communis, etc.*, dicitur quod licet ista faciant ad magnam culpe aggravationem in magistris

doctoribus, et prelatis, et aliqualem attenuationem in simplicibus, qui tamen sunt in culpa, quia non procurant veritatem audire ab illis qui sciunt, non tamen justificant factum B[artholomei], cum illi non possint dare sibi titulum in papatu, nec illi in hoc artare possunt simplices ad credendum vel parendum eis, cum tales informationes subtrahant inquisitionem [913] et examinationem eorum que sunt necessaria ad salutem, ymo et credentes inducunt in notorium precipitum animarum, et maxime quia in hoc magis debet credi dominis cardinalibus, qui melius neverunt veritatem, et ad quorum officium pertinet dicere quis est papa, cum nec alias possit sciri, quia in electione non interveniunt notarii neque testes. Nec obstat quod nominatio B[artholomei] fuit prior; quia istud volunt canonice sanctiones, quod prima electio que nulla est ipso jure nequaquam impedit secundam electionem celebrari, et maxime in papatu.

XV ratio.

Sed et dicitur quod et triplici de causa domini cardinales recesserunt a B[artholomeo] Barensi, postquam legitime approbaverunt eum papam. Una causa fuit, quia volebat juste manutener regem Anglie et causam suam et nullum injustum favorem prestare regi Francie contra eum. Secunda causa fuit quia volebat quod unusquisque dominorum cardinalium reformasset titulum cardinalatus sui in Roma. Tertia causa fuit quia artabat eos ne nimis pompose incederent, et ne dissolute et irreligiose, prodigiose, et contra regulam fidei viverent, ut solebant. Hiis igitur moti domini cardinales se a tanta sanctitate et justitia subtraxerunt.

Responsio ad XV rationem.

Ad XV rationem, que incipit *Sed dicitur etc.* Si Bartholomista rationem istam et sequentem porrexisset, cum procedant ab injuriis, non essent digne responso, sed et silentio locus esse deberet. Verum ut satisfiat zelo dantis, respondetur. Et primo dicitur quod falsum supponit ista objectio; quia re vera nunquam domini B[artholomeum] legitime approbaverunt in papam. Item causa prima de domino Anglie rege omnino etiam falsa est. Ymo re vera tunc dixit ipse B[artholomeus] in anti[914]consistorio suo publico regem Anglie hereticum, quia in ecclesiis regaliis utebatur. Nec tamen adhuc rex Francie declaraverat se contra eum. Secunda causa evidenter calumpniosa appetet, quia non deberet cadere in animo sane mentis quod tot et

tanti et tam perfecti viri a vero romano pontifice pro tam modica re consensu unanimi discessissent. Tertia vero causa falsissima est. Nam non fuit a centum annis citra romanus pontifex qui cardinalibus tantum placere studeret aut qui eos tantum magnificare promitteret sicut iste B[artholomeus] intrusus faciebat. Et si ita sobrie et religiose vixisset sicut ipsi, forte postquam fuissent in libertate constituti ipsum elegissent. Et sic non contigisset istud scisma. Sed communi et matura deliberatione inter se in Anagnia per prius habita propter hoc recesserunt domini ab obedientia ejus quia absque canonica electione nitebatur per violentiam Sedem apostolicam occupare.

XVI ratio.

Preterea dicitur communiter a quampluribus quod ¹ dominus noster papa est homo sanguinis, eo quod plures mandavit interfici, et fuit dux exercitus bellatorum. Et ex hiis ergo videtur quod non debebat eligi in papam. In cuius signum i Paralipom., xxii capitulo, dicitur quod factus sit sermo Domini ad David dicens : *Rubeum sanguinem effudisti et plurima bella bellasti* (a). *Non poteris edificare domum nomini meo tanto effuso sanguine.*

Responsio ad XVI rationem.

Ad XVI rationem, que incipit *Preterea dicitur communiter, etc.*, respondeatur quod istud falsissimum est, quinimo experiuntur continuo omnes qui cum eo conversantur quod nature dulcissime est. Nec est verisimile quod san[915]cte memorie dominus Gregorius eum legatum Sedis apostolice in terris Ecclesie fecerit ad rem illicitam committendam, prout nec commisit. Sic etenim pro defendendis et recuperandis terris romane Ecclesie per romanos pontifices successivis temporibus plures domini cardinales legati et principes exercituum hactenus ordinati fuerunt, qui tamen manum ad sanguinem non ponebant, prout nec re vera unquam fecit dominus noster Clemens. Nec etiam est talis exceptio que de jure opponi possit contra electum in papam.

a) et plurima bella bellasti, omis par Bal.

1. *Ita libri veteres. Odoricus Raynaldus mutavit sua auctoritate et reposuit Clemens antipapa est homo, etc. [Annales ecclesiastici, ad annum 1378, § 51] Bal.*

CCXIV

CONFESSIO¹ DOMINI ANGLICI CARDINALIS ALBANENSIS CUM SIGNIS
DUORUM NOTARIORUM ET SUO SIGILLO SIGILLATA. — Avignon,
29 mai 1380.

Universis et singulis presentes litteras inspecturis, visuris seu etiam audituris nos, Anglicus, miseratione divina episcopus Albanensis, sancte romane Ecclesie cardinalis, significamus per easdem quod nuper, prout Altissimo placuit, in lecto egritudinis citra mortis dispendia (*a*) graviter laborantes, sane mentis, licet debiles corpore, existentes, ac cupientes anime nostre, quantum poteramus, salubriter providere, ac de bonis a Deo nobis in presenti valle miserie collatis disponere et ordinare, ne casu quocumque decederemus intestati, auctoritate apostolica super hoc nobis specialiter attributa, nostrum in presentia notariorum infrascriptorum et sufficientium super [hoc] arcessitorum testium, sub certis formis et modis contentis in nota super hoc tunc recepta et publicata per infrascriptos notarios, condidimus testamentum sub anno presenti et die septima mensis martii, in cuius exordio clausulam inseri jussimus et fecimus cuius ecce tenor. In primis siquidem illam sanctam fidem Christi quam sacrosancta predi[916]cat, tenet et observat romana et catholica Ecclesia credentes firmiter et simpliciter profitentes, ac in ipsa dies nostros finire intendentes, profitemur etiam nos firmiter tenere atque credere dominum nostrum Clementem septimum verum summum pontificem catholicum, caput (*b*) sponsumque legitimum sancte romane ac universalis Ecclesie. Et quia veritas non debet abscondi sub modio, sed poni super candelabrum et super tecta predicari, ut lucere valeat omnibus recte credere cupientibus, volumus et ordinamus quod, quandocumque et quotienscumque opus fuerit, hec presens clausula de presenti nostro testamento extrahatur et in publicam formam redigatur, ut regibus, principibus, prelatis, communitatibus, universitatibus, singularibus christicolis fides fieri possit et valeat quod in hac fidei soliditate finire intendimus dies nostros. In cuius rei testimonium presentes litteras per Bertrandum de Cazis et Johannem Caranta,

a) dispendium, *Bal.* — *b)* omis par *Bal.*

1. D'après le ms. latin 11745, fol. 268 r° (Bibliothèque nationale de Paris).

notarios publicos scribasque nostros, subscribi et publicari mandavimus et nostri sigilli fecimus appensione muniri. Datum et actum Avinione, in domo habitationis nostre, in camera nostra secreta, sub anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo octuagesimo et die vicesima nona mensis madii, pontificatus dicti domini nostri domini Clementis, divina providentia pape septimi, anno secundo, presentibus reverendo in Christo patre domino Bernardo, episcopo Condomensi, et venerabili viro domino Petro Olivarii de Falgario, licentiato in legibus, operario Aptensi, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et me, Bertrando de Cazis, clero Nemausensis diocesis, publico auctoritate apostolica notario dictique domini cardinalis scriba, qui dictum testamentum una cum magistro Johanne Caranta notario supra et infrascripto, sub anno et die suprascriptis, in notam recepi, de qua nota clausulam superius in [917]sertam de mandato dicti domini cardinalis extrahi et in hanc formam publicam per alium, me legitime prepedito, redigi feci, hicque me subscripsi manu propria, et signum meum de mandato quo supra una cum appensione sigilli dicti domini cardinalis et subscriptione ac signi appositione notarii supra et infrascripti apposui consuetum in testimonium premissorum.

Et me, Johanne Caranta, Mimatensis diocesis, publico auctoritate apostolica notario, prefati domini cardinalis scriba, qui predictum testamentum una cum magistro Bertrando de Cazis, scriba et notario suprascripto, sub anno et die prescriptis, in notam recepi, de qua nota clausulam superius insertam de expresso mandato ejusdem domini cardinalis extrahi et in hanc publicam formam per alium fidelem substitutum meum, me legitime prepedito, redigi feci, hicque me subscripsi manu propria, et signum meum de mandato quo supra una cum appensione sigilli dicti domini cardinalis ac subscriptione et signi appositione dicti magistri Bertrandi apposui consuetum in testimonium premissorum.

CCXV

ALIA EJUSDEM CARDINALIS CONFESSIO¹. — Avignon, 23 juin 1384.

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis Anglicus, miseratione divina episcopus Albanensis, sancte romane Ecclesie cardi-

1. D'après le ms. latin 1469 (ancien Colbert 814), fol. 199 v° (Bibliothèque nationale de Paris).

nalis salutem et in unitate Ecclesie indissolubili caritate inseri vere viti. Quam periculosa res est gregem dominicum egredi (*a*) per arrupta, in latrones incidere, et vero pastore dimisso mercenarium imitari vetus hystoria Scripture sancte declarat. Sic nempe tempore Moysi vitulus pro Deo colitur, populus seditiosus consumitur, et ab inimicis suis rebelles et increduli devincuntur. Quam etiam gratum sit Deo verum pastorem [918] et unicum populum suum imitari aperto miraculo, dum Aaron virga floruit sermone prophetico, dum Oseas propheta asseruit, congregabuntur filii Israel, et ponent (*b*) sibi capud unum ac precepto dominico, dum ipsem Christus Jhesus (*c*) mandat fiet unum ovile et unus pastor, lucide edocemur. Quamobrem ferali peste scismatis nostris, proh dolor, vigente temporibus in Ecclesia sancta Dei, flebiliter concutitur plebs fidelis, dum nonnulli filii Belial tunicam Domini inconsutilem et unicam matrem nostram, sanctam vide-licet universalem Ecclesiam, sponsam Christi, dividere, scindere ac morsibus caninis lacerare nituntur. Sane reverendus in Christo frater Willelmus, anglicus natione, episcopus Maraganensis, ordinis fratrum Predicatorum professor, per nos tempore felicis recordationis domini Gregorii pape XJ, pontificatus sui anno quarto, de ipsis mandato in episcopum consecratus, ad nos suos maturavit accessus, petens a nobis sepius et instanter vero corde et sincero animo informari quem credimus verum papam. Gujus devotioni responsum dedimus in hac forma. Fatemur in nostra conscientia, et sic volumus pro nobis et nobis commissis coram summo judice in extremo examine de suaque ineffabili misericordia pro meritis finaliter premiari, credimus et simpliciter confitemur sanctissimum dominum nostrum dominum Clementem papam VIJ, natum de solo imperii et de domo comitatus Gebennensis, vocatum ante promotionem suam ad summi pontificatus apicem Robertum de Gebennensi, sacrosancte romane Ecclesie presbiterum cardinalem, tituli basilice XIJ Apostolorum, assensu unanimi reverendissimorum patrum dominorum cardinalium sancte romane Ecclesie divinaque providente misericordia electum in summum pontificem, Christi vicarium in terris ac unicum universalis militantis Ecclesie patrem precipuum et pastorem. Ceterum domini cardinales qui [919] post ipsius domini nostri electionem canonica decesserunt in extremis dierum suorum, ubi nullius nisi solius Dei omnipotentis timorem habebant, hoc idem tabellionum ac venerabilium testium episcoporum et aliorum multitudine assis-

a) agredi, ms. — b) ponet, Bal. — c) omis par Bal.

tente et ad hoc specialiter vocata in animarum suarum periculo tenebant firmiter et simpliciter absque cujuscumque hesitationis scrupulo palam et publice professi fuerunt, super quo fecerunt per tabelliones ipsos publica confici instrumenta, ut exinde cunctis in facto hujusmodi tam arduo hesitantibus velut lucerna super candelabrum posita veritas eluceret, erroris umbraculis penitus confucatis. Omnes etiam domini cardinales superstites in animarum suarum periculum una et viva voce fatentur, continue firmiter et simpliciter tenuerunt et tenent quod predictum sanctissimum patrem et dominum nostrum dominum Clementem et nullum alium post obitum dicti domini Gregorii libere et legitime elegerunt. Cum ergo predictis dominis cardinalibus dumtaxat de electione legitima summi pontificis simpliciter et firmiter sit credendum et sub pena peccati mortalis religione christiana tenendum esse in terris Christi vicarium ac universalis Ecclesie pastorem unicum quem iidem cardinales mere, libere et unanimiter esse asseruerunt verum papam, caritatem vestram sinceris affectibus in Domino cohortamur et obsecramus per viscera misericordie Jhesu Christi quatenus pro salute animarum vestrarum, Dei timorem, cuius causa agitur, quibuscumque mundanis favoribus preponentes, ad credendum vel tenendum in facto hujusmodi aliter quam premittitur nullatenus inclinetur cor vestrum, si demum cupiatis vitam eterne beatitudinis ingredi imperialique veste indui et in extremo die judicii annumerari ovibus Jhesu Christi. Et ita prefato episcopo suasimus et suademos in pura conscientia atque fide. In quorum testimonium presentes litt[920]ras fieri fecimus nostrique sigilli appensione muniri. Datum Avinioni, die xxiiij mensis junii, anno a nativitate Domini MCCCLXXXIIIJ, pontificatus dicti domini Clementis divina providentia pape septimi anno sexto.

CCXVI

DECLARATIO¹ REGIS CASTELLAE PRO CLEMENTE VII.
Salamanque, 19 mai 1381.

Johannes Dei gratia Castelle et Legionis rex universis Christi fidelibus salutem et in pastoris notitia non errare. A solis ortu usque ad

1. D'après les mss. latins 11745, fol. 276 v°, 1469, fol. 100 v°, et 1470, fol. 124 r° (Bibliothèque nationale de Paris).

occasum sevi turbinis excitata subversio satis innuit evidenter quanta malignatus est inimicus in sancto, dum adversus Dominum et adversus Christum ejus pestiferas instruens solite iniquitatis insidias, et in nova furentis incendii horrendaque prestigia voraces conflans truculentis machinationibus officinas, divini et humani imperii principatum nepharie collisionis acerbitate disserpit, et fidei ac religionis integritate fuscata (*a*) vinculum catholice unitatis abrumpit, dum mortiferis errorum (*b*) sentibus dominica seges suffocata necatur, et totius pietatis humanitate calcata, in matris injuriam devotionis filialis armatur. O sordide cecitatis monstruosa ludibria ! Ad unius sponse complexus geminos vocant dubitata sponsalia, et unius familię binos patres conformia duorum pollicentur insignia. Inter pastores adversos unius gregis cura sectatur, sit de celestis sponsi hereditate contentio, sponse patrimonium hinc inde distrahitur, passim expilatur hereditas, et veri notitia patris a pupillis filiis, proth dolor, ignoratur. O christiane plebis enervata devotio, preceps impietas, prodigiosa caligo ! Quomodo obscuratus est sol, et splendidus veritatis auriga luciferos currus convertit in tenebras ? Ubi fides, ubi religio, ubi lex, et vinculum [921] caritatis ? Nimirum ergo Christi cultores et orthodoxe fidei strenui sectatores, scilicet (*c*) reges terre, hoc videntes admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, stupor apprehendit eos. Hiis sane strepitibus, hiis perniciosis clamoribus excitatus gloriose recordationis dominus quandam rex Henricus, genitor noster illustris, et pie mentis affectu olim, dum ageret in humanis, solerter attendens quibus esset honusta dispendiis, quantis plena periculis, cujuscemodive ruinis exposita nephande pestis calamitas memorata, ne fucatis velata coloribus multorum suspecta loquacitas execrabilem nutriret excessum, ad rei geste scrutande remedium divinum nobis prelibavit initium; cuius laudanda vestigia sic nobis celestis dignatio regis imitanda proposuit ut quem sibi fecit in regni solio et regie claritatis culmine successorem, eumdem probaret in fidei zelo et devotionis sinceritate consortem. Quapropter predicte pestis vagabunda piacula intra pectoris claustra, non absque amaritudine, sollicite revolentes, qualesve esset exitus paritura diutius neglecta pensantes, presertim ubi langor arcem capitis occupat, cuius fluxus ad inferiora plerumque membra diffusus aut ea consumendo depascit, aut male torquendo cruciatu atrociore consumit, illud etiam nichil-

a) frustrata, ms. latin 11745. — *b)* eorum (*sic*), ms. latin 11745. — *c)* sie (*sic*), ms. latin 11745.

lominus recensentes quod credulum vulgus non suo judicio sed peregrinis ut plurimum vivens rumoribus, per devia sepe et errorum arrupta convolvitur, et quasi per tenebras alienis insistens vestigiis periculosas et inexplicabiles superstitiones ingrediens, eo usque passim labendo raptatur donec suis una cum ducibus in eterne mortis baratum obruatur, cum ea sit dignior et officiosa magis frugalitas rei publice ac cura splendidior in regnante per quam pacis dulcedo humanis non tantum paratur corporibus, sed salus et quies etiam animabus ad illius laudem et gloriam per quem reges regnant et cuius ductu om[922]nia precepta feliciter finiuntur, et cuius cultus non nisi pacis tempore religiosa devotione disponitur, ad nostreque et fidelium nostrorum ac omnium vere et rite credentium animarum salutem, ad scrutandam grandis cause scientiam et veri pastoris notitiam consequendam subscripto ordine per omnia procedentes, et breviori quo possumus stylo reperta per nos in premissis et fideliter declarata narrantes, ea omnibus Christi fidelibus presentibus aperimus, et quod divine lucis veritas sequi nos docuit in premissis sinceris vobis affectibus indicamus. Dudum beate memorie domino Gregorio papa XJ, sicut Domino placuit, vita finito, et ejus obitu Sede romana vacante, tam fama communi quam specialium relatibus litterarum clare memorie domino Henrico, regi Castelle et Legionis, genitori nostro illustri, tunc in humanis agenti, nobisque luculenter insonuit quod per reverendissimos in Christo patres sancte romane Ecclesie cardinales, in Urbe tunc degentes, et ad quos summi pontificis spectabat electio, populi romani Ytalicum potentis vel romanum pontificem sibi dari interveniente tumultu, de quo, levi quamvis murmure, erumpens tunc infamia susurrabat, electus fuerat archiepiscopus tunc Barensis in papam, et per eos subsequenter inthronizatus, et demum solempniter coronatus. Post vero non longi temporis intervallum per litteras dictorum cardinalium, qui, ut asserebant, ob illatas eis violentiam, coactionem, et metum, ac injurias a Romanis, cum cautela secedentes ab Urbe, apud Anagniam primum, deinde vero apud Fundanam convenerant civitatem, idem dominus, genitor noster, dive recordationis, accepit quod post caritative et benigne monitionis notitiam eidem Barensi archiepiscopo, ut dicebatur, a cardinalibus ipsis factam, contra ipsum ejusque electionem, ut allegabant, per impressionem violenter extortam in dicta civitate Anagnie pro[923]cedentes, quamdam suam declarationem publicaverant in premissis; post quam quidem declarationem subsequenter in dicta civitate Fundorum convenientes in unum, ut asserebant, reverendissi-

rum patrem cardinalem Gebennensem collegialiter et canonice in summum pontificem elegerant. Ex quarum diversitate rerum et novitate gestorum dictus pie memorie genitor noster attonitus et perplexus, de suorum consilio tutius estimavit in hoc ancipiti periculo ab utriusque obedientia se subducens indifferenter habere quam ad alterum eorumdem indisusso negotio improvide declinare; quamvis pro elicienda ex hac intricata ambiguitate veritate ad aliquos actus processisset, quos fatali sorte preventus ad optatum non perduxit effectum. At nos, qui sicut eidem in regno, Deo actore (*a*), successimus, sic in hiis que ad ejus cultum et reverentiam diriguntur successisse confidimus, que per eundem genitorem nostrum laudabiliter fuerant inchoata ad Dei et Ecclesie sue laudem prosequi cupientes, in felicibus nostre coronationis initiis convocatis et congregatis regni nostri prelatis, proceribus, et divine et humane legis doctoribus universis, de eorum deliberato consilio paterne indifferentie viam elegimus in premissis quoadusque ipse, qui veritas est, veritatem nobis propitius aperiret; pro qua suo munere discernenda, ipso teste de cuius causa tractatur, non pepercimus laboribus et expensis, scribendo principibus christianis necnon cardinalibus ceterisque prelatis et aliis singularibus privatisque personis, qui aut interfuerant premissis aut specialem de eis notitiam credebantur habere, eos per speciales nuncios effusis precibus exhortando ut, si quid in hiis ambiguitatibus et dubiis certi eis forsitan constitisset, nobis communicare amica caritate placeret ad laudem Dei et salutem animarum populi christiani, ceteraque operando, scrutando, inquirendo per que optatum finem per ipsius veritatis [924] callem pure et simpliciter gradientes possemus Deo dirigente contingere. Et ne quicquam de contingentibus videretur omitti, eoque majorem processus noster efficaciam sortiretur quo principalium personarum assertionibus contingere communiri, ad utrumque dictorum electorum nuntios et ambaxiatores nostros duximus dirigendos, viros utique circumspectos et fideles nostros, ut sciscitarentur ab eis prudenter et discrete et in eorum periculis animarum, in quantum fas erat suarum salva reverentia dignitatum, de veritate et falsitate gestorum, et sic de hiis et omnibus dictarum electionum circumstantiis ac juribus utriusque ab ipsis et a quibuscumque eis videretur ac etiam ubicumque caute et diligenter inquirerent et informari curarent quod per ea in scriptis per eos fideliter redigenda rei geste veritatem nobis in posterum aperi-

a) auctore, Bal.

rent. Qui quidem nuntii nostri ad dictorum electorum se presentiam conferentes, et eis injuncta diligenter et sollicite adimplentes, exhibita eis et tradita omnia et singula pro parte dictorum electorum informationes et jura, necnon per eos Rome et Avinioni a fide dignis, etiam civibus Romanis et custodibus conclavis, ubique reperta, et in scriptis fideli etiam manu redacta, et specialiter a reverendissimis patribus de Florentia et de Mediolano cardinalibus, qui una cum aliis reverendissimis cardinalibus premissis interfuerant et indifferenti, ut dicebatur, ambiguitate suspensi ab utroque secesserant, nobis exacta diligentia legaliter detulerunt. Cum quibus nuntiis nostris prefatis fuerunt per dictum primum electum ad nostram presentiam destinati venerabilis pater Franciscus, Faventinensis episcopus, decretorum, et Franciscus de Sicleriis, de Papia, legum doctores, qui quemdam casum sub nominis sui bulla et certa alia scripta dictam causam tangentia, ex parte ejus, nostre mansuetudini tradiderunt. Interea autem dictorum de Florentia et Me[925]diolanensis cardinalium apud civitatem Nicie audientes adventum, quorum ad nos, ut promiserant, sperabamus accessum, ad plenioram informationem et instructionem super premissis habendam ab eis oraculo vive vocis misimus ad eos venerabilem patrem, et decretorum doctorem, ac consiliarium et collateralem nostrum, episcopum Zamorensem, cum certo numero galearum, in decenti et debito apparatu, ut, si eis placaret, nobiscum personaliter convenirent ad dandum scientiam salutis nobis et etiam regnis nostris : qui se a promisso ad nos accessu certis rationibus excusantes, informationes suas eidem episcopo Zamorensi dederunt, quas ipse nobis apud Metinam del Campo, Salamantinensis diocesis, fideliter reportavit, ubi tunc propter hoc convocatis et accersitis regnorum nostrorum prelatis, proceribus, doctoribus, religiosis, et multis magne auctoritatis viris nostra serenitas residebat, ubique pro parte secundi electi reverendissimus in Christo pater Petrus, Sancte Marie in Cosmedin diaconus cardinalis, dictus de Luna, ex speciali sibi facta commissione, convenerat, presentibus quoque pro parte primi electi episcopo Faventinensi ac magistro Francisco prefatis, aliisque pluribus pro parte utriusque electorum assistantibus. Quibus omnibus et singulis sic per nos sollicita investigatione collectis, quia ardui negotii magnitudo et assertorum hinc inde diversitas maturum ordinem et repertorum productorumque hinc inde discussionem exactissimam requirebant, scrutatis prius per nos super casibus nobis exhibitis pro parte dictorum electorum et ceteris circumstantiis dicte cause secreto et sigillatim ac medio juramento-

conscientiis predictorum cardinalis de Luna et episcopi Faventinensis ac Francisci, et demum in nostri consistorii ac consilii nostri presentia super premissis et aliis nonnullis articulis per eos productis palam et publice interrogationibus et responsionibus a [926] prefatis cardinale et episcopo ac Francisco hinc inde prolatis, dictisque et attestationibus prelatorum, doctorum, et aliorum fide dignorum, qui hujus rei credebantur habere notitiam, sub sacramenti religione et ea qua decuit solemnitate receptis, apertis et publicatis, disputationibusque et collationibus alternatim inter partes predictas in dicti nostri consilii presentia continuatis diebus super punctis ambiguis et toto processu tam in facto quam in jure secutis, prout hec et alia in processu per nos et consilium nostrum habito latius continentur, et tandem omnibus et singulis dictum negotium tangentibus per memoratos prelatos, et religiosos et clericos seculares, in theologia magistros, juris utriusque doctores, et alios venerabiles et authenticos ac magne auctoritatis viros, totiusque consistorii nostri judicium cum magna maturitate ac summa deliberatione discussis, omnium concordi et unanimi iudicio, declaratum extitit et conclusum et irrefragabiliter terminatum in eorum conscientiis et periculis animarum et sub virtute per eos prestiti juramenti dictum Bartholomeum, primum electum, olim Bareensem archiepiscopum, fuisse et esse apostolici culminis invasorem et in apostolica Sede violenter intrusum, utpote electum per popularem tumultum et notoriam impressionem ipsis cardinalibus publice illatam per Romanos, secundum vero, videlicet reverendissimum in Christo patrem dominum Robertum, tunc cardinalem Gebennensem, fuisse et esse summum verum pontificem, Christi vicarium, et Petri verissimum successorem, Clementem VIJ a Deo electum, et gregis sui indubitatum beatissimumque pastorem, et eidem fore tanquam vero pape ab omnibus obsequendum. Quorum consilium in virtute Altissimi letis desideriis amplectentes, et divisorum principum progenitorum nostrorum, quorum fidei constantia et illibata devotio erga Deum et Ecclesiam suam sin[927]cera semper integritate resplenduit, toto mentis affectu et cordis puritate sectantes, et Deo laudes et gratias referentes, qui nobis dedit sui digni vicarii notitiam divina illustratione scrutari, peractis missarum solemniis et Christi nomine invocato, de predictorum nostrorum consilio, in eorum presentia, publice, in conspectu cleri et populi, hac die et hora infrascriptis, prefatum Bartholomeum sic, ut preferatur, in apostolica Sede dampnabiliter intrusum respuentes et evitantes, ac sanctissimum in Christo patrem et dominum nostrum

dominum Clementem VIJ prefatum in verum papam et Christi vicarium ac gregis dominici directorem devote suscipientes et ejus obedientie inherentes, omnibus et singulis subditis et fidelibus nostris, declaramus, indicamus, ac etiam publicamus prefatum Bartholomeum fuisse et esse, sicut prefertur, per notoriam impressionem in apostolica Sede violenter intrusum eumque non esse apostolicum, sed apostaticum, nominandum, nec ei fore obediendum ac quomodolibet adherendum, prefatumque sanctissimum patrem dominum Clementem fuisse et esse verum papam, Christi vicarium, et Petri verissimum successorem, eidemque devote et humiliter ut vero pape esse parendum, ipsis omnibus et singulis subditis et fidelibus nostris, cujuscumque status, eminentie, seu conditionis existant, districte precipiendo mandantes quatenus sub divine animadversionis et indignationis nostre pena hanc declarationem, denuntiationem, publicationem et mandatum nostrum prefatum custodiant et totis affectibus studeant observare. De quibus omnibus et singulis ad perpetuam rei memoriam publica instrumenta mandavimus confici et majestatis nostre bulle plumbee munimine roborari. Presentibus ad premissa reverendissimo in Christo patre Petro de Luna cardinale, necnon venerabilibus archiepiscopis, episcopis, abbatibus, et aliis regno-[928]rum nostrorum prelatis, ac etiam magnificis viris comitibus, baronibus, et aliis numerosis militibus et proceribus nostris, clericis quoque tam secularibus quam regularibus, in diversis dignitatibus constitutis, magistris in theologia, et juris utriusque doctribus, cleri insuper et populi ad hoc congregato et interveniente conventu et multitudine copiosa. Faveat igitur nostris clementia eterna iudiciis, et ita nostre sincere devotionis dignetur acceptare primitias ut quod ad ejus gloriam et laudem, ipso inspirante, pura mente peregrimus, ad omnium fidelium animarum salutem proficere comprebemus, et sic Ecclesie Dei et toti mundo resarciatur scissa concordia, ut per hoc ad gaudia pervenire mereamur eterna. Datum in civitate nostra Salamantina, xiii kalendas junii, anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo primo, regnum nostrorum anno secundo.

CCXVII

SEQUITUR TENOR¹ VERI TESTAMENTI BONAE MEMOR AE REVERENDISIMI PATRIS DOMINI PETRI FLANDRINI, QUONDAM SANCTI EUSTACHII DIACONI CARDINALIS. — Avignon, 17 janvier 1381.

In nomine Domini. Amen. Per hoc presens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter quod, anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo octuagesimo primo, inductione quarta, die **xviij** mensis januarii, circa auroram ipsius (*a*) diei, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Clementis, divina providentia pape septimi anno tertio, reverendissimus in Christo pater et dominus dominus Petrus Flandrini, Sancti Eustachii sancte romane Ecclesie dyaconus cardinalis, in mei notarii publici et testium infrascriptorum presentia personaliter constitutus, sanus mente, licet corporali infirmitate detentus, missa coram ipso per reverendum in Christo patrem do[929]minum Raymundum, Vasionensem episcopum, celebrata, sacratissimum nostre peregrinationis viaticum, videlicet eucharistie sacramentum, devote et humiliter sibi petiti per eumdem dominum episcopum exhiberi. In cuius sacratissimi corporis Christi coram se constituti presentia, quod erat statim ut bonus et fidelis catholicus receptorus, ad eumdem dominum episcopum stola et pluviali indutum et alios assistentes suo proprio motu (*b*) et spontanea voluntate verba sua direxit effectualiter sic dicendo. Ego cum magna cordis amaritudine rememor presens scisma, quod nostris peccatis exigentibus existimo contigisse; in cuius sedatione prestiterunt operam aliqui verbo solum et non facto, et isti plures sunt numero; alii vero verbo et facto per exemplum sancte predicationis et doctrine, sicut sunt domini cardinales legati; alii stantes in domibus suis, et dando consilia requisiti; alii vero ponentes (*c*) manum ad calatum, et propter casus novitatem super ista materia tractatus scribentes, de quibus fui unus. Quibus sic dictis, dixit, asseruit et publice confessus fuit in hunc modum. Ego, qui in facto hujus scismatis presens fui et merita

a) ejusdem, ms. latin 11745. — *b)* motu proprio, ms. latin 11745. — *c)* ponendo, ms. latin 11745.

1. D'après les mss. latins 11745, fol. 268 v° et 1469 (ancien Colbert 814), fol. 200 r°; cf. N. Valois, *La France et le grand schisme d'Occident*, t. II, p. 360.

negotii palpavi, credo indubie ac firmiter assero quod sanctissimus in Christo pater et dominus noster dominus Clemens papa VIJ fuit canonice, rite et sancte in papam et verum pontificem romanum electus, receptus, et inthronizatus, et servatis servandis debite coronatus, et quod ipse dominus noster Clemens est ita verus papa et romanus pontifex, sicut fuit dominus Gregorius papa undecimus, ejus immediatus predecessor, qui me fecit cardinalem. Et ista est fides mea, in qua volo vivere et mori; et de hiis peto michi fieri publicum instrumentum. Et insuper credo firmiter quod in tractatu quem super ista materia scismatis scripsi nichil posui seu scripsi quod veritati fidei catholice aut determinationi [930] sacrosancte romane Ecclesie obviet quovis modo; et super hoc etiam peto michi fieri publicum instrumentum (*a*).

Post que prefatus dominus cardinalis a dicto domino (*b*) episcopo ad infrascripta a prelibato sanctissimo domino nostro Clemente papa septimo plenam, ut dicebat, potestatem habente absolutionem et remissionem omnium peccatorum suorum auctoritate sepedicti domini nostri domini Clementis pape septimi per eundem dominum episcopum in forma Ecclesie consueta cum humilitate et devotione sibi postulavit impendi. Qui quidem dominus episcopus, dicto *Confiteor* integraliter ac alta et intelligibili voce per ipsum dominum cardinalem, pro sua solita confessione generali absolutionem et remissionem plenariam omnium peccatorum suorum auctoritate dicti domini nostri pape antedicti in forma Ecclesie consueta eidem domino cardinali impendit. Et hiis factis, dictus dominus cardinalis a prefato domino episcopo Vasionensi cum magna humilitate et devotione recepit dictum sacratissimum eucharisticie sacramentum. Acta fuerunt hec Avinioni, in domo habitationis ejusdem domini cardinalis, in camera sua secreta, in qua jacere consueverat, et in qua tunc jacebat infirmus, anno, mense, die, hora, inductione et pontificatu predictis; presentibus ad hec reverendis in Christo patribus dominis Egidio Bellemere, utriusque juris doctore ac litterarum contradictarum domini pape auditore, Johanne archiepiscopo Auxitanensi, Petro, Lavellensis, Raymundo, Vasionensis, ac Hugone, Dertusensis ecclesiarum episcopis, ac venerabilibus viris dominis fratre Stephano de Tegula in sacra pagina magistro, dicti domini nostri pape penitentiaro, Egidio de Curtibus, decretorum doctore et sacri palatii apos-

a) Et insuper... instrumentum, passage omis par le ms. latin 11745. — b) omis par Bal.

tolici causarum auditore, Bernardo de Brugayrolis, archidiacono de Silva in ecclesia Gerundensi, Dominico Poncii, precentore Ilerdensi, Raymundo [931] Chalmelli, magistro in medicina, decano Valentiniensi, Bertrando Doladilha, dicti domini cardinalis camerario, Andrea Suffleau, archidiacono Cenomanensi, Bertrando Vincentii, thesaurario Venaysimi, Johanne de Bossaco, Johanne Vacheressii, et Johanne Goupiel, cubiculariis, ac Stephano Majoris, magistro capelle et hemonario, fratre Johanne de Piquigniaco, ordinis Augustinensis, capellano capelle ejusdem domini cardinalis, et pluribus aliis testibus tam clericis quam laycis, ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Armandus de Bosco, clericus Vivariensis dyocesis, publicus auctoritate apostolica notarius, premissis sacratissimi corporis Domini nostri Jhesu Christi oblationi, receptioni, assertioni, confessioni, miss: celebrationi, et peccatorum remissioni, ac aliis omnibus supradictis, dum sic, ut premittitur, per prefatum dominum cardinalem fierent, una cum prenominatis testibus presens fui, eaque sic fieri vidi et audivi, et in notam per ipsum rogatus recepi; ideoque huic presenti publico instrumento inde confecto, quod alias legitime prepeditus per alium scribi feci, manu propria me subscribens, signum meum apposui consuetum rogatus et requisitus per dictum dominum cardinalem in testimonium premissorum.

Et ego, Egidius Bellemere, utriusque juris doctor, audientie litterarum contradictarum domini pape auditor, premissis omnibus presens interfui, et ea in mea conscientia assero esse vera. In quorum testimonium manu propria me subscripsi.

Et ego, Johannes, archiepiscopus Auxitanensis, premissis omnibus presens fui, et ea in mea conscientia dico et assero esse vera. In quorum testimonium hic ma[932]nu propria me subscripsi.

Et ego, Petrus episcopus Lavellensis, premissis omnibus presens fui, et ea in mea conscientia dico et assero esse vera. In quorum testimonium hic manu propria me subscripsi.

Et ego, frater Stephanus de Tegula, ordinis Minorum, sacre theologie professor, et domini nostri pape penitentiarius, in supradictis presens fui, et illa assero in mea conscientia fore vera. Ob hoc manu propria me subscripsi.

Et ego, frater Raymundus de Bona, indignus magister in theologia, episcopus Vasionensis, premissis interfui, et ea in mea conscientia assero esse vera. In quorum testimonium hic manu propria me subscripsi.

Et ego, Hugo, episcopus Dertusensis, premissis omnibus presens

fui, et ea in mea conscientia dico et assero esse vera. In quorum testimonium hic manu propria me subscrispi.

Et ego, Egidius de Curtibus, decretorum doctor ac sacri palatii apostolici causarum auditor, premissis omnibus presens interfui, et ea in mea conscientia assero fore vera. In quorum testimonium hic manu propria me subscrispi.

Et ego, Bernardus de Brugarolis, archidiaconus de Silva in ecclesia Gerundensi, premissis omnibus presens interfui, et ea in mea conscientia assero fore vera. In quorum testimonium hic manu propria me subscrispi.

Et ego, Dominicus Poncii, precentor ecclesie Ilerdensis, premissis omnibus et singulis, dum sic, ut premittitur, dicerentur, agerentur et fierent, presens fui, et ea in conscientia mea assero esse vera. In quorum testimonium manu propria hic subscrispi.

Et ego, Raymundus Chalmelli de Vivario, magister in medicina et decanus Valentinus, dum supradicta agerentur, presens fui et illa audivi et fieri vidi, et hic manu propria me subscrispi.

Et ego, Andreas Suffleau, presbiter Cenomanensis dyocesis, archidiaconus, premissis omnibus interfui, et hic manu propria me subscrispi.

CCXVIII

[933] SEQUITUR TENOR¹ FALSATI TESTAMENTI DICTI DOMINI SANCTI EUSTACHII, QUAM FALSITATEM COMMISIT NOTARIUS PER PLURES ANNOS POST MORTEM PRAEDICTI DOMINI, ET POSTQUAM AD BARTHOLOMAEUM IDEM NOTARIUS SE TRANSDUXIT. — Avignon, 17 janvier 1381.

In nomine Dei. Amen. Noverint universi presentes pariterque futuri quod anno a nativitate ejusdem millesimo CCCLXXXJ, die xviij mensis januarii, quarta indictione, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Urbani divina providentia pape sexti anno tertio, reverendissimus in Christo pater et dominus dominus Petrus Fland[ri]ni Sancti Eustac[h]ii sacrosancte romane Ecclesie dyaconus

1. D'après le ms. latin 1469 (ancien Colbert 814), fol. 201 r° (Bibliothèque nationale de Paris).

cardinalis, sanus mente et intellectu, jacens in lecto suo gravi infirmitate detentus, petens humiliter et requirens cum maxima cordis devotione et contritione tanquam fidelis et catholicus christianus sacratissimam eucharistiam (*a*) coram omnibus ibidem stantibus sibi exhiberi et ministrari. Quod cum in conspectu suo haberet, et esset de manibus sacerdotis statim recepturus, motu suo et ore proprio verba protulit que secuntur, effectualiter sic dicendo : Ego cum magna cordis amaritudine rememor presens scisma in orbe terrarum peccatis exigentibus fuisse ortum; in cujus sedatione multi dederunt operam; aliqui per verbum sancte predicationis, sicut fuerunt domini cardinales; aliqui stantes in domibus, donando consilia requisiti; et aliqui alii ponentes manum ad calatum, diversos tractatus propter casus novitatem in facto hujusmodi scismatis scribentes; de quibus fui unus, qui super isto proh dolor orto scismatis tractatum scripsi intendens ad reformationem status sancte matris ac universalis Ecclesie, volens in hoc sequi dicta et ordinationes sancto[934]rum antiquorum patrum alias in talibus observari consueta. Et quia in omnibus presens fui et merita negotii palpavi, dico et assero primum electum fuisse et esse rite et legitime electum, inthronizatum, et servatis servandis debite coronatum; et credo quod sit verus papa sicut ille qui me fecit cardinalem. Et hec est fides quam teneo; et si aliud in dicto tractatu meo dixi, scripsi aut tenui, velut bacallarius, doctor, magister aut (*b*) *predicator*, seu alias in quocumque gradu vel statu fuerim, quod obviaret sancte fidei catholice et veritati, submitto me correctioni et determinationi sacrosancte romane ac universalis Ecclesie. De omnibus prefatis dictus dominus Petrus cardinalis petiit publicum fieri instrumentum per me notarium infra scriptum. Acta fuerunt hec Avinioni in camera prefati domini cardinalis, in qua tunc jacebat infirmus, presentibus venerabilibus viris fratre Stephano de Tegula, magistro in sacra theologia, penitentiariorum domini nostri pape, Raymundo de Pazolis archidiacono Vivariensis, Raymundo Chalmelli, decano Valentiniensis, magistro (*c*) in medicina, Bernardo de Brugairolis, archidiacono de Silva Gerundensis ecclesiarum, fratre Johanne de Piquiniaco, ordinis heremitarum Sancti Augustini, Bertrando Doladilha, priore Sancti Martini Vallisgorgie, Vivariensis diocesis, camerario, Johanne de Bossaco, cubiculario domini cardinalis prefati, et pluribus aliis stantibus ad premissa vocatis.

a) eucharisticie (*sic*), *ms.* — *b)* omis par *Bal.* — *c)* magistris, *ms.*

Et ego Armandus de Bosco, clericus Vivariensis diocesis, publicus apostolica auctoritate notarius, qui premissis omnibus, dum per prefatum dominum cardinalem dicerentur et fierent, una cum prenominatis testibus presens fui, eaque audivi, et in notam requisitus per dictum dominum cardinalem recepi, ex qua presens transcriptum extraxi et scripsi propria manu in fidem et testimonium omnium premissorum.

CCXIX

[935] DEPOSITIO¹ SEX CARDINALIUM IN FACTO IMPRESSIONIS. — [1380]

Infrascripta nos Johannes, episcopus Penestrinensis, Lemovicensis nuncupatus, frater Bertrandus episcopus Ostiensis, Glandatensis nuncupatus, Hugo tituli sanctorum Quatuor Coronatorum presbiter, Britannie nuncupatus, Gerardus tituli Sancti Clementis presbiter, Majoris monasterii nuncupatus, Petrus tituli Sancti Laurentii in Lucina, Vivariensis nuncupatus, et Petrus tituli Sancte Marie in Via lata diaconus, de Vernio nuncupatus, sancte romane Ecclesie cardinales, facimus et damus cum juramento et in nostris conscientiis ad capitula quatuor nobis missa per reverendissimos patres et dominos dominos Petrum, episcopum Portuensem, et Simonem, tituli Sanctorum Johannis et Pauli cardinalis, ac tradita per reverendum patrem fratrem Julianum episcopum Marsicanum et venerabilem virum dominum Thomam de Puppe, decretorum doctorem, eorum ambaxiatores; quorum quidem articulorum tenor sequitur ut ecce.

Infrascripta sunt que requirimus nos Petrus, Florentinus, et Simon, Mediolanensis cardinales, pro declaratione et exhortatione conscientiarum nostrarum, ut super hiis respondeant domini cardinales citramontani cum juramento ad sancta Dei evangelia, et quod Deus requirat ab eis in die judicii, et non a nobis, si ipsi in eorum juramento deviant a veritate et nos errare faciant.

Primo, quod illi qui dixerunt quod eligebant dominum B., archiepiscopum Bareensem, animo libero, et illi qui dixerunt quod eligebant ipsum animo et proposito quod esset verus papa, singulorum cum

1. D'après le ms. latin 1470 (ancien Colbert 815), fol. 197 v^o-199 v^o (Bibliothèque nationale de Paris); voir N. Valois, *op. cit.*, t. II, p. 361.

juramento ut supra dicant quod licet sic dixerint, tamen in veritate animo libero non elegerunt, sed [936] solum timore mortis, ut mortis periculum possent evitare, et si tempore prolationis fuissent in loco seculo, nullathenus elegissent ipsum.

Item, quod quando post prandium unus ex dominis dixit : *Remaneamus in prima concordia*, et alii dixerunt : *ita, ita*; ego dico idem quod hodie, singulorum cum juramento dicant ut supra quod ista verba non dixerunt animo sive intentione aliqualiter ratificandi seu approbandi electionem factam de dicto domino B. nec eorum animus sive intentio aliqualiter fuit in ipsis verbis habere respectum ad electionem prius factam, neque intelligendi vel repetendi verba prolati per ipsos in prima electione, videlicet : *Eligo, nomino d. B. in summum pontificem*.

Item, quod ipsi domini cardinales qui intronizaverunt eum et coronaverunt, ipsum non intronizaverunt nec coronaverunt animo libero neque sponte, et si fuissent in loco seculo et tuto, nullatenus eum intronizassent neque coronassent.

Item, quod ipsi domini cardinales cum juramento ut supra dicant de aliis actibus quos fecerunt, quod sine intentione ratificandi seu approbandi electionem predictam fecerunt, nec jus de novo tribuendi animum habuerunt.

Depositio cardinalis Lemovicensis.

Ad primum respondendo dico quod re vera, nisi fuisset metus mortis, Bartholomeum nullathenus in papam nominassem nec elegisse, nec recordor quod dixerim verba : *Libere eligo et cum intentione et animo quod sit papa*. Et si dixi, animo turbato propter imminentis mortis periculum dixi. Alias non dixissem; nec, ut premisi, nisi mori timerem, ipsum nominassem nec elegisse. Scit Deus ad quem direxeram oculos mentis mee. Ad secundum dico quod cum factum fuit concordatum in Anagnia, non recordabar [937] de illa secunda electione, sed post aliqua aliqualiter turbando recordari; de forma tamen et modo non recordor, nec fui tunc recordatus. Bene tamen scio et recordor quod quicquid factum fuit quoad personam ipsius B. per me non fuisset factum neque dictum, si fuisse in loco libero et haberem libertatem eligendi. Ad tertium dico quod illa que fuerunt facta in intronizatione et coronatione per me, non fecissem in mea libera libertate et loco seculo et libero. Ad quartum dico quod alia que fuerunt facta per me in actibus aliis, facta fuerunt sine intentione

et animo ratificandi et approbandi precedentem prophanam electio-
nem seu nominationem, et omnia que facta fuerunt quoad personam
dicti B. tangentia ipsam malam electionem et inauditam fuerunt
facta in loco ubi illatus fuit metus mortis, et sine mortis mee et servito-
rum meorum periculo ab his cessare non potuissem. Et ego prefatus car-
dinalis Lemovicensis huic mee responsioni, propria manu, me subscriptpsi.

Cardinalis Ostiensis, dicti Glandatensis.

Protestatio domini cardinalis Glandatensis facta die martis proxima
post dominicam de passione, que fuit dies sexta mensis aprilis [1378],
dum deberet intrare conclave in urbe Roma pro eligendo papam,
mortuo domino Gregorio XJ, sub publico instrumento in presentia
notarii et testium infrascriptorum. Idem cardinalis dixit et, in quan-
tum potuit, fuit efficaciter protestatus quod, quia videbat parari
et disponi per aliquos officiales urbis et aliquos alios romanos sibi
et aliis dominis cardinalibus periculum mortis, nisi eligerent romanum
vel saltem ytalicum, per quem romana curia perpetuaretur secundum
eorum dictum, et sub hoc sibi et aliis dominis cardinalibus multe mine
fuissent illate, et quod ipse timebat [938] de pejori quando essent in
conclavi, et quod sibi videbatur magis utile pro tunc eligere papam
natione transmontanum quam ytalicum, et omnino de collegio, et
non de extra, idcirco protestatus est quanta animi intentione potuit
et ita tunc dixit quod si eligeret vel nominaret in papam aliquem
ytalicum, qui tamen non esset cardinalis, quod hoc non faceret nisi
metu mortis et esset omnino contra voluntatem suam, et quod per
illam nominationm seu electionem non intendebat illi sic electo jus
aliquid acquirere in papatu nec per quemcumque actum qui inde
per eum subsequetur, sed solummodo volebat fugere mortem quam
sentiebat et credebat certissime sibi et aliis dominis preparari. Item
fuit protestatus ibidem quod ita firmiter proponebat quod dictum
est quod si contingeret eum revocare propositum suum supradictum,
quod hoc (*a*) faceret timore mortis, et quod talem revocationem
habebat pro nulla; et requisivit ibidem Stephanum Bernendi, nota-
rium apostolicum, quod de istis protestationibus faceret ad cautelam
publicum instrumentum. Testes fuerunt presentes d. G. de Brolio
canonicus et succendor Vicensis, B. Raphaelis canonicus et precentor
Glandatensis, licentiatus in decretis, Antonius Cayre canonicus Ebredunensis, G. de Maseto prior Sancti Pontii Ebredunensis, frater Johannes

a) omis par Bal.

Bosserie ordinis Minorum, testes ad hoc specialiter vocati et rogati.

Nunc ad quatuor puncta que petuntur dico, juro et assero ego, cardinalis prefatus, nunc episcopus Ostiensis, in primis quod nunquam deviavi mente, animo, vel proposito a protestationibus supradictis per quecumque verba que protuli vel facta que feci, quantum fuit ex mei parte, quia mentes aliorum, saltem omnium nostrum, nescivi usquequo fui in Anagnia cum eis. Ymo cum interrogavi aliquos, specialiter dominum de Agrifolio, in urbe Roma, de inalteratione Bartholomei di[939]xit mihi : *Non est modus loquendi donec simus in loco tuto, quia tam nos quam familiares occidemur.* Quare ad primum articulum respondendo non credo dixisse quod animo libero vel illibero eligerem. Si tamen dixi, mortis timore dixi. Si essem in loco seculo, tantum nominassem illum Bartholomeum nec illum abbatem de quo etiam agebam quantum soldanum Babylonie. Super hoc invoco testes celum et terram. Ad secundum articulum, quando post prandium aliqui, ut fertur, dixerunt *Remaneamus in prima concordia,* et alii dixerunt *ita, ita,* non recordor me fuisse ibi. Si tamen fui, quod non credo, protestatio prior semper fuit in mente mea, nunquam intendens quantum est in me ratificare illam diabolicam electionem seu potius nominationem timore mortis factam. Ad tertium de introductione et coronatione, volui me abscondere ut non irem, quia totum erat contra cor meum: sed fui requisitus per officiales curie cum minis et terroribus. Et eodem modo ivit dominus de Luna, ut michi retulit post. In ipsa autem intronizatione nullum verbum feci, nec cantavi *Te Deum*, nec aliquem actum penitus exercui nisi videre, quod aliquo modo recorder. In coronatione vero fui et equitavi sicut alii, sed contra cor meum, Deo teste. Nam si essem in loco tuto, in nullo predictorum actuum fuisse. Tantum abhorreo istas diabolicas et violentas impressiones et electionem e radice omnimode evelientes. Ad quartum patet quod (*a*) nec novum jus attribuere sibi in papatu, quantum ex me fuit, nec facta sic approbare vel ratificare unquam intendi, nec de hoc cogitavi. Ego episcopus Ostiensis cardinalis predictus, dictus Glandatensis, premissa fore vera assero ut supra dixi. Quare manu mea propria me subscripsi.

[940] *Cardinalis de Britannia.*

He sunt responsiones quas dominus Hugo, vulgariter nuncupatus cardinalis de Britannia, ad interrogata seu capitula eidem cardinali

a) qui, *Bal.*

data per ambaxiatores seu nuncios reverendissimorum dominorum cardinalium Petri, episcopi Portuensis, et Simonis, Mediolanensis. Et istas responsiones dat predictus dominus cardinalis de Britannia in vero judicio sue conscientie et per proprium juramentum. Et primo ad primum capitulum, quod sic incipit : *Primo quod illi qui dixerunt quod eligebant B., tunc archiepiscopum Barensem, animo libero etc.* respondet dictus cardinalis quod nunquam elegit dictum B. nec usus fuit istis verbis, *animo libero*, nec unquam elegit, nec ipsum nominavit ut esset neque remaneret verus papa, et quicquid fecit vel dixit in illo nephario actu, fecit timore mortis et ut posset mortem evitare. Et si dictus cardinalis fuisset in loco tuto, nunquam nominasset nec elegisset eum. Ad secundum vero capitulum quod incipit : *Item quod quando post prandium unus ex dominis dixit etc.* dicit et respondet dictus cardinalis quod nunquam in illa secunda congregacione fuit, et si verbum per unum vel per plures ex dominis fuit factum nescit, quia personaliter non fuit presens, nec ipsum elegit nec reelegit, nec aliquid ratificavit ut predictus B. esset papa nec remaneret verus papa. Ad tertium capitulum quod sic incipit : *Item quod ipsi domini cardinales qui intronizaverunt eum etc.* respondet dictus cardinalis quod quicquid fecit in illa intronizatione et coronatione, non fecit animo libero nec ad finem quod remaneret verus papa, et si fuisset in loco seguro et tuto, quod nunquam consensisset in predicta introductione et coronatione, imo expresse contradixisset verbo et voce, prout semper contradicebat in animo et in men[941]te. Ad quartum et ultimum capitulum quod incipit : *Item quod ipsi domini cum jureamento etc.*, respondet predictus cardinalis quod in aliis actibus omnibus qui secuti fuerunt circa factum dicte maledicte electionis, quod sine intentione, animo (*a*) et proposito ratificandi seu approbandi electionem predictam, nec jus de novo tribuendi; ymo si fuisset in loco tuto, pro posse impedivisset et contradixisset; et quicquid fecit, mortis metu fecit, et alias non facturus. Et ego prefatus cardinalis de Britannia huic mee responsioni propria manu mea subscripsi.

Cardinalis Vivariensis.

Ad primum super quo petitur responderi, dico ego, cardinalis Vivariensis, et assero quod, nisi fuisset metus mortis, ipsum nullatenus elegisse. Et cum dixi illa verba, *libere eligo et cum intentione et animo*

a) omnino, *Bal.*

quod sit papa, non eram in animo libero, sed turbato propter immenses mortis periculum. Et si tempore prolationis verborum essem in loco libero et seculo, ipsum nullatenus elegisset. Ad secundum respondeo quod, cum factum fuit concordatum in Anagnia, non recordabar de secunda electione, sed post aliqua dicta incepit aliqualiter recordari. Sed de forma et de modo non recordor, nec pro tunc fui recordatus. Sed quicquid factum fuerit quoad personam suam per me, non fecisset, si essem in loco libero et haberem libertatem eligendi. Ad tertium dico quod illa que fuerunt facta in intronizatione et coronatione per me non fecisset, si fuisse in loco libero et seculo. Ad quartum dico quod illa que fuerunt facta per me in aliis actibus, fuerunt facta sine intentione et animo ratificandi seu approbandi electionem precedentem nec jus de novo tribuendi. Omnia illa facta fuerunt in loco ubi illatus fuit metus mortis, et sine mortis periculo ab [942] hiis cessare non potuisse. Et ego prefatus cardinalis Vivariensis huic mee responsioni manu mea me subscripsi.

Cardinalis Majorismonasterii.

Ad primum super quo petitur responderi dico quod electio facta per me de B[artholomeo] fuit facta per metum mortis notorie imminentis, nec recordor me dixisse *libere eligo cum intentione et animo quod sit verus papa*. Et si tempore electionis et prolationis verborum, si que fuerunt prolata per me, si essem in loco libero et seculo, ipsum Bartholomeum nullatenus elegisset. Ad secundum nichil respondeo, quia non interfui. Ad tertium et quartum respondeo quod illa que fuerunt facta per me in intronizatione et coronatione et reverentiis et aliis actibus, fuerunt facta sine intentione et animo ratificandi et approbandi electionem precedentem, que nulla fuit, nec jus de novo sibi tribuendi; nec illa fecisset, si essem in loco libero et seculo, quia eram in loco ubi illatus fuit metus mortis, et sine mortis periculo ab hiis cessare non potuisse. Et ego cardinalis prefatus Majorismonasterii huic mee responsioni propria manu mea me subscripsi.

Cardinalis de Vernhio.

Ad primum respondeo quod in conscientia mea, nisi fuisset impressio facta et timor, nullatenus B[artholomeum] nominassem, quia erat contra cor meum quod ipse eligeretur. Ad secundum dico in eadem conscientia et fide mea quod in illa nominatione vel electione

nunquam presens fui nec consensi, nec me stante in conclavi verbum vel mentionem fieri audivi. Ad tertium dico in eadem fide et conscientia quod malegratibus meis exivi de castro Sancti Angeli pro intronizatione fienda; et si ego habuisse libertatem, nunquam in [943] illo actu interfussem, nec ipsum consensissem intronizare. Ad quartum dico in eisdem fide et conscientia quod nunquam per actus quoscumque sequentes volui ipsum reeligere, nec de jure novo sibi conferendo audivi quicquam loqui post impressionem factam; ymo faciebam conscientiam de reverentia sibi impendenda tanquam romano pontifici sine canonica electione precedente. Et ego prefatus cardinalis de Vernio huic mee responsioni propria manu mea me subscripsi.

CCXX

DECLARATIO¹ UNIVERSITATIS PARISIENSIS PRO CLEMENTE VII.
Paris, 3 février 1383 (n. st.).

Universis Christi fidelibus sacrosancte Ecclesie matris (*a*) nostre filiis et alumpnis, unum Deum, unum Dominum, unam fidem, unicumque baptismum, in quibus orthodoxe discipline residet intemerata structura et formula credendorum (*b*), tenentibus inconcusse, Parisiensis Universitas, primogenita studiorum, in tetragono celebrium doctrinarum fundata, in apicibus fidei (*c*) a sui exordio hactenus stabiliter radicata, terram suis ymbribus saporosis ad modum fluvii paradisi irrigans universam, limitibus veritatis indesinenter adhuc singulis falsigraficis (*d*) supplantatis, scibilia cuncta sorbens, aliis habundantissimeque rependens, morum naturalium, intellectualium et moralium tenens dexterum, eliminansque sinistrum, non decidens in adversis, in prosperis absque timore perdurans, fons sibi (*e*) proprius, cui non communicat alienus, gratiam et amorem,

a) matris Ecclesie, *Bal. et ms.* — *b)* credendi, *Bal.* — *c)* omis par *Bal. et le ms.* — *d)* falsigraficis, *Bal. et ms.* — *e)* omis par *Bal.*

1. D'après Denifle et Châtelain, *Chartularium Universitatis Parisiensis*, Paris, 1894, t. III, p. 589, n. 1650, qui s'est servi d'un original des archives de Vaucluse, fond des Célestins, n. 14, et le ms. latin 1470 (ancien Colbert 815), fol. 128 r°.

reverentiam et honorem in salutari supremo, in quo omnium singulariter est (*a*) vera salus. Notum igitur facimus per presentes omnibus et singulis presentibus pariter et futuris has nostras litteras inspecturis quod in veritate scienda plenarie scismatis in Ecclesia sancta Dei, [944] proth dolor, tam diurne vigentis, et diuturnius disponatur durare, nisi Dominus Jhesus Christus, Ecclesie verus sponsus, manus apposuerit adjutrices, interposuimus vices nostras quantum potuimus efficaces, modis nedum patentibus, sed secretis, nedum penes proximos, sed longinquos, nedum penes favorabiles, sed adversos, nedum penes clericos, sed plebanos, nedum penes Gallicos, sed Ytalicos et Lombardos, nedum penes dominos cardinales, ad quos in solidum spectat, sed etiam penes cives: et finaliter omnibus ponderatis, concorditer invenimus Bartholomeum, olim Bareensem archiepiscopum, in Sede apostolica per impressionem notoriam intrusum et nullum per consequens in papatu jus habere aut etiam habuisse, dominum vero Clementem electionem canonicam habuisse et pro vero papa debere ab omnibus catholicis affirmari. Eapropter veraciter consulti, deliberato animo et diurno, non precipitato, sed maturo, a philosopho eruditio quod « sermones in principio debent esse longi, executio vero velox », notorietate premissorum pensata et matre rerum experientia declarata, quam qui negant, rationunculis (*b*) frivolis herentes, debilis sunt intellectus, unanimiter et concorditer sub nostris publicis et patentibus litteris et membranis declaravimus mentes nostras et etiam declaramus pro justa, sancta et canonica electione domini Clementis pape VIJ, ad summum pontificatus apicem electi per dominos cardinales unanimiterque assumpti, dictum vero Bartholomeum nullum jus habere aut alias habuisse, sed ipsum in sede beati Petri dampnabiliter fuisse intrusum, de facto tantummodo, non (*c*) de jure, prout jura omnia humana pariter et divina protestantur, dictam suam intrusionem dampnabilem detestando, electioni vero dicti domini Clementis tanquam rite et canonice inviolabiliter adherendo. Datum Parisius in capitulo Predicotorum, anno Domini mil[945]lesimo CCCLXXXIJ, die tertia mensis (*d*) februarii, in congregazione nostra generali per juramentum celebrata.

a) placé après quo par Bal. et le ms. latin — b) ratiolis, ms. et doc. — c) omis par Bal. et le ms. latin. — d) omis par Bal et le ms. latin.

CCXXI

ALIA DECLARATIO¹ UNIVERSITATIS PARISIENSIS PRO EODEM PAPA
CLEMENTE VII. — Paris, 9 février 1387 (n. st.).

*Universis Christi fidelibus sacrosancte matris Ecclesie nostre filiis
Universitas Parisiensium magistrorum, ad quos presentes pervenerint,
honorem et salutem in supremo, in quo omnium consistit vera salus.
Notum facimus singulis presentibus pariter et futuris has nostras
litteras inspecturis quod, cum patres nostri orthodoxe fidei catholice
consueverint bona docere, mala reprobare, nescientibus quid agant,
quid expectare debeant intimare, dantes illis escam salubris doctrine
in tempore oportuno (a), nos eorum vestigia, prout nobis fuit
possibile, imitantes, tacti dolore cordis intrinsecus, scisma Ecclesie
sancte Dei audientes, proth dolor, tam diuturne viguisse et diutius
paratum in dispositione longiori, nisi Dominus noster Jhesus Christus,
verus ipsius Ecclesie sponsus, apposuerit misericorditer vires suas,
sub cura vigili non unius diei tantum, sed in multorum curriculo
temporum, quantum potuimus melius, ad elucidandam veritatem,
quam tenere et (b) aliis docere deberemus, insudavimus, tandem
partibus per sua scripta auditis, ac etiam consideratis, et diligentius
multis prehabitis deliberationibus, comperimus et in vera fidei unitate
tenuimus, tenemus, et firmiter confitemur, omnes simul unanimiter
confitentes, sanctissimum in christo patrem et dominum nostrum
dominum Clementem VIJ unicum verum summum pontificem uni-
versalis sancte romane Ecclesie sponsum et Christi ac beati Petri
vicarium, prout in aliis nostris litteris alias super hoc confectis clarius
declaravimus, et etiam tenore presentium declaramus. Datum Par-
sius in congregacione nostra generali [946] in Sancto Maturino propter
hoc specialiter celebrata (c) die IX mensis februarii, anno Domini
millesimo CCCLXXXVJ.*

a) dantes illis escam salubris doctrine in tempore oportuno, *omis par Bal.* —
b) in, *ms.* — c) *omis par Bal.*

1. D'après le ms. latin 1470 (ancien Colbert 815), fol. 128 v^o et le ms. latin 12849, fol. 29 r^o (Bibliothèque nationale de Paris); cf. Denifle, *op. cit.*, t. III, p. 592, n. 1655.

CCXXII

ACTA ELECTIONIS HENRICI EPISCOPI VENETENSIS, ANTEA ABBATIS
DE PRECIBUS. — 3 août 1383.

Illustri ac excellentissimo principi, domino Johanni Dei gratia duci Britanie, ac Montisfortis et Richemondie comiti, Thomas eadem gratia archiepiscopus Neapolitanus, apostolice Sedis nuntius, ab eademque Sede ad infrascripta specialem obtinens potestatem, salutem in Domino cum honoris et gratiarum augmento felici. Sicut vestram decet excellentiam clerum, prelatos et ecclesias que longe lateque per vestra dominia diffunduntur ab omnibus inpugnationibus defendere et tueri, sic honestati congruit atque rationi, provisiones cum (a) fiunt ecclesiis ipsis, et presertim cathedralibus infra vestri fines dominii constitutis, eidem notas excellentie facere et personas ipsas ad hujusmodi ecclesias et prelaturas assumptas recommendare propensius et pro hiis fovendis vestre fortitudinis dexteram flagitare; quatenus per hoc honor vobis debitus conservetur, et que persone ipse a vobis vel aliis habent recipere consequantur facilius ac in suis juribus et ecclesiarum libertatibus vestro cum (b) adjuvamine firmius protegantur. Dudum siquidem, princeps magnifice, sanctissimus in Christo pater et dominus noster dominus Clemens, divina providentia sacro-sancte romane ac universalis Ecclesie summus pontifex, cum nos ad vestram excellentiam vestrarumque partes Britannie pro suis et romane Ecclesie predicte negotiis arduis destinaret, ex nonnullorum percepto relatibus fide dignis quod reverendus pater dominus Symon, olim Nannetensis, tunc vero episcopus Venetensis, cupiebat ob senium, quo pregrava[947]tus dicebatur, ac infirmitatis et alias inpotentie justas et rationabiles causas dicte Venetensi ecclesie et ipsius administrationi et regimini pure cedere et renuntiare ac plenarie resignare, nobis commisit per suas apostolicas litteras infrascriptas specialiter et expresse, volens personam nostram etiam vestri intuitu honorare et indemnitati tam ipsius domini Symonis quam ipsius Venetensis ecclesie possetenus providere, ut si nobis constaret ipsum dominum

a) cum provisiones, Bal. — b) omis par Bal.

1. D'après l'original muni d'un sceau de cire rouge sur lacs de soie et conservé sous la cote E, 49, aux Archives départementales de la Loire-Inférieure.

Symonem velle per se vel procuratorem ydoneum ad hoc sufficiens et speciale mandatum habentem dicte ecclesie et ejus administrationi et regimini, ut premittitur, cedere et renuntiare, cessionem et renuntiationem seu resignationem hujusmodi in nostris manibus auctoritate apostolica recipere et admittere valeremus, ac insuper ipsi Venetensi ecclesie sic vacanti de persona venerabilis patris domini Henrici, tunc abbatis monasterii de Precibus, ordinis Cisterciensis, Venetensis dyocesis, quem vestrum novit dilectum consiliarium et acceptum, et de quo informatus extiterat testimonio fide digno, quod propter ipsius grandium virtutum merita, quibus eum Altissimus insignivit, sufficiens foret et ydoneus ad regimen ecclesie memorare, providere auctoritate apostolica curaremus, ipsum illi preficiendo in episcopum et pastorem, et in hoc nobis auctoritatem et licentiam per dictas apostolicas litteras fuit plenarie elargitus, quarum apud nos originale retinemus, quarumque tenor de verbo ad verbum sequitur in hac forma (a).

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Thome archiepiscopo Neapolitano, apostolice Sedis nuntio, salutem et apostolicam benedictionem. Inter sollicitudines varias quibus assidue premimur illud potissime pulsat et excitat mentem nostram ut circa statum ecclesiарum et monasteriorum omnium, ne in spiritualibus et temporalibus detimenta sustineant, quantum nobis ex [948] alto conceditur providere curemus. Cum itaque, sicut accepimus, venerabilis frater noster Symor, episcopus Venetensis, ex certis causis rationabilibus nobis expositis regimini Venetensis ecclesie cedere et renuntiare proponat, nos cupientes eidem ecclesie per apostolice Sedis providentiam utilem et ydoneam presidere personam, ac attendentes quod dilectus filius Henricus, abbas monasterii de Precibus, Cisterciensis ordinis, Venetensis dyocesis, propter ipsius grandium virtutum merita, quibus, prout fide dignis testimoniis accepimus, Altissimus [eum] insignivit, ad regimen ipsius ecclesie sufficiens et ydoneus existeret, tibi, quem ad ducatum Britannie pro magnis et arduis nostris et romane Ecclesie negotiis duximus destinandum, per apostolica scripta committimus et mandamus quatenus cessionem et renuntiationem hujusmodi ab eodem Symone episcopo vel procuratore suo, ad hoc ab eo sufficiens et speciale mandatum habente, hac vice, auctoritate apostolica, recipias et admittas, ac eis receptis de persona dicti Henrici, abbatis, eidem ecclesie, cum illam per ces-

a) et est talis au lieu de in hac forma, Bal.

sionem seu (*a*) renuntiationem hujusmodi vacare contigerit, auctoritate predicta provideas, ipsumque preficias eidem ecclesie in episcopum et pastorem, sibi curam et administrationem ejusdem ecclesie in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, et faciendo a suis subditis obedientiam et reverentiam debitas exhiberi, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, et nichilominus eidem Henrico abbatii, postquam de persona sua dicte ecclesie provideris, ut prefertur, munus consecrationis impendas vel per alium catholicum antistitem gratiam et communionem apostolice Sedis habentem, ascitis in hoc tibi vel eidem antistiti assistentibus duobus vel tribus catholicis episcopis similem gratiam et communionem habentibus, impendi facias et procures. Volumus autem quod [949] tu vel idem antistes qui prefatum munus impendet ab ipso Henrico, abate, nostro et Ecclesie romane nomine recipias seu recipiat fidelitatis debite solitum juramentum juxta formam quam sub bulla nostra mittimus interclusam, et formam juramenti quam ipse prestabit nobis per ejus patentes litteras suo sigillo signatas tu vel idem antistes qui prefatum munus impendet procures seu procuret per proprium nuntium quantocvus destinare. Per hoc autem venerabili fratri nostro archiepiscopo Turonensi, cui prefata ecclesia metropolitico jure subesse dignoscitur, nullum volumus in posterum prejudicium generari. Datum Avinioni, x kalendas februarii, pontificatus nostri anno quinto.

Postea vero in civitate vestra Nannetensi nobis pro tunc moram trahentibus, idem reverendus pater dominus Symon, quem pro hoc per viros probatos et probos visitari mandavimus, primo per se ipsum in manibus commissarii nostri per nos ad hoc specialiter deputati in castro de Susuyo (*b*), Nannetensis dyocesis, et postea per procuratorem suum ydoneum ad hoc per eum specialiter constitutum, utpote qui per se ipsum ad nos venire imo de sua camera se movere non poterat neque potest, nosque pluribus aliis magis arduis negotiis prefatum dominum nostrum papam et romanam Ecclesiam antedictam tangentibus prepediti ad ejus presentiam non poteramus accedere, Nannetis, in nostris manibus, dicte Venetensi ecclesie et ejus administrationi et totali regimini pure et simpliciter cessit, renuntiavit, ac etiam resignavit, et hoc ob senium, infirmitatem, et impotentiam sensus et corporis, quibus notabiliter erat et est notorie pregravatus, adeo ut nulli omnino regimini intendere valeat nec pro-

a) et, Bal. — b) Suseio, Bal.

desse, siveque nos cessionem et renuntiationem ac resignationem hujusmodi, utpote ex justis causis factam, receperimus juxta potestatem nobis, ut predictitur, attributam, et eam [950] auctoritate apostolica predicta duximus admittendam, prout de hiis omnibus extant apud nos legitima documenta. Cum autem expost, ne Venetensis ecclesia prelibata jam tunc per cessionem et renunciationem seu per resignationem (*a*) predictam pastoris sui solatio destituta ex vacatione ejus diutina haberet sua incommoda necessario deplorare, pateretque longius morsibus emulorum, ac vagari cogeretur diutius sub incerto, presertim cum etiam ad hoc vestre excellentie preces et vota concurre[n]t, nos eidem Venetensi (*b*) ecclesie sic vacanti de persona venerabilis patris domini Henrici, tunc abbatis monasterii de Precibus supradicti, tantis virtutum meritis decorati auctoritate apostolica predicta providerimus et eum prefeccerimus in episcopum et pastorem, sibi curam et administrationem ipsius ecclesie in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo quanto melius potuimus in vim et auctoritatem apostolicarum litterarum premissarum, ipseque dominus Henricus dicte sue assumptioni acquiescens suum jam adhibuerit beneplacitum et consensum, de quibus omnibus apud nos documenta publica retinemus, nos volentes provisionem et prefactionem hujusmodi suum debitum sortiri effectum ac exequutioni plenarie demandari, quatenus et Venetensis ecclesia suum pastorem recipiat et ipse dominus Henricus sue spose et ecclesie valeat iura suscipere et ipsius regimini et (*c*) administrationi insistere et se ipsum de cetero mancipare, clerusque et populus ipsius ecclesie deinceps obsequiis debitibus non fraudetur, provisionem et prefactionem hujusmodi de persona dicti domini Henrici ecclesie Venetensi predicte ac commissionem auctoritate apostolica, ut predictitur, per nos factas, necnon ipsius assensum adhibitum et consensum, vestre illustri dominationi quanto melius possumus et debemus harum serie notas facimus et presentialiter nuntiamus ad vestramque notitiam deducimus per presentes, quatenus [951] eadem vestra dominatio preexcellens eumdem dominum Henricum Venetensem jam electum benigne recommendatum suscipiat et eidem ut tali faveat et intendat in adipiscenda que ecclesie possessione favorem (*d*) inpendat, et si que de juribus ipsius ecclesie in vestris aut vestrorum manibus existant, generose et ex integro eidem restitui jubeat, ac ipsum, postquam possessionem

a) seu per resignationem, *omis par Bal.* — *b)* Venetensi eidem, *Bal.* — *c)* regimini et, *omis par Bal.* — *d)* favoren, doc.

adeptus fuerit, necnon sua jura, possessiones, et libertates tam mense sue episcopalis quam ecclesie predice favorabiliter protegat et defendat. In hoc enim vestra excellentia vestrorum progenitorum vestrorumque mores laudabiles et debitos exequetur, et laudis ac retributionis eterne premia Ecclesieque favores et preces largiflue consequetur. In quorum testimonium presentes litteras seu presens instrumentum publicum per notarium nostrum et scribam infrascriptum scribi et publicari mandavimus et nostri pontificalis sigilli fecimus appensione muniri. Datum in loco de Lavalle, Cenomanensis dyocesis, in hospitio, in quo de presenti inhabitat prefatus dominus Henricus, electus Venetensis, die tertia mensis augusti, anno a nativitate Domini MCCCLXXXIIJ, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Clementis divina providentia pape septimi predicti anno quinto, presentibus, venerabilibus et circumspectis viris dominis Guidone Barbuti, legum doctore, Mauricio Guilliole, licentiato in decretis, subcollectore Andegavensi, et nobili Gyleto Sourboys, domculo Nannetensi (*a*), testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Bertrandus de Suevio, Conseranensis dyocesis, publicus apostolica auctoritate notarius ac reverendissimi in Christo patris et domini Thome, archiepiscopi Neapolitani, apostolice Sedis nuntii supradicti notarius et scriba premissis omnibus et singulis, dum sic ut premittitur per dictum reverendissimum patrem dominum archiepiscopum et coram eo agerentur et fierent, una cum prenominatis testibus presens fui, ea[952]que omnia et singula sic fieri vidi et audivi, ac propria manu scripsi, hicque etiam me subscripsi, et signum meum una cum appensione sigilli ejusdem reverendissimi patris domini archiepiscopi apposui requisitus et rogatus in testimonium omnium premissorum.

CCXXIII

TESTAMENTUM ¹ GUILLELMI DE CHANNACO, CARDINALIS.
Avignon, 29 décembre 1384.

In nomine Domini. Amen. Anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo octuagesimo quarto, indictione septima, die vero vige-

*a) Mauritio Guilliole, licentiato in decretis, subcollectore Andegavensi, omis
par Bal.*

1. Ex archivo Sancti Martialis Lemovicensis et Sancti Florentii Salmuriensis, *Bal.*; une partie de ce testament existe dans le ms. Baluze 208, f. 242 r^o (Bibliothèque nationale de Paris); mais c'est une copie.

sima nona mensis decembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Clementis divina providentia pape septimi anno sexto. Quoniam fragilitatis humane conditio statum habet instabilem, et ea que verisimilem habent essentiam visibiliter properant ad non esse, necnon statutum est hominibus semel mori, mors autem hominum penitus est incerta, ac dum quis mentis et corporis sospitate viget, pleniori utitur ratione, tuncque ultime voluntatis judicium melius disponitur et salubrius ordinatur, idcirco ego Guillelmus de Channaco, miseratione divina episcopus Tusculanus, Mimatensis alias vulgariter nuncupatus, sancte romane Ecclesie cardinalis, per Dei gratiam sanus mente et in mea bona et sana memoria constitutus, premissa diligenter attendens, et volens propterea diem mee peregrinationis extremum dispositione testamentaria seu alia ultima voluntate prevenire, habens ex speciali indulgentia Sancte Sedis apostolice testandi, ordinandi et etiam disponendi de omnibus et singulis bonis ad me qualitercumque spectantibus tam presentibus quam futuris plenam licentiam et liberam potestatem, prout in litteris apostolicis inde confectis plenius continetur, testa[953]mentum meum ultimum nuncupativum de bonis meis hujusmodi juxta licentiam michi datam seu meam ultimam voluntatem condo, dispono et ordino in hunc modum. Inprimis siquidem animam meam Domino Jhesu Christo creatori meo, et beate Marie virginis ejus matri, beato Michaeli archangelo, beatissimis Johanni Baptiste et Evangeliste, sanctissimis apostolis Petro et Paulo ac etiam Martiali, gloriosissimis martyribus Stephano et Vitali, et beatissimo confessori Benedicto, beatis Anne, Marie Magdalene, necnon Valerie virginis et martyri, totique collegio civium supernorum commendo. Eligo corpori meo sepulturam perpetuam in monasterio Sancti Martialis Lemovicensis, ordinis Sancti Benedicti, cuius ordinis professor existo, videlicet in arcu a parte dextera juxta majus altare monasterii predicti post cathedras in quibus sedent presbiter, dyaconus, et subdyaconus, et ante januam ecclesie ipsius monasterii per quam intratur de ecclesia predicta ante dictum majus altare a parte dextra; et iste arcus est recte ex opposito sepulture bone memorie domini cardinalis Cesaraugustani; voloque et ordino quod in dicto loco fiat pro corpore meo sepulchrum de albastro honestum et decens statui meo cum ymagine et armis meis et aliis necessariis ad finem ut parentes, amici et noti mei ibidem facientes transitum, de me recordantes, altissimo creatori meam habeant animam recommendare; ad quod quidem sepulchrum deferri volo et jubeo ut citius commode fieri poterit, absque tamen ulla

coctione vel qualibet alia difficili carnium ab ossibus separatione, licet illud alibi ad tempus deponi velim, prout statim exprimetur. Item volo et ordino quod cum jubente Domino anima mea fuerit a corpore separata, corpus meum decenter preparetur et collocetur in feretro cum pannis aureis et luminari, ut est moris. Et si in civitate Avinionensi, [954] ubi ad presens resideo, decedere me contingat, corpus meum portetur in crastinum ad monasterium Sancte Catharine Avinionensis, et in illo monasterio fiat officium exequiarum mearum solempniter, prout in talibus est fieri consuetum, et ibidem intorticia in quantitate decenti accendantur, que tamen centum numero non excedant, et quodlibet dictorum intorticiorum pondus quinque librarum non excedat; fiatque ibidem domus fustea cum candelis accensis desuper, omnibus et singulis sociis et familiaribus meis induitis et vestitis raubis nigris, ut moris est, que sint facte expensis mee executionis, in dicto officio astantibus; quas quidem raubas dicti socii et familiares mei per totam novenam habeant portare. Et volo et ordino quod dicti mei socii et familiares continui commensales in domo librate mee vel in aliqua alia expensis mee executionis habeant et debeant per quindecim dies continuos et completos, si velint, remanere; teneanturque interim animam meam parentumque meorum altissimo creatori devote commendare. Completo autem hujusmodi officio, corpus meum ponatur et tradatur in commendam seu depositum in dicta ecclesia Sancte Catharine, ut est dictum; in qua remaneat commendatum quousque ad locum dicte mee perpetue sepulture deportetur. Interim in dicto loco in quo dictum meum corpus erit commendatum, qualibet die usque ad mensem, si tam diu ibidem dictum corpus meum remaneat commendatum, pro anima mea parentumque meorum sex misse, si vero ultra mensem predictum deportatio mea differretur, ex tunc quam diu ibidem dictum corpus meum remanserit commendatum, due misse tantummodo die qualibet celebrentur, et cuilibet unam de missis hujusmodi celebranti dari volo et jubeo pro missa qualibet unum grossum. Voloque etiam et jubeo quod die dicte mee depositionis dentur mo[955]nialibus dicti monasterii Sancte Catharine pro anniversario et pitantia viginti floreni auri currentis, et quod quelibet monialis dicti monasterii Sancte Catharine officium mortuorum, septem psalmos, necnon psalterium cum litania infra dictam novenam dicere sint adstricte. Item volo quod tam die dicte mee depositionis quam diebus novene sepulture mee pro anima mea parentumque meorum trecento misse de mortuis celebrentur, et singulis presbiteris singulas missas celebrantibus singuli grossi

monete Avignonensis dentur, quodque capellani in dicto monasterio deservientes, qui missas celebrabunt, in numero aliorum celebrantium computentur, et ipsorum cuilibet etiam bini grossi pro una missa donentur. Item lego, dono, et relinquo dicto monasterio, in quo, ut premittitur, corpus meum erit commendatum et depositum, pro divino servitio faciendo, unum pannum aureum valoris viginti quinque florenorum auri currentis. Panni vero qui supra dictum corpus meum ponentur, de et cum voluntate et consensu illorum vel illarum ad quos seu quas pertinuerit custodiantur, et ad monasterium dicte mee perpetue sepulture deportentur. Et volo quod dicta durante novena, dum officium celebrabitur, ut est moris, viginti, ultima vero die dicte novene triginta intortitia, quodlibet ponderis quatuor librarum, ibidem accendantur, quodque monialibus predictis die qualibet dicte novene tres, die vero ultima dicte novene sex floreni pro pitantia erogentur. Item volo et ordino quod de bonis meis debita et clamores de quibus apparebit debite solvantur, et emendentur. Item lego ecclesie Beate Marie de Domnis decem florenos semel. Item lego monasterio Sancti Andree, Avignonensis diocesis, decem florenos auri currentis semel pro pitantia. Item lego cuilibet conventui quatuor ordinum mendicantium civitatis Avignonensis quatuor flo[956]renos auri currentis. Item ecclesie Sancti Petri Avignonensis quatuor florenos auri semel. Item ecclesie Sancti Genesii Avignonensis duos florenos auri semel. Item lego cuilibet monasterio sororum Sancti Laurentii, Sancte Clare, de Furnis, et de Miraculis, de Sancto Verano, et Sancte Praxedis, quatuor florenos auri currentis in Avinione, ita tamen quod quodlibet dictorum collegiorum, monasteriorum et ecclesiarum unum anniversarium solempne semel facere, et quod quilibet presbiter religiosus dictorum monasteriorum, collegiorum vel ecclesiarum, vel presbiter secularis in dictis monasteriis, ecclesiis vel collegiis residens unam missam de mortuis, quelibet vero religiosa seu alias non presbiter dictorum monasteriorum officium seu agenda mortuorum semel dumtaxat, alie vero religiose que dictum officium nescient dicere cc *Pater noster* et cc *Ave Maria* pro anima mea parentumque meorum semel teneantur. Item lego archipresbitero et collegio ecclesie Sancti Desiderii Avignonensis decem florenos auri currentis semel, et quod teneantur unum anniversarium solempne facere, et quod quilibet presbiter dicti collegii unam missam de mortuis, non presbiter officium mortuorum semel celebrare et dicere pro anima mea et parentum meorum teneantur. Item lego priori et capellanis ecclesie Beate Marie Magdalene Avignonensis duos florenos auri

currentis in Avinione, ita quod ipsi anniversarium solempne facere et missam quilibet celebrare teneantur. Item lego preceptor et fratribus domus Sancti Antonii Avinionensis duos florenos auri semel, et quod ipsi unum anniversarium solempne facere et quilibet presbiter missam celebrare pro anima mea et parentum meorum teneantur. Item lego priori et capellanis Sancti Symphoriani Avinionensis duos florenos auri semel, et quod ipsi unum anniversarium solempne facere et quilibet [957] presbiter missam celebrare pro anima mea et parentum meorum teneantur. Item lego prioratu qui in civitate Avinionensi de novo inceptus est fundari in honorem sancti Martialis et sub regula beati Benedicti, patris mei, qui erit de ordine Cluniacensi, pro servitio divino in dicto prioratu faciendo unum calicem trium marcarum argenti semel, et quod monachi in ipso prioratu pro tunc residentes unum anniversarium facere et presbiteri missam celebrare et non presbiteri dicere officium mortuorum, ut superius, pro anima mea et parentum meorum teneantur. Item lego cuilibet incarceratorum qui die mei obitus erunt in carceribus civitatis Avinionensis, si ibidem moriar, sex denarios monete tunc ibidem currentis semel, et quod teneantur Deum rogare pro anima mea parentumque meorum. Item lego cuilibet hospitali civitatis Avinionensis et Ville nove, Avinonensis diocesis, pro pauperibus ibidem confluentibus reficiendis et sustentandis duos florenos auri currentis semel. Item lego et volo dari ecclesie cathedrali Lemovicensi pro servitio divino faciendo unum pannum aureum valoris viginti quatuor francorum auri, et quod capitulum ipsius ecclesie teneatur unum anniversarium solempne facere pro anima mea parentumque meorum. Item lego fabrice dicte cathedralis ecclesie Lemovicensis quatuor francos auri semel. Item volo et ordino quod propter viarum discrimina, quando executoribus meis infrascriptis videbitur, ossa mea secrete ad civitatem Lemovicensem portentur, et in monasterio Sancti Martialis in aliquo certo loco deponantur usquequo parentes, amici, et familiares mei, qui interesse voluerint sepulture dictorum ossium, venire potuerint. Volo etiam et ordino quod dum officium mee sepulture fiet in dicto monasterio Sancti Martialis, quod corpus meum sit positum inter majus altare ipsius monasterii et chorum vel in aliquo alio loco [958] ad hoc apto, assistentibus parentibus, familiaribus, et amicis, quibus placebit interesse, monachis officiantibus, ut est moris. Voloque etiam et ordino quod ipsa die sepulture mee abbati et conventui monasterii Sancti Martialis predicti quinquaginta franci auri erogentur et distribuantur; quorum abbas qui nunc est, vel fuerit pro tem-

pore, quartam partem, conventus vero residuum habeat, ita tamen quod quilibet monachus presbiter de conventu ipso existens infra octo dies tunc immediate sequentes tres missas de mortuis, quilibet vero non presbiter infra octo dies psalterium cum litania pro anima mea parentumque meorum celebrare et dicere teneantur. Item lego et relinquo singulis presbiteris curatis qui die sepulture mee erunt in dictis civitate, castro et suburbii ipsorum duos grossos monete in patria communiter currentis, et quod quilibet ipsorum unam missam de mortuis pro anima mea parentumque meorum infra quatuor dies ex tunc immediate sequentes celebrare teneatur. Item lego singulis aliis presbiteris forensibus tam secularibus quam regularibus, qui hujusmodi mee intererunt sepulture, duos grossos monete in patria currentis semel, et quod quilibet ipsorum unam missam pro anima mea parentumque meorum infra novenam meam celebrare teneatur. Item volo et ordino quod die predice mee sepulture omnes parentes, familiares, et amici mei, qui in dicta sepultura presentes erunt, semel comedant expensis executionis mee. Facta autem ut premittitur sepultura mea, ne parentes, familiares et amici mei in suis negotiis impedianter, et ne ipsa executio gravetur oneribus expensarum, in crastinum dicte mee sepultura, audita tamen primitus missa solita de novena, omnes recedant, et continent ubi maluerint iter suum; nec ipsis aut ipsorum alicui ibidem ulterius ministrentur expense, exceptis dominis patriarcha [959] Jherosolymitano, episcopo Aurelianensi, et Helia de Channaco, germanis meis, priore Sancti Martini de Campis, aliisque nepotibus meis tam ex fratre quam sorore procreatis, Amelio de Brolio, auditore, Johanne Parentis, camerario, et fratre Johanne Gaudoni, thesaurario meis, quos usquequo dicta novena mee sepultura completa fuerit sumptibus mee predice executionis remanere volo; ita tamen quod nullus ipsorum expensis dicte executionis mee ultra duas personas et duos vel tres equos tenere debeat neque possit. Item volo quod in crastinum dicte mee sepultura in dictis civitate, castro et suburbii Lemovicensibus pro elemosina generali pro anima mea parentumque meorum facienda centum franci dentur amore Dei et distribuantur. Item volo et ordino quod qualibet die novene mee, dum missa celebrabitur de novena, duodecim, ultima vero die dicte novene triginta intorticia, quodlibet ponderis quatuor librarum, ibidem accendantur, quodque dicto conventui singulis diebus ipsius novene tres, die vero ultima dicte novene sex franci auri pro pitantia erogentur. Item lego plus et reliquo amore Dei et in redemptionem omnium peccatorum meo-

rum et parentum meorum monasterio Sancti Martialis predicto capellam meam 'albam completam, item calicem meum majorem cum suis urceolis sive canetis argenti melioribus, item crucem meam majorem de argento, item urceolum argenti cum baculo suo cum quo aspergitur et datur aqua benedicta, item reliquiae majus argenti deauratum cum pede suo cum reliquiis ibidem inclusis, item monile sive pectorale argenti deauratum, in quo est assumptio beate Marie virginis, item thuribulum et navetam meam argenti cum suo cocleari. Et volo quod si predicta die mei obitus essent in aliquo deteriorata, quod de bonis meis reparentur. Item lego plus dicto monasterio et conventui epistolas beati [960] Jheronimi, psalterium glossatum, librum historiarum Clementis, librum florum beati Augustini, item plus Speculum sanctorale in tribus voluminibus, et catholicum, et meditationes beati Anselmi; quos speculum, catholicum et meditationes in claustru monasterii predicti incatenari jubeo atque mando. Item volo et ordino quod in monasterio predicto Sancti Martialis in altari magis propinquuo, excepto majori et altaribus matutinalibus, due capellanie fundentur, quelibet de viginti quinque libris rendualibus, quibus per monachos ipsius monasterii deserviatur, nisi ipsas fundaverim in vita mea. Et si facultates mee ad hoc non sufficerent, fundetur una usque ad dictam summam viginti quinque librarum. Pro quarum vel cuius capellaniarum vel capellanie fundatione executores mei infrascripti convenient cum abbe et conventu prout melius poterunt, et teneantur capellani vel capellanus qui deservient seu deserviet per se vel per alium qualibet die pro anima mea parentumque meorum unam missam celebrare; quarum quatuor in hebdomada sint de mortuis; et alie secundum devotionem celebrantis. Et volo et ordino quod in dictis capellaniis vel capellania et ipsarum qualibet, prima vice dumtaxat, capellani vel capellanus instituantur seu instituantur per dominos Bertrandum, patriarcham Jherosolimitanum et Fulconem, episcopum Aurelianensem, germanos meos, et per ipsorum quemlibet, inantea vero sit in dispositione dominorum abbatis et conventus, prout inter eos et dictos executores meos conventum fuerit et etiam ordinatum. Item volo et ordino quod duo presbiteri religiosi vel seculares ultra alios presbiteros religiosos in vicariis seu capellaniis per me ordinatis elegantur et ponantur in dicto monasterio Sancti Martialis, qui die qualibet per unum annum continuum et completum unam missam de mortuis, quilibet unam pro anima mea parens [961] tumque meorum et etiam religiosorum mei ordinis, quibus teneri possum, et cuilibet dictorum capellanorum duodecim franci

auri semel dentur et assignentur. Item volo et ordino quod in dicto monasterio ad minus quatuor anniversaria, quodlibet de sex libris rendualibus, ordinentur; que quidem anniversaria per quatuor quartones anni dividantur, et diebus aptis fiant, ita quod festivitates et solemnitates dicti monasterii minime impedianter. Casu tamen quo mee suppeterent facultates, fiat unum quolibet mense aut plus vel minus secundum dictarum suppetentiam facultatum et executorum meorum infrascriptorum arbitrium. Que quidem anniversaria campanis pulsatis et aliis solemnitatibus fieri volo, prout in talibus in ipso monasterio est fieri consuetum. Item lego conventui fratrum Predicatorum Lemovicensium octo francos auri semel. Item lego singulis conventibus aliorum ordinum mendicantium dicte civitatis sex francos auri in die mee sepulture exolvendos, pro quibus quilibet dictorum ecclesie et conventuum infra octo dies immediate sequentes pro anima mea parentumque meorum unum anniversarium solempe facere et quilibet presbiter dictorum ecclesie et conventuum unam missam celebrare teneatur. Item lego abbatis et conventui de Regula Lemovicensi duodecim francos auri semel, ita quod teneantur unum anniversarium pro anima mea parentumque meorum facere et in sepultura mea processionaliter interesse, et quod quelibet monialis dicti monasterii bis officium mortuorum et toties septem psalmos penitentiales cum litania dicere infra octo dies postquam hujusmodi legatum habuerint teneantur. Et ne super divisione ipsorum legatorum et aliorum quorumcumque, preter in illis de quibus alias disposui, inter prelatos et conventus discordia esse possit, volo quod quilibet ex prelatis tantum recipiat quantum duo ex religiosis dictorum monasteriorum et non ultra, totum vero [962] residuum sit et pertineat ad ipsos conventus. Item lego fratribus hospitalis Sancti Geraldii Lemovicensis tres francos auri semel solvendos die dicte mee sepulture, volens et ordinans quod ipsi fratres in anniversario faciendo, missis celebrandis, officio mortuorum dicendo pro anima mea parentumque meorum, prout supra nominati, sint adstricti. Item lego hospitali Sancti Martialis Lemovicensis tres francos auri semel. Item lego singulis aliis hospitalibus civitatis, castri et suburbiorum Lemovicensium unum francum auri semel. Item lego conventibus Predicatorum, Minorum et Minorissarum Brive et conventui Minororum de Donzenaco, Lemovicensis diocesis; et ipsorum cuiilibet sex francos auri semel. Item lego singulis aliis conventibus Lemovicensis et Tuttellensis diocesis, cujuscumque sexus, ordinis seu religionis existant, quibus legatum aliud non facio speciale, duos francos auri semel

solvendos die dicte mee sepulture, et quod quilibet presbiter dictorum conventuum unam missam celebrare, quilibet vero non presbiter et quelibet monialis officium mortuorum et septem psalmos cum litanis dicere pro anima mea parentumque meorum infra octo dies post solutionem legati hujusmodi teneatur; adjiciens quod si prelati ipsorum conventuum utriusque sexus recipere de legatis istis voluerint, habeant et recipient sicut unus religiosus vel religiosa dicti conventus, et dicant et faciant sicut ipsi. Item lego capellano curato et vicario et aliis quibuscumque presbiteris in ecclesia de Alassaco Deo servientibus sexdecim francos auri, ita quod teneantur facere unum anniversarium pro anima mea parentumque meorum, curatusque recipiat pro duobus, et quod quilibet ipsorum curati, vicarii, et capellanorum unam missam de mortuis infra octo dies post solutionem ipsis factam dicere teneantur. Item lego quatuor capellanis capellaniarum fundatarum in capella beati Georgii de Alassaco, in qua est sepultura paren[963]tum meorum, quadraginta solidos renduales, quos emi volo per executores meos in locis magis propinquis dicto loco de Alassaco, quanto meliori et utiliori modo fieri poterit, dictorum executorum meorum arbitrio. Item plus capellam meam completam que est de panno aureo. Item volo et ordino quod per executores meos infrascriptos unus bonus presbiter eligatur, qui pro horis meis negligenter dimissis vel minus sufficienter recitatis in dicta capella de Alassaco qualibet die per unum annum integrum per se vel alium unam missam de mortuis habeat celebrare. Et eidem capellano duodecim francos semel dari et exolvi volo. Item lego canonicis et monialibus monasterii Sancti Vitalis de Urbe, in qua titulus mei cardinalatus extitit, cuilibet ipsorum unum florenum auri, et quod teneantur Deum pro anima mea parentumque meorum exorare. Item lego dicto monasterio unum calicem argenti ponderis trium marcarum pro divino cultu in dicta ecclesia faciendo. Item plus decem florenos auri, et quod teneantur, ut est in dicta ecclesia fieri consuetum, unum anniversarium facere pro anima mea parentumque meorum. Item plus pro reparatione hospitii ad me specialiter ratione mei tituli pertinentis viginti florenos auri semel. Et in casu quo dicta legata mitti vel solvi non possent commode infra tres annos ecclesie, canonicis et monialibus antedictis, volo quod predicta legata, lapsa triennio, applicentur ad utilitatem et augmentum divini cultus alienius ecclesie per executores meos eligende, prout eis videbitur facendum. Et omnia illa que tempore mei obitus ratione mei tituli debebuntur lego dicte ecclesie Sancti Vitalis de Urbe. Item lego prioratui

Beate Marie de Longoponte, Parisiensis diocesis, pro servitio divino in dicto prioratu faciendo unum calicem trium marcarum argenti. Item lego monasterio Sancti Florentii pro divi[964]no servitio in dicto monasterio faciendo unum calicem argenti trium marcarum ponderis et unum Decretum, item casulam et pluviale mea rubea quibus utor in presentia pape; et volo quod fiant nichilominus tunica et dalmatica de panno simili vel quasi ad opus ipsius monasterii pro divino officio faciendo, et quod conventus teneatur unum anniversarium facere pro anima mea parentumque meorum, et quilibet presbiter dicti monasterii, cujuscumque conditionis fuerit, unam missam de mortuis celebrare, et quilibet non presbiter officium mortuorum dicere teneatur. Item lego dicto monasterio Sancti Florentii pro fundando unum anniversarium quolibet anno perpetuis temporibus pro anima mea et parentum meorum centum francos auri semel solvendos. Item lego capitulo ecclesie Carnotensis pro uno anniversario in dicta ecclesia anno quolibet perpetuis temporibus pro anima mea parentumque meorum faciendo centum francos auri semel. Item lego capitulo ecclesie Mimatensis pro uno anniversario anno quolibet perpetuis temporibus pro anima mea parentumque meorum faciendo quinquaginta francos auri semel. Item lego capitulo ecclesie Remensis centum francos auri semel et unum calicem argenti ponderis quatuor marcarum argenti pro uno anniversario perpetuo in dicta ecclesia faciendo pro anima mea parentumque meorum. Item quia de bonis executionum dominorum patruorum meorum, videlicet domini Guillelmi quondam episcopi Parisiensis, post patriarche Alexandrini, et domini Fulconis de Channaco, quondam etiam episcopi Parisiensis, plura habui, volo et mando solvi et restitui pro dictis executionibus adimplendis quingentos francos auri semel. Et casu quo dicte executiones me vivente fuerint executioni demandate, dictos quingentos francos auri volo quod habeat domus studentium per prenominatos meos pa[965]truos Parisius fundata pro redditibus ipsius domus emendis, prout meis executoribus infrascriptis videbitur faciendum. Voloque et expresse jubeo quod omnes libri qui statim designabuntur et quemque alia que de dictis executionibus in ornamentis vel aliis rebus habeo per dictos meos executores indilate dictis executionibus restituantur ad opus dictae domus studentium in vico Bievre per prenominatos patruos meos Parisius fundate. Hoc tamen adjecto quod cum hujusmodi restitutione ille vel illi ad quem vel ad quos hujusmodi executio spectabit de quibuscumque in quibus dictis executionibus vel domui quoquo modo teneri possum me et bona mea atque

meos quoslibet successores habeant quitare perpetuo et penitus absolvere. Sequuntur libri. Primo unum Decretum, quod incipit in primo folio in textu *navalium commerciorum*. Item aliud Decretum, quod incipit in secundo folio in glosa *quia ut cave*. Item quedam Decretales parve, que incipiunt in textu in secundo folio *Firmiter*. Item Sextus et Clementine in uno volumine, et incipiunt in secundo folio in textu *filium*. Item Speculum judiciale, quod incipit in secundo folio *auditores*. Item Repertorium speculi judicialis, quod incipit in secunda columpna primi folii *de citatione*. Item Rosarium super Decreto, quod incipit in secundo folio *Item fuit*. Item Novella Johannis Andree super Sexto, que incipit in secundo folio *glosa tria facit*. Item Summa Ostiensis, que incipit in secundo folio *regiones distincte sunt*. Item quidam parvus liber vocatus *Oculus copiosus*, qui incipit in tertia columpna primi folii *ad pias causas*. Item lectura Innocentii, que incipit in secundo folio *facere constitutionem*. Item quidam apparatus Archidiaconi super Sexto, qui incipit in secundo folio *tenere vel credere*. Item apparatus antiquus Johannis Andree super Sexto, et incipit in secunda columpna secundi folii *ter rogat*. Item Speculum [966] historiale in quatuor voluminibus. Item sermones Jacobi de Lau-sanna, qui incipiunt in secunda columpna primi folii *quia deficit*. Item quedam Biblia, que incipit in secundo folio *novi psalmi*. Item Legenda aurea, que incipit in secundo folio *De sancto Vitale*. Item quidam parvus liber sermonum qui incipit : *Hora est jam nos*. Item sermones fratris Guilberti de Tornaco, qui incipiunt in secundo folio *moram accubitus*. Item sermones dominicales fratris Guidonis de ordine Predicatorum, qui incipiunt in secundo folio *virgam tetendit*. Item quidam sermones qui incipiunt in secundo folio *jace*. Item quidam sermones cooperti pelle caprina pilosa, et incipiunt in secundo folio *albis induaris*. Item quidam parvus liber translatus per dominum Petrum Bertrandi de gallico in latinum, qui incipit in secundo folio *repugnantia*. Item volo et ordino quod libri qui sunt de dictis executionibus dictorum meorum avuncolorum, et sunt Parisius, ad usum scholarium dicte domus et quedam mitra major et melior quam habeo cum crossa argenti ponderis duodecim vel tredecim marcarum argenti vel circa, quam habet dominus patriarcha germanus meus, et libri, si quos habeat de dictis executionibus, et si que habeat alia bona, deputentur. Item confiteor et recognosco me habuisse et recepisse et in usus meos expendisse plures summas auri et argenti specantes ad domum meam paternam et de hereditate domine matris mee, in quarum recompensationem, solutionem et restitutionem

volo solvi de bonis meis indilate dicte domui paterne pro redditibus emendis vel edificiis, molendinis aut terris dicte domus reparandis, mille francos auri semel, ita tamen quod dicta domus mea paterna et ipsius heredes cum predictis debeant contentari et nihil ulterius in bonis meis petere possint, et quod predicta pecunia in premissis expendatur juxta voluntatem [967] et ordinationem executorum meorum de genere. Item eadem ratione volo solvi et restitui duabus sororibus meis, cuiilibet ipsarum centum francos auri semel. Item Ysabelli de Channaco filie domini Guidonis de Channaco, nepotis mei, ad maritandum ipsam quingentos francos auri semel. Item Ysabelli Feydelle, filie domini quondam Ludovici Feydelle et sororis mee germane, ad maritandum ipsam ducentos francos auri semel. Item Petro Chauveti pro solutione eorum in quibus sibi teneor pro matrimonio Gilete, uxoris sue, neptis mee, volo solvi et reddi ducentos quinquaginta francos auri quos sibi debeo. Item lego hospitio meo paterno de Channaco duas cameras, videlicet rubeam et aliam de persico, una cum paramentis cum armis de Channaco. Item volo et jubeo quod omnibus servitoribus meis qui vadia recipere consueverunt satisfiat, nisi in vita mea ego satisficerim ipsis. Item volo et ordino quod executores mei infrascripti satisfaciant familiaribus qui michi servierunt secundum facultatem bonorum meorum, habito respectu ad statum et conditionem cuiuslibet eorum et tempus quo michi servierunt et utilitatem quam habuerunt. Item lego ecclesie de Bellicadro duos calices argenti, quemlibet ponderis duarum marcarum, unum pro ecclesia parrochiali, et alium pro ecclesia seu capella monachorum. Item lego ecclesie de Aramone unum calicem duarum marcarum argenti. Item ecclesie de Mortua aqua unum calicem duarum marcarum argenti. Item ecclesie Sancti Johannis de Laudona unum calicem ponderis duarum marcarum argenti. Omnia autem legata per me facta seu facienda in florenis de talibus florenis intellico quorum quatuor franci valeant quinque florenos. Volo insuper quod omnia per me superius legata vel inferius leganda ecclesiis, collegiis, capitulis, et personis quibuscumque in civitate presenti Avignonensi exsolvantur, ita quod executores vel he[968]redes mei legata hujusmodi mittere vel solvere extra civitatem Avignonensem minime teneantur. Et nolo, imo expresse inhibeo quod executores mei infrascripti exequias meas non faciant excessivas, sed moderatas. Tamen volo et ordino quod pro familiaribus meis fiant et emantur raube nigre, ut supra dictum est, si mee executioni suppetant facultates. In quibuscumque autem bonis meis aliis, ubicumque sint, et que-

cumque et qualia et quantacumque fuerint, exceptis illis de quibus aliter posset me contingere ordinare, heredes meos facio, instituo et nomino abbatem et conventum monasterii Sancti Martialis Lemovicensis, ordinis sancti Benedicti. Nolo tamen quod de predictis bonis abbas, qui est vel erit in futurum, sibi aliquid pro utilitate singulari et particulari vendicare possit, sed omnia veniant in communi et in utilitatem communem et ad augmentum divini cultus convertantur. Hoc autem volo et ordino meum esse ultimum testamentum nuncupativum seu ultimam voluntatem nuncupativam, quod seu quam valere volo jure testamenti; et si forte non valeat jure testamenti, volo quod valeat jure codicillorum vel epistole aut cuiuslibet alterius voluntatis ultime. Hujus autem testamenti mei ultimi nuncupativi seu ultime voluntatis mee nuncupative et executionis mee executores principales et executionis protectores facio, nomino et constituo reverendissimos in Christo patres dominos dominos Guidonem, episcopum Penestrinum, Petrum, Sancte Anastasie, et Petrum, Arelatensem, presbiteros, et Guillelmum, Sancti Angeli dyaconum cardinales, necnon reverendos in Christo patres dominos Bertrandum, patriarcham Jherosolitanum, Fulconem, episcopum Aurelianensem, et Heliam de Channaco, militem, fratres meos, Bernardum, episcopum Nemausensem, Andream, abbatem Case-dei, Geraldum, abbatem Sancti Martialis, Bertrandum, [969] et Heliam de Channaco, et Guillelmum Feydelli, nepotes meos, dominos Guillelmum, priorem Sancti Martini de Campis Parisius, Amelium de Brolio, auditorem sacri palatii et meum, Clementem de Grandimonte, auditorem camere apostolice, Johannem Parentis, licentiatum in legibus, et fratrem Johannem Gaudoni, sacristam Sancti Florentii veteris, nullius diocesis. Et cuilibet ipsorum usque ad numerum trium tantum, qui onus dictae mee executionis supportabunt, quinquaginta florenos auri semel solvendos lego. Et volo quod predicti reverendissimi patres domini cardinale, quilibet solus et in solidum, et predicti duo patriarcha et episcopus fratres mei vocatis de aliis illo vel illis quibus videbitur ipsis expediens possint quilibet in solidum executionis predicte negotia expedire et addere vel diminuere, moderari et declarare, salva substantia testamenti mei hujusmodi, secundum facultates bonorum meorum, prout eorum conscientiis videbitur faciendum. Alii vero mei executores duo vel plures, et unus solus, in casu quo alii executores mei predicti, quod Deus avertat, antequam mea adimpta esset executio dies suos finivissent, possint ordinationem meam et dispositionem hujusmodi et in qualibet ejus

parte necnon negotia dicte mee executionis libere expedire absque eo quod heredes vel parentes aut familiares mei possint in aliquo contradicere. Et si aliquod negotium vel negotia aliqua dicte mee executionis per aliquem vel aliquos ex meis executoribus incepta fuerint, quod ipsi non possint seu possit consummare, eo casu volo quod modo superius ordinato negotium seu negotia hujusmodi possint per alios perfici et compleri. Item ordino quod particularia negotia possint per unum ex commissione aliorum aliquoties expedire. Volo et etiam ordino quod per manus dictorum executorum meorum seu deputandorum ab ipsis, ut premittitur, omnia legata per [970] me reicta, in quantum suppetent facultates, exolvantur sine contradictione quacumque. In casu autem quo omnes predicti mei executores mortui essent antequam hujusmodi mea executio completa esset, quod absit, in illum casum, et non alias, executores meos facio, nomino et instituo episcopum Lemovicensem et abbatem Sancti Martialis Lemovicensis qui pro tempore fuerint et quemlibet ipsorum in solidum. Volo insuper et ordino quod mei executores predicti, vel illi ex ipsis qui juxta modum predictum officium et executionem mee negotiationis assument, vasa mea argentea, et annulos, equos, mulos et mulas, et alia quecumque bona mea et utensilia de quibus in presenti testamento non disposui, nec forte contingat me ex oblivione, negligentia vel aliter ordinare, in continenti post mortem meam vendant fideliter et diligenter, et de pretiis seu pecuniis quas exinde receperint sine mora familiaribus, creditoribus, et legatariis meis de debitis et vadiis, si debeantur, et de legatis satisfaciant, ne per morosam solutionem ipsi familiares, legatarii et creditores, et executio mea hujusmodi expensis dampnosis aut alias detrimentum patiantur. Et omnia et singula per me in presenti testamento ordinata, in quantum se extendent bona que apud me remanebunt tempore obitus mei, cum majori diligentia qua poterunt, omni dilatione postposita, exequantur. et de omnibus et singulis supradictis per me ordinatis diligentissime exequendis prefatos meos executores et ipsorum quemlibet deprecor et exhortor. Ultimo iterum rogo vos hic presentes ad hujusmodi testamenti mei ultimi nuncupativi seu dispositionis mee supreme nuncupative pro testimonio evocatos ut omnium et singulorum premissorum per me in presenti meo ultimo testamento nuncupativo seu ultima dispositione mea nuncupativa dispositorum et ordinatorum sitis testes et dum locus adfuerit [971] perhibeatis testimonium veritati, et vos notarios infrascriptos, ut de istis michi conficiatis publicum instrumentum vel plura publica instrumenta. Acta fuerunt hec

Avinione in domo habitationis ejusdem domini cardinalis testatoris anno, inductione, mense, die et pontificatu quibus supra, presentibus reverendissimo in Christo patre et domino domino Bertrando, patriarcha Jherosolimitano, et venerabilibus et circumspectis viris dominis Amelio de Brolio, cantore Turonensi, Johanne Parentis, ipsius domini cardinalis camerario, fratre Johanne Gaudoni, sacrista Sancti Florentii veteris nullius diocesis, Guidone Bonpueri, canonico Sancti Pauli de Fenolhedesio, Electensis diocesis, magistro Berengario de Claudio, dicti domini cardinalis medico, Johanne Pillatoris, curato Sancti Hermelandi Rothomagensis, Johanne Blaneti, rectore parochialis ecclesie de Cresseneraco, Bituricensis diocesis, Guidone de Manso, domicello, Helia Dassie et Andrea Chrispelli, clericis Lemovicensis et Tornacensis diocesium, cum pluribus aliis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Johannes Laurentii de Nodoso ponte, clericus Virdunensis diocesis, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius, superscripti testamenti seu ultime voluntatis prediecte ordinationi et dispositioni premissisque omnibus et singulis, dum sicut supra describitur per prefatum reverendissimum patrem dominum cardinalem Mimatensem agerentur, dicerentur, ordinarentur, disponerentur, et fierent, una cum prenominatis testibus et magistro Johanne Bonelli, notario publico infrascripto, presens interfui, eaque sic fieri vidi et audivi, presensque publicum instrumentum in hanc formam publicam redactum in notam recepi, mea manu propria scripsi, meque subscripsi, et signo meo consueto signavi requisitus et rogatus in testimonium omnium et singulorum premissorum. *Sic signatum Laurentii.*

[972] Et ego Johannes Bonelli de Sancto Juniano, clericus Lemovicensis diocesis, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius, premissis omnibus et singulis, dum sic, ut premittitur, per dictum dominum cardinalem testatorem agerentur, disponerentur et fierent, una cum dicto magistro Johanne Laurentii, notario publico, et prenominatis testibus presens fui, eaque omnia et singula fieri vidi et audivi. Ideoque hoc presens publicum instrumentum per dictum magistrum Johannem scriptum in hanc formam publicam redegii, hic me manu propria subscripsi, et signum meum solitum apposui in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum requisitus et rogatus. *Sic signatum, Bonelli.*

CCXXIV

ACTA¹ FUNDATIONIS ET INSTITUTIONIS ECCLESIAE COLLEGIATAE SANCTI GERMANI DE MANSO SERENO, VULGO MASERÉ, IN DIOECESI LEMOVICENSE PER EXECUTORES TESTAMENTARIOS HUGONIS ROGERII, CARDINALIS. — 31 décembre 1384.

In nomine Domini. Amen. Nos miseracione divina Petrus, tituli Sanctorum Nerei et Achillei presbiter, et Hugo, Sancte Marie in Porticu dyaconus sancte romane Ecclesie cardinales, executores testamenti et ultime voluntatis bone memorie domini Hugonis Rogerii, miseracione divina tunc tituli Sancti Laurentii in Damaso sancte romane Ecclesie presbiteri cardinalis dicti vulgariter Tutellensis, attenta meditatione pensantes et diligenter inter nostrorum cordium arcana revolventes laudabile propositum quod habuit, dum vixit, prefatus dominus cardinalis Tutellensis, qui in suo testamento et ultima voluntate, sue mentis bene compos, inter cetera in eodem testamento contenta ex devotione speciali quam habebat ad sanctam et individuam trinitatem patrem et filium et Spiritum Sanctum, necnon ad bea[973]tissimam et gloriosissimam virginem matrem misericordie et gratie Deique genitricem Mariam, totamque curiam civium supernorum, voluit et ordinavit quod de bonis suis in manerio suo montis Oliveti sito in Villanova, Avinionensis diocesis, post suum obitum per suos et dicti testamenti executores erigeretur, construeretur, institueretur et dotaretur unum collegium seu una ecclesia collegiata canonicorum secularium pro salute anime sue et parentum suorum et aliorum omnium quibus teneri poterat sub certis modis, conditionibus, ordinationibus et statutis in dicto testamento latius declaratis, et insuper considerantes quod voluntas et ordinatio ipsius domini cardinalis Tutellensis citra ejus obitum non potuerunt nec adhuc possunt prout affectabat certis rationabilibus et evidenter causis integraliter adimpleri, et preterea volentes quantum nobis possibile existit ejus et predictorum animas desiderio ejusdem ob culpam nostram minime fraudari, sed de executione ejusdem domini cardinalis in districto Dei judicio rationabiliter excusari, dignum et congruum quinimo debitum arbitramur ut ad exaltationem cultus

1. D'après le ms. Baluze 21, fol. 54 v° (Bibliothèque nationale de Paris); copie prise par Baluze dans les archives de Saint-Germain de Maseré.

divini nominis de bonis dicte executionis efficacem operam totis viribus impendamus. Unde de licentia, voluntate, consensu, mandato et auctoritate sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Clementis divina providentia pape septimi, nobis tunc in sua presentia personaliter constitutis, vive vocis oraculo super hoc nobis facto datis et concessis, ad laudem, gloriam et honorem Domini nostri Jhesu Christi, et beatissime Marie virginis, ejus dignissime matris, necnon glorioissimorum sanctorum Laurentii martyris et Germani confessoris aliorumque sanctorum et sanctorum omnium, ad divini nominis cultum pro nostri gloria salvatoris dilatandum ferventibus studiis intendentes, pro salute anime dicti domini cardinalis [974] Tutelensis et animarum omnium illorum pro quibus dictum collegium construi, erigi, et dotari voluerat, parochiale ecclesiam Sancti Germani, Lemovicensis diocesis, quam construi fecimus et edificari, et que per rectorem secularem regi consuevit et adhuc regitur, cum omnibus juribus et pertinentiis suis ex nunc erigimus et instituimus in collegiatam; et ut in eadem ecclesia eo majorum laudationum preconiis laudaretur omnipotens quo pluralitas hec ministrorum numerus extiterit ibidem deputatus, statuta et ordinationes in ea fecimus, que observari volumus, sub forma que sequitur, videlicet.

Ad laudem et gloriam sancte Trinitatis et gloriose virginis Marie totiusque curie celestis. Sequitur ordinatio monasterii seu ecclesie Sancti Germani, diocesis Lemovicensis.

Et primo erunt ibi tresdecim canonici cum decano, qui erit caput collegii et canonicus pro uno de dictis canonicis computatus; de quibus quidem canonicis octo erunt presbiteri, duo dyaconi, et duo subdyaconi. Et si non sunt pro nunc in sacris ordinibus constituti, quod infra annum a die receptionis ad ordinem presbiteratus qui sacerdotalem prebendam habet, et ad ordinem dyaconatus qui prebendam dyaconalem obtinet, et subdyaconatus ordinem qui prebendam subdyaconalem habet, promoveri teneretur seu teneatur; alias a perceptione omnium fructuum sit ipso jure privatus seu privati. Item ordinamus quod decanus erit sola dignitas in ipsa ecclesia. Ordinamus etiam quod rector qui nunc est Sancti Germani sit unus de dictis canonicis et sacrista, et sacriste gerat officium in dicta ecclesia dicti collegii, et omnia emolumenta, videlicet oblationes, et omnia funeralia et alia jura parochialia percipiat, et ultra hoc grossos fructus et distributiones, quos et quas percipiet ratione suorum canonicatus et prebende. [975] Ipse vero sacrista habebit et exercebit regimen et curam

animarum, et ecclesiastica sacramenta decano, canonicis, beneficiatis, ac clero et populo ministrabit, et faciet luminaria tam de cera quam de oleo, et faciet pulsare campanas, et providebit de chordis et campanario seu scobolerio et aliis necessariis ad pulsationem campanarum, campanas vero que de novo fient faciant decanus et capitulum de bonis communibus, et ultra predicta habeat pro supportatione dictorum onerum decem libras de bonis communibus decani et capitulo. Item ordinamus quod unus de dictis canonicis sit cantor et officium cantorie habeat in dicta ecclesia exercere, videlicet inchoare divinum officium et intonare et alia facere que officio cantoris de jure et consuetudine incumbunt, et quod cantoria sit in dicta ecclesia officium perpetuum, et pro dote et labore officii cantorie habeat de bonis communibus decani et capituli decem libras. Preterea ultra prenominatos canonicos pro divino officio celebrius faciendo erunt octo presbiteri, qui beneficiati dicti collegii vulgariter nominabuntur; qui celebrabunt missas privatas et etiam cum nota, cum erit necesse, et intererunt in ecclesia et in choro cum canonicis in habitu condecenti in horis nocturnis pariter ac diurnis. Ordinamus etiam quod cedente vel dececente rectore qui nunc est, dicta rectoria officio sacristie perpetuo ex tunc sit annexa et in usus et utilitatem officii sacriste cedat, et ex nunc auctoritate apostolica ipsam unimus officio sacriste et incorporamus. Et est sciendum quod in dicta ecclesia Sancti Germani due misse conventuales quotidie celebrabuntur cum nota per canonicos, in quibus decanus et omnes canonici et beneficiati interesse habebunt. Alias punctuabuntur, ut infra dicetur. Et prima missa erit de mortuis, et specialiter dicetur pro anima domini Hugonis bone memorie car[976]inalis Tutellensis dicti collegii fundatoris. Et post pulsationem prime, et ipsa prima decantata, incipiatur missa de mortuis, et fiat processio per ecclesiam ante sepulchrum fundatoris, et fiat absolutio specialis et generalis cum psalmis et orationibus defunctorum. Secunda vero missa erit conventualis de festo vel de tempore secundum quod occurret, et dicetur post pulsationem tertie, et ipsa tertia primitus solempniter decantata; et ipsa missa conventualis cantabitur per unum canonicum presbiterum cum dyacono et subdyacono, quilibet per septimanam suam; et sacrista ponet in altari duo intortitia rotunda ponderis quodlibet medie libre cere. Et in dictis dominicis et festis duplicitibus ponet quatuor ejusdem ponderis, duo ad dexteram partem altaris, et duo ad sinistram. Preterea sacrista faciet pulsare omnes horas canonicas, videlicet matutinas, primam, tertiam, missam conventualem, sextam,

nonam, vesperas, et completorium. Et antequam incipiatur missa de mortuis, sacrista faciet pulsare unum classorum pro mortuis, et ponet in altari duo intortitia ponderis supradicti. Et quia spiritualia sine temporalibus diu sustineri non possunt, ordinamus quod quilibet canonicus residens habeat quadraginta libras monete currentis, ita quod quelibet libra valeat unum francum bonum cugni domini nostri regis Francie. Decem libras habebit pro grosso quilibet canonicus, et triginta pro distributionibus, que solventur sibi tam in blado, vino, quam in pecunia. Vel habeant pro grossis fructibus quintam vel sextam partem omnium proventuum et emolumenterum bonorum communium. Et super hoc videatur quid est expedientius. Et super illis triginta libris punctuabitur prout inferius est ordinatum. Decanus vero recipiet duplum unius canonici, videlicet viginti libras pro grosso, et sexaginta pro distributionibus; in quibus sexaginta punctuabitur nisi residen^[977]tiam faciat et presens sit in horis nocturnis pariter et diurnis, prout inferius de ipso et aliis canonicis est ordinatum. Ordinamus etiam quod decanus et quilibet canonicus primam residentiam suam per quatuor menses continuos faciat antequam prenominati decanus et canonici grossos fructus prebendarum suarum percipient. Ordinamus etiam quod quilibet de octo beneficiatis habeat viginti libras monete supradicte et ejusdem valoris secundum quod canonici habebunt. Habebunt celebrare, quilibet per septimanam suam, missam cum nota de mortuis et interesse in horis diurnis pariter et nocturnis per modum infrascriptum. Alter punctuabunt ut ibi cavetur. Ordinamus etiam quod probior et utilior de istis octo beneficiatis sit punctuator, et jurabit decano et capitulo vel soli capitulo, decano absente, ad quatuor sancta Dei evangelia fideliter exequi officium suum; et pro labore suo habebit quatuor libras de punctuariis absentium; et de anno in annum mutabitur, si capitulo expediens videatur. Ordinamus etiam quod medietas absentiarum et punctuationum capitulo applicetur, et in arca capitulo ponatur, et alia medietas, ut divinum officium melius et diligentius fiat, presentibus et interessentibus divino officio accrescat, et in augmentum ipsis decano, canonicis, et beneficiatis cedat. Item ordinamus quod unus de canonicis, qui sit probus, fidelis, et diligens et in temporalibus circumspectus, per decanum et capitulum omni anno procurator et receptor omnium bonorum collegii deputetur, prestito per eum primitus juramento quod suum officium bene et diligenter ac fideliter exercebit: qui amore, favore, et odio semotis, decano et canonicis de grossis fructibus et distributionibus quoti-

dianis, prout quilibet lucratus fuerit, respondebit et satisfaciet prout patientur ecclesie facultates. Ordinamus etiam quod nullus de collegio, [978] sive decanus, canonicus, aut beneficiatus fuerit, propria auctoritate seu potius temeritate de bonis communibus eorumdem aliquid recipere nec sibi appropriare nec in alias usus convertere seu in alienas personas transferre presumat, sed solum et dumtaxat per manum procuratoris seu receptoris capituli ad hoc deputati quilibet recipiat quod sibi debebitur juxta ordinationem supra et infra scriptam. Et si a quoquam contrarium attemptari contigerit, grossis fructibus et medietate distributionum unius anni sit omnino privatus totiens quotiens deliquerit in premissis, et quod nulla remissio pene hujusmodi per decanum et capitulum communiter vel divisim sibi fieri possit et capitulo applicetur. Ordinamus etiam quod quotienscumque contingat decanum cedere vel decadere, quod canonici eligant sibi decanum, et per dominum episcopum Lemovicensem electio confirmetur, et quod nullus absens canonicus extra civitatem et diocesim constitutus ad electionem hujusmodi sit vocandus. Ordinamus etiam quod quotienscumque contingat canonicum vel beneficiatum cedere vel decadere, quod collatio canonicatus et prebende ac beneficii pertineat ad decanum et capitulum communiter, vel ad solum capitulum decano absente extra diocesim. Item ordinamus quod bis in anno, videlicet primo in festo Pentecostes exclusive, scilicet die lune, martis, et mercurii, eorum capitulum celebretur, secundum vero capitulum teneant et celebrent in crastino beati Martini hyemalis per tres dies, et in dictis capitulis audiantur rationes administratorum bonorum capituli et alia negotia ecclesie discutiantur et tractentur, et quod in uno de dictis capitulis sacrista, qui habet custodire calices, reliquias, pannos, libros aureos, vestimenta sacerdotalia, capellas et ornamenta altaris, omnia recipiat cum inventario instrumentato a decano et capitulo Sancti Germani, et anno revoluto, quolibet [979] anno dictum inventarium recenseatur et renovetur per decanum et capitulum, et si aliqua jocalia de novo venerint, quod ponantur in dicto inventario, et si aliqua deperdita fuerint culpa sua, quod sacrista deperdita solvere teneatur. Ordinamus etiam quod si contingat aliquem canonicum vel beneficiatum litigare de suo beneficio, quod capitulum non teneatur sibi respondere de fructibus pendente lite, nisi daret bonos fideiussores de reddendo ecclesiam indemnem ad arbitrium decani et capituli. Ordinamus etiam quod si contingat canonicos inter se vel cum beneficiatis rixari vel injurias dicere vel se invicem percutere, quod decanus et capitulum possint ipsum vel

ipso punire, vel decano absente capitulum. Et si injuria sit levis, quod dominus episcopus Lemovicensis nullo modo se intromittat, nisi decano et capitulo negligentibus, et quod a levi injectione per canonicum qui erit in illa septimana hebdomadarius absolventur canonici et beneficiati. Item ordinamus quod matutine pulsentur in media nocte per sacristam seu ejus scobolarium, et post pulsationem decanus, canonici, et beneficiati ad ecclesiam conveniant et in choro dicant officium beate Marie non cum nota, sed legendō medio sono, et expletis matutinis beate Marie et suffragiis sanctorum, hebdomadarius incipiat matutinas de die vel de festo, prout occurret cum nota et solemptnier. Ordinamus etiam quod expletis vesperis dicantur vespere defunctorum cantando, et a festo Omnium Sanctorum usque ad quadragesimam, dictis matutinis, dicatur immediate per decanum, canonicos et beneficiatos officium defunctorum sive agenda bene et distinete et voce sonora, et a festo Pasche usque ad festum Omnium Sanctorum dicatur officium post nonam dictam et ante vesperas diei. Item ordinamus quod cum aliqua possessio venerit ad laudandum, quod procurator qui habet potestatem laudandi [980] non procedat ad laudem faciendam quounque denuntiet decano et capitulo, vel capitulo decano absente, et quod inter se deliberent de utilitate capituli laudare vel non retinere pretio soluto, prout ecclesie neverint pertinere. Item ordinamus quod missa parochialis per sacristam seu ejus vicarium diebus dominicis, festivis et ferialibus diebus cum nota, sicut est consuetum, antequam pulsetur pro prima, populo celebretur. Item ordinamus quod decanus et capitulum habeant sigillum commune in archivo ubi instrumenta et bona capituli recluduntur. Ordinamus etiam quod canonici portent almucias de grisis sive de variis, et beneficiati portent almucias nigras de pellibus agnorum.

Sequitur punctuatio ecclesie. Ordinamus quod decanus, canonici et beneficiati in matutinis ante finem primi psalmi in ecclesia et in choro esse debeant in habitu condecenti. Alias decanus in quatuor denariis punctuetur, canonicus in duobus, beneficiatus in uno. Misso vero decanus, canonici et beneficiati ante finem primi Kyrie eleison interesse debeant. Alias punctuentur ut in matutinis. In vesperis vero interesse debeant decanus, canonici et beneficiati ante finem primi psalmi. Alias punctuentur ut supra. In hora vero prime, tertie, sexte, none et completorii prenominati interesse debeant ante finem primi psalmi. Alias decanus punctuetur in duabus denariis, canonicus in uno, beneficiati in medio denario punctuentur per punctuatorem

absque ulla remissione, nisi pro negotiis ecclesie vel capituli fuerint occupati.

Has autem nostras ordinationes ex nunc volumus et auctoritate apostolica nobis in hac parte commissa precipimus ab omnibus canonicis, personis et servitoribus ejusdem ecclesie inviolabiliter observari. In quorum omnium et singulorum testimonium presentes nostras litteras fieri et per notarium publicum infrascriptum nostri Hugonis cardinalis [981] et executoris supradicti secretarium et scribam subscribi mandamus et publicari. Datum et actum Avinioni in hospitio habitationis nostri Hugonis cardinalis et executoris predicti die sabbati ultima mensis decembris anno a nativitate Domini MCCCLXXXIV, indictione VIII, pontificatus dicti domini nostri pape Clementis VII anno septimo, presentibus reverendo in Christo patre Petro, episcopo Carcassonensi, et venerabilibus viris dominis Johanne de Loberto, decano Sancti Hilarii majoris Pictaviensis, legum doctore, ac Johanne Sabbatarii, sacrista Agathensis ecclesiarum, decretorum doctore, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis. Nos Hugo cardinalis et executor prefatus hic nos manu propria subscrisimus et sigillum nostrum apponi fecimus in testimonium premissorum. Et ego Milo Garterelli, clericus Laudunensis diocesis, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius, dictique reverendissimi patris et domini mei Hugonis Sancte Marie in Porticu dyaconi cardinalis executoris secretarius, erectioni, institutioni et aliis premissis omnibus et singulis, dum ut premittitur per prefatos dominos meos Petrum et Hugonem cardinales executores fierent, una cum prenominatis testibus presens interfui, eaque sic fieri vidi et audivi, in notam recepi publicam, et in hanc publicam formam redegii per alium, me aliis occupato, scribi feci, et de eorum mandato signo meo solito signavi una cum subscriptione et appositione sigilli dicti domini mei Hugonis cardinalis per ipsos ambos requisitus.

CCXXV

[982] COPIA LITTERAE¹ A PRAESIDENTIBUS IN CAMPO DOMINI KAROLI DE
 DURATIO PROPE ET CONTRA CASTRUM CIVITATIS NUCERIAE CHRISTIA-
 NORUM HOSTILITER COMMORANTI OMNIBUS ET SINGULIS IN DICTO
 CASTRO IN FIDELITATE SANCTISSIMI IN CHRISTO PATRIS ET DOMINI
 NOSTRI DOMINI URBANI DIGNISSIMA DEI PROVIDENTIA PAPAE VI
 MANENTIBUS DESTINATAE ET AD SONUM TUBICINIS PROMULGATAE DIE
 MERCURII X MAII, VIII INDICATIONE, PONTIFICATUS ANNO VIII ETC. —
 Nocera, 10 mai 1385.

Nos presidentes in regio felici exercitu contra castrum Nucerie firmato universis et singulis presentem paginam inspecturis notum facimus per eamdem quod de mandato nobis facto per serenissimum principem et dominum nostrum dominum regem Karolum quibuscumque sive cuicunque, cujuscumque status, gradus et conditionis existant seu existat, qui papam captum aut mortuum, non tamen morte divina, nobis vel alteri nostrum vel alicui alteri regio officiali assignaverint sive assignaverit realiter et cum effectu, decem millia florenorum auri illico dari et realiter assignari faciemus; et de hoc quemcumque volentem intendimus, volumus, et promittimus facere cautum adeo quod poterit et debebit, nec immerito, contentari. Notificantes de dicto regio mandato ore tenuis nobis facto universis et singulis stantibus in dicto castro, cujuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existant, etiamsi cardinales, archiepiscopi, episcopi existant, vel alia dignitate prefulgeant, quod si ipse papa de die vel de nocte publice vel occulte castrum predictum et manus nostras et aliorum regiorum officialium, familiarium, vassallorum vel stipendiariorum ipsorum, vel alicujus ipsorum opere, tractatu, ordinatione, provisio[983]ne, auxilio, favore, vel etiam (*a*) negligentia sive remissione exiverit, sive evaserit, quod ex nunc prout ex tunc habebuntur, tenebuntur tanquam publici regii (*b*) hostes et rebelles et invasores notorii hujus regni sui. Et ne aliqui ex predictis possint pretendere ignorantiam de predictis, hanc paginam per tubettas portari et tuba-

a) omis par Bal. — b) regis, Bal.

1. D'après le ms. 4169 (ancien Colbert 3317), fol. 107 r° (Bibliothèque nationale de Paris).

rum sonitu premisso ante et prope ipsum castrum omnia predicta facimus cum rogatione notarii publici divulgari. Datum et scriptum in dicto felici regio exercitu, die x maii, VIIJ indictione.

CCXXVI

SEQUITUR TENOR LITTERARUM¹ DIRECTARUM CLERO ROMANO AB ANTICARDINALIBUS BARTHOLOMÆI. — [1385 ?].

Miseratione divina Pileus, episcopus Tusculanus, Lucas tituli Sancti Sixti, Poncellus tituli Sancti Clementis, et Bartholomeus tituli Sancti Marcelli presbiteri, et Landulphus Sancti Nicolay in carcere Tulliano dyaconus sancte romane Ecclesie cardinales dilectis nobis in Christo clero alme Urbis salutem in Domino sempiternam. Salvator noster, dilectissimi, postquam ascensurus in celum beato Petro apostolo, quem ex piscatore piscium piscatorem hominum futurum predixerat, Petro inquam Apostolo, etiam, ne pius grex pastore careret, ipsius Petri in apostolatu successoribus vices suas commiserat et ipsi gregi eum prefecerat, regni celorum claves et potestatem ligandi atque solvendi concessit, affirmans adversus eamdem potestatem nec inferni januas prevalere, idemque Petrus juxta voluntatem salvatoris ejusdem Rome sacram Sedem suam ejus pretioso martirio statuit ab hoc seculo migraturus, hujusmodi potestas ex tunc ordine suo usque ad hec tempora dignoscitur pervenisse. Dudum siquidem, sicut vestra devotio novit et notorium est, cum dicta Sedes apostolica per obi[984]tum pie memorie domini Gregorii pape XJ vacaret, dominus tunc Bartholomeus archiepiscopus Barensis, qui postmodum more

1. D'après le ms. latin 1469 (ancien Colbert 814), fol. 245 r° (Bibliothèque nationale de Paris).

Cette lettre fait allusion aux violences d'Urbain VI exercées contre six de ses cardinaux. Incarcérés les 11 et 12 janvier 1385, ceux-ci furent soumis à la torture, en particulier le 21 janvier. D'autre part, la lettre semble viser les procédés grâce auxquels le pape s'échappa de Nocera, le 7 juillet 1385, car elle proteste contre les libéralités d'Urbain VI faites aux partisans de Clément VII qui s'étaient laissé acheter. Elle est donc certainement postérieure au 7 juillet 1385. Puisqu'elle ne mentionne pas la mort tragique des cardinaux incarcérés, elle doit être antérieure au mois de décembre 1386. Il est possible qu'elle date de 1385, car on n'y trouve pas une seule allusion au séjour d'Urbain à Gênes (23 septembre). Pourtant, les protestataires se plaignent de ce que le pape ait délaissé Rome et gagné Naples; cf. N. Valois, *La France et le grand schisme d'Occident*, t. II, p. 112-118.

sanctorum patrum romanorum pontificum, predecessorum suorum, nomine commutato fuit et, nisi propriis culpis et demeritis se indignum reddiderit, est Urbanus papa VJ in romanum pontificem per illos, ad quos de jure spectabat, canonice electus et ad apostolatus apicem assumptus et Ecclesie catholice, que Domini unica est, et extra quam salus esse non potest, caput, viceprefectus predictique Petri successor, et verus Jhesu Christi in terris vicarius legitime constitutus, et deinde cum nos, licet insufficientibus meritis, cum pluribus aliis per ipsum dominum Urbanum in sancte romane Ecclesie cardinales successive fuissemus assumpti et secum per plures et plures annos et quamdiu sperare potuimus ipsum bene vivere et recte agere et ad reformationem et reintegrationem unionis Ecclesie predicte, que proth dolor in tanta divisione ac dampnabili scismate constituta est, cui quidem divisioni et scismati culpa, insolentia et detestabiles mores dicti domini Urbani, ut postea cognovimus, non minimam dedere causam, et ad salubrem sacrosancte fidei orthodoxe conservationem et augmentum ac utilem rei publice gubernationem attendere velle, perseveraverimus assistendo eidem auxiliis et consiliis opportunis, sed nichilominus interim ipsius incompatibiles mores pro meliori, cum non parva tamen molestia, et quam patientius potuimus tolerando, demum ipse dominus Urbanus preter et contra illorum ex nobis et omnium aliorum fratrum suorum predicte Ecclesie cardinalium, qui tunc secum Rome aderant, consilium et ultroneam voluntatem quadam levissima vanitate et inconsultis motibus, propria sede relicta, ad hanc civitatem Neapolim ac alias partes regni Sicilie se transtulit, et ex tunc de die in diem, parum, ut videtur, cogitans de fine, [985] ad quem jam trahit ipsum temporis plenitudo, ad tantam superbiam, in vanam gloriam, intractabilitatem ac obstinatam pertinaciam, ita ut videatur insano similis et furenti, se supra extulit, adeo quod omnino, spretis nostris et aliorum cardinalium predictorum consiliis, quecumque etiam ardua et majora predicte Ecclesie negotia pro sue inordinate (*a*) voluntatis arbitrio indecenter ac perniciose dispositus et totaliter pertractavit, multasque iniquitates et detestabilia sclera commisit et cotidie committit; inter que, ut pro nunc reliqua taceamus, reverendissimos patres dominos Johannem tituli Sancte Sabine, Adam tituli Sancte Cecilie, Ludovicum tituli Sancti Marchi, Bartholomeum tituli Sancti Laurentii in Damaso, et Martinum tituli Sancte Potentiane presbiteros, ac Gentilem (*b*)

a) immediate, *Bal.* — *b)* generalem, *ms.*

Sancti Adriani dyaconum dicte Ecclesie cardinales, viros utique innocentissimos ac magni consilii et singularium virtutum, qui eum cum omni caritate et recti zeli sinceritate de inordinatis ipsius actibus increpabant, et similiter in hiis que contra justitiam et equitatem temptare satagebat non consentiebant, sed ei contradicebant vituperose conquisisit et confictis rationibus, [quod] (a) est omnibus retro seculis inauditum, capere et vilibus carceribus mancipare crudelissimeque torquere et ab eis per exquisitas torturas que voluit, ea que tamen nec vera nec verisimilia, extorquere, ipsorumque vitam parciissimo et sordido victu exterminare nephandis ausibus non expavit, et ne quid extreme tunc temeritatis apud eum remaneret inausum, nonnullos viros aliquando potentes per eum prius merito de heresi et scismate dampnatos ad suam vesaniam validandam ad se convocavit, illisque thesaurum, vasa pretiosa et jocalia, etiam ad divinum cultum deputata, tradidit et dispersit, et tandem in illorum mundis de priori heresi et scismate contritorum manibus se commisit; propter que non solum personam suam, sed etiam Eccle[986]siam diffamavit. Et quamvis de hiis que perverse gesserat sepius modeste et caritative reprehensus, et de periculis et scandalis que imminebant premonitus, et ab hujusmodi desistere et se corrigere et ad sedationem predicti scismatis et reintegrationem unionis Ecclesie prelibate attendere vellet tam per nos quam per alios magne auctoritatis viros humiliter fuerit requisitus, ipse tamen in reprobum sensum datus et mala malis accumulans diversis viis et coloribus exquisitis cotidie tractat, ordinat et disponit qualiter dictum scisma non solum nutrire, sed etiam adaugere, ac Ecclesie predicte statum amplius perturbare et funditus evertere possit. Propter que merito se reddidit de fide suspectum, et grandia diversa mala ac gravia scandala sunt secuta; et nisi super hoc celeriter obviaretur, majora, plura et graviora sequi verisimiliter formidantur. Et licet multa de sceleribus et iniquitatibus per eum commissis omittamus et subticeamus ad presens, quedam tamen que nullo modo absque gravi offensione Dei et remorsu conscientie amplius tacere non possumus, et que tam a nobis quam etiam ab omnibus valentibus viris romanam curiam sequentibus notoria et certissima reputantur, in quadam cedula vobis per latorem presentium presentanda et sigillis nostris munita, ut ea vobis nota fiant, describi fecimus et etiam notari. Attendentes igitur quod idem dominus Urbanus omnino incorrigibilis est, et propter aliorum suorum

a) idem, ms.

commissorum criminum et excessuum immanitatem merito habetur de fide suspectus, et verisimiliter timentes quod ipse statum dicte Ecclesie omnino dissipet et confundat, et nequeentes absque gravi offensa Dei et gravi remorsu conscientie iniquos ejus et ineptissimos actus ac detestandos mores ipsumque de fide suspectum amplius tolerare, ab ejus obedientia et subjectione nos omnino subtraximus, ipsumque protervum et in re quaque precipitem, ini[987]quum, atque perversum, et de fide suspectum duximus penitus relinquendum, et tandem convocatis multis prelatis et magistris in sacra pagina et aliis valentibus viris tam clericis quam laycis dictam curiam sequentibus et tunc in hac civitate Neapolis residentibus, et super premissis habitis et auditis eorum prudentibus et sanis consiliis, ipsisque nobiscum in eadem sententia unanimiter et concorditer concurrentibus, deliberatum et concordatum est quod deinceps domino Urbano vel ejus monitis seu mandatis, etiam per quoscumque alios Christi fideles nullatenus debeat obediri, sed potius ei tanquam perverso et iniquo ac boni et pacifici status dicte Ecclesie ac fidei orthodoxe destructori et de fide suspecto totis viribus resistendum est ac etiam obsistendum, et diligenter et sollicite cogitandum et deliberandum ut eidem Ecclesie in tantis calamitatibus et periculis constitute ejusque reformationi et unioni celeriter succurratur. Nos enim, ut hujusmodi provisio possit melius et citius suum sortiri effectum, una cum quibusdam aliis dominis nostris et confratribus predicte Ecclesie cardinalibus hic ad presens non existentibus disponimus in brevi Romam venire et ibidem una vobiscum et cum populo Romano necnon cum consilio ac favore vestro et universorum prelatorum, ac regum, principum et aliorum populorum Christianorum super premissis providere omnibus viis, modis et remedii opportunis. Et insuper prelatis, regibus, et principibus ac populis supradictis scribere, ipsisque instanter rogare et requirere intendimus quatinus quanto citius potuerint ad almam Urbem, ubi tunc esse et continuam residentiam facere intendimus, nuntios suos destinare velint, cum quibus, sive per viam generalis concilii vel etiam particularis, aut alias, prout expedientius et utilius esse videbitur statui predicte Ecclesie in tantis periculis et discriminibus con[988]stitute, vestro et eorum consilio possit de salubri remedio provideri.

Hic deficit conclusio eorum que debent facere hii quibus scribitur.

CGXXVII

DECLARATIO¹ JOHANNIS, REGIS ARAGONUM, PRO CLEMENTE VII.
Barcelone, 24 février 1387.

Johannes, Dei gratia rex Aragonum, Valencie, Majoricarum, Sardinie et Corsice, comesque Barchinone et Ceritanie, universis et singulis fidei christiane cultoribus salutem et unum in terris agnoscere vicarium Jhesu Christi. Regnans in celis triumphans Ecclesia, cuius pastor est pater eternus, cui sanctorum ministrant agmina, et laudis gloriam angelorum chori decantant, ad sui similitudinem et representationem constituit in terris Ecclesiam militantem unigenito filio Dei vivi Domino Jhesu Christo ineffabili commercio copulatam; in qua idem unicus Dei filius a patre progrediens, per illustrationem paracliti procedentis pariter ab utroque, statuit fidei (a) fundamentum, et ad cuius regimen voluit vice sui unicum preesse vicarium et ministerium, eique soli per cunctos renatos fonte baptismatis obediri in cunctis ad instructionem doctrinamque suam eloquio veritatis evangelice traditam firmiter observari; ut qui sub doctrina hujusmodi cursum vite recte peregerint, salvi fiant; qui vero ab ea deviaverint, condempnentur. Olim siquidem, dum primogeniture Aragonum fungebamus honore, [principisque] (b) Gerunde et comitis Cervarie titulo fruebamur, intuentes gravissimum et [h]orrendum scisma exortum in Ecclesia sancta Dei et Petri naviculam validis fluctibus agitatum procelloso in equore circumduci, ex quo, proth dolor, fuerant duo electi in sumnum pontificem [et] etiam (c) vicarium Jhesu Christi, quia inter cetera que nostris insident studiis precipue cupimus quod fidei orthodoxe [989] stabilitas semper firmetur validius et tollantur radicitus errores et scismata, que infideles reddunt catholicos et animas eterna damnatione disperdunt, dolore percussi acerrimo atque lesi medullitus, tanquam fidele membrum Ecclesie, de tanti acerbitate erroris, labores et vires exposuimus cura pervigili ad investigandam et habendam de et super negotio electionum hujusmodi plenam et meram essentiam veritatis, ut ipsa clarius agnita, possemus tute

a) fide, Bal. — b) suas (*sic*), ms. — c) et, Bal.

1. D'après le ms. latin 1470 (ancien Colbert 815), fol. 127 r° (Bibliothèque nationale de Paris).

eligere veram partem, et cum per viros prudentes, Deum timentes et habentes pre oculis fecissemus de et super premissis informationes, solempnes diligentius recipi tam a dominis cardinalibus qui electo-nibus interfuerant memoratis quam etiam ab aliis pluribus qui factum et jus plenissime noverant, altioresque fecissemus scrutari indagines, prout tanti negotii qualitas exposcebat, insuper vidi semus et fecis-semus subtilius recognosci informationes arduosque processus factos exinde jam antea per alios quosdam reges mundi et principes, quos nempe comperimus informationibus et processibus nostris conformes, tandem ipsis omnibus sepe et sepius recensitis maturoque et solerti discussis examine, solempniumque et sapientum virorum communicato et nobis assistente consilio, gloriosus Deus omnipotens, tanquam lux vera lucens in tenebris, a tenebris minime comprehensus, vestigium veritatis suis splendentibus radiis nobis edocuit, per quod clare reperimus primum electum, qui Bartholomeus, Barensis archiepis-copus, vocabatur, per violentiam et impressionem notorias intrusum fuisse, et secundum electum, videlicet sanctissimum patrem in Christo dominum Clementem, nunc summum pontificem, qui cardinalis Gebennensis tunc temporis dicebatur, verum, canonicum et legitimum esse papam. Ob quod mentis nostre conscientiam publicantes reputavimus ipsum universalis Ecclesie fore verum antistitem [990] et sibi parendum existere per nos et cunctos Christi fideles tanquam verissimo Christi vicario et beati Petri legitimo successori, et cui nos ex tunc paruimus cum effectu. Sed quia, durante regimine illustrissimi Petri, regis Aragonum, genitoris nostri, recordationis eximie, noviter ad celestem patriam, ut firmiter credimus, evocati, qui indif-ferens extitit, suamque indifferentiam fecit per ejus subditos obser-vari, non fuit predicta nostra declaratio solempniter publicata, nunc celsitudinis regie solium disponente Altissimo consecuti, multis arduis et morosis consiliis habitis, et previa deliberatione matura, die et loco presentibus, que ad hoc legitime duximus assignanda, declara-tionem eamdem, cui concordes reperimus informationes et processus solempnes factos per dictum dominum genitorem nostrum dum viveret, pro habenda certitudine quis verus et legitimus esset papa, et opinio-nes solempnium sapientum, per quos ipsos processus fecimus utique diligenti examine discuti, publicamus, intimamus, et notum facimus omnibus presentium serie ad cautelam, vos omnes et singulos depre-cantes attentius et [h]ortantes sub debito fidei christiane, quo tene-mi Domino Jhesu Christo, vobisque universis et singulis subditis nostris quavis preeminentie dignitate seu statu fulgentibus injun-

gentes de certa scientia et expresse sub ire et indignationis nostre incursu quatinus verum et canonicum summum pontificem dominum Clementem papam VIJ prelibatum pro vero, canonico et legitimo papa et Christi vicario habeatis, teneatis et honoretis deinceps, debitam sibi reverentiam impensuri, et dictum primum electum pro antipapa et scismatico reputetis ab unione sancte matris Ecclesie penitus separato, nullusque vestrum dictorum subditorum nostrorum inobedientis notam et nostre acrimoniam ultionis vitare desiderans in contrarium premissorum prorumpere nec [991] se adversus illa nunc audeat ullo modo, sed potius ad ipsa tenaciter observanda consurgant voluntarii singuli, cum et voluntati divine conveniant, corporum felicitatem concernant, et salutem respiciant animarum. Datum Barchinone sub sigillo bulle nostre auree inpendenti xxiiiij die februarii, anno a nativitate Domini millesimo CCCLXXXVIJ regnique nostri primo. Rex.

CCXXVIII

LITTERA¹ CONTINENS DETERMINATIONEM FACTAM PER FACULTATEM THEOLOGIAE ATQUE CONDEMNATIONEM DOMINI EPISCOPI PARISIENSIS DE PROPOSITIONIBUS ET ERRORIBUS DICTIS PER FRATREM JOHANNEM DE MONTESONO. — 6 juillet 1387.

Anno Domini MCCCLXXXVIJ, die sexta mensis julii, post primam sancti Jacobi, venerabiles viri et discreti decanus et facultas theologie Parisiensis solemniter congregati apud Sanctum Maturinum super deliberatione quarumdam propositionum dictarum a fratre Johanne de Montesono ordinis sancti Dominici, attentis multis sanctorum et nominatim (*a*) sancti Thome auctoritatibus in dicte facultatis cedula judicialiter ex[h]ibite prohemio contentis, attentis insuper quamplurimis que ad hoc facere poterant hic brevitatis causa pretermisis, diurna inquisitione et multiplici deliberatione prehabitis,

a) presertim, Bal.

1. D'après *M* 67^b, n. 50, original (Archives nationales de Paris). Ex veteri codice manuscripto facultatis theologiae Parisiensis, *Bal.* — Cf. aussi Denifle et Châtelain, *Chartularium Universitatis Parisiensis*, Paris, 1894, t. III, p. 491, n. 1559.

dixerunt propositiones prefati fratris inferius annotatas sub forma ibidem contenta et expressa fore publice revocandas in scolis et sermonibus et aliis actibus publicis.

Prima propositio : *Major est unio ypostatica in Christo quam unio trium personarum in essentia increata.* Istam dicit se dixisse recitative, nihil asserendo.

Secunda propositio : *Possibile est esse aliquam puram creaturam que in puris naturalibus ita possit sibi et homini me[992]reri sicut anima Christi concurrente habituali gratia.* Non est tamen aliqua possibilis que tam convenienter, congruenter (*a*) et sufficienter hominem posset redimere et salvare sicut Christus. Revocanda est tanquam falsa, male sonans, et erronea ad intellectum probationis sue, videlicet de gratia anime Christi, quoad primam ejus partem.

Tertia propositio : *Aliqua pura creatura rationalis potest in suis puris naturalibus Dei essentiam beatifice intueri.* Revocanda est tanquam falsa, alias Parisius condempnata, et tanquam erronea in fide, maxime ad intellectum probationis sue, videlicet de gratia anime Christi.

Quarta propositio : *Aliqua pura creatura est possibilis perfectior Christi anima in merendo, puta gratia anime Christi.* Revocanda est tanquam falsa, erronea, absurda in theologia et philosophia, et theologicie doctrine irrigisiva. Quinta (*b*) suppositio quam assumit dictus magister ad probationem sue secunde propositionis cum suis correlariis est ista : « quod essentia anime Christi transsubstantietur et gratia ipsius anime vices gerat essentie anime Christi quoad omnia, scilicet quoad informare corpus et ipsum vitaliter (*c*) immutare, et quoad substare accidentibus anime (*d*) Christi, scilicet intellectui et voluntati, et eas ad suas debitas operationes inclinare. Item quod talis gratia remanens post transsubstantiationem esset creatura rationalis et libera. »

Quinta propositio : *Videtur michi quod talis creatura, si poneretur, esset simpliciter extra genus.* Revocanda est ut immediate precedens.

Sexta propositio : *Ponere aliquod creatum vel aliqua creata esse simpliciter et absolute necesse esse non est in aliquo contra fidem.* Revocanda est tanquam falsa et male sonans in fide secundum modum loquendi communem theologorum. Nec est ex dictis sancti Thome asserenda in sensu quem reddit, attenta prima propositione, quam

a) omis par Bal. — b) omis par Bal. — c) essentialiter, Bal. — d) omis par Bal.

assumit ad declarationem dicte [993] propositionis, in qua dicit quod aliqua res creata est simpliciter et absolute necesse esse, equipollent isti. Aliqua res creata impossibile est non esse.

Septima propositio : *Necesse esse non repugnat esse causatum.* Revocanda est tanquam falsa et erronea in fide, attento primo correlario ejusdem propositionis cum sua probatione, in qua dicit quod necesse esse est illud quod est immutabile tam secundum substantiam quam secundum accidens; quod soli Deo congruit.

Octava propositio : *Magis est consonum (a) fidei ponere aliquid citra primum esse absolute et simpliciter necesse esse quam ponere ipsum sine aliqua additione esse necesse esse.* Revocanda est tanquam falsa et erronea propter falsam implicationem et erroneous comparationis, que includit quod aliquam rem creatam esse necesse esse est contrarium sacre scripture, et per consequens aliquid creatum esse increatum; quod contradictionem includit.

Nona propositio : *Asserere aliquid fore verum quod est contra sacram scripturam est expressissime contra fidem.* Revocanda est tanquam falsa et injuriosa sanctis et doctoribus, si eam intelligat universaliter, prout in probatione ejus videtur pretendere; quia aliquid est contra sacram scripturam, quamvis hoc non sit evidens, et illud asserere non est expressissime contra fidem. Patet, quia altera istarum duarum propositionum, « *Deus potest creare supremam speciem* », et « *Deus non potest creare supremam speciem* », est contra sacram scripturam, et tamen nulla earum est expresse contra fidem. Et ita de multis aliis propositionibus sibi invicem contradictoriis inter sanctos et doctores disputabilibus et disputatis.

Decima propositio : *Non omnem hominem preter Christum contraxisse ab Adam peccatum originale est expresse contra fidem.* Revocanda est tanquam falsa, scandalosa, et piarum aurium offendensiva, et presumptuose asserta, non obstante probabilitate questionis utrum beata virgo fuerit in peccato originali concepta, item quod Eva non contraxit peccatum originale ab Adam.

Undecima propositio : *Beatam virginem Mariam et Dei genitricem non contraxisse peccatum originale est expresse contra fidem.* Revocanda est tanquam falsa, scandalosa, presumptuose asserta, et piarum aurium offensiva.

Duodecima [propositio] : *Tantum est contra sacram scripturam unum hominem esse exemptum a peccato originali preter Christum.*

a) conforme, *Bal.*

sicut si decem homines de facto ponerentur exempti. Revocanda est tanquam falsa, scandalosa, presumptuose asserta, et piarum aurium offensiva.

Tredecima propositio : *Magis est expressum (a) contra sacram scripturam beatam virginem non esse conceptam in peccato originali quam asserere ipsam fuisse simul beatam et victricem ab instanti sue conceptionis vel sanctificationis.* Et postquam probavit correlarium, dixit (*b*) quod pari modo videretur posse dici quod magis est expressum et... (*c*) quam ipsam fuisse unitam ypostatice. Revocanda est tanquam falsa, scandalosa, presumptuose asserta, et piarum aurium offensiva sicut precedentes.

Quartadecima propositio : *In expositione sacre scripture, sive determinando per Ecclesiam, sive declarando per doctores, sive excipiendo per quemcumque, de scriptura sacra et non aliunde trahenda est determinatio, declaratio, sive exceptio; sicut in gram[m]atica que regulas ponit, in eadem exceptio reperitur.* Revocanda est tanquam falsa et erronea, si intelligatur quod expositio vel (*d*) exceptio sit trahenda expresse et explicite ex scriptura sacra et non aliunde, prout videtur pretendere. Aliter regula non esset ad propositum suum, quia multe sunt contra eam (*e*) instantie, sicut de ista : « Omne quod in os intrat per secessum emittitur ». « Omnes a minimo (*f*) ad maximum (*g*) avaricie student ». « Nemo ascendit in celum nisi qui descendit filius Dei. » [995] Sidixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus et veritas non est in nobis. Preterea ista regula detrahit determinationibus et usibus Ecclesie catholice. Ex revelatione enim seu ex inspiratione divina et ex instructione apostolorum in primitiva Ecclesia multe expositiones sacre scripture sunt tradite. « Sunt autem et alia multa que fecit Jhesus; que si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere eos qui scribendi sunt libros. » *Johannis ultimo [capitulo].*

Super quibus propositionibus sic in forma per Universitatem Parisiensem ad requestam dicte facultatis theologicie reverendo in Christo patri episcopo Parisiensi, ordinario judici in hac parte, judicialiter ex[h]ibitis, factoque super hiis processu anno eodem Domini die veneris in festo beati Bartholomei xxiiij mensis augusti, hora prime, in aula episcopali Parisiensi, presentibus (*h*) reverendo patre domino Ferrico [episcopo] (*i*) Antissiodorensi, magistro Yvone Helye tunc

a) expresse, *Bal.* — *b)* omis par *Bal.* — *c)* trou dans le parchemin. — *d)* aut, *Bal.* — *e)* eum, *Bal.* — *f)* maximo, *doc.* — *g)* minimum, *doc.* — *h)* presente *Bal.* — *i)* Cassinelli, ajouté par *Bal.*

rectore Universitatis prefate, et magistro Symone Freron succentore ecclesie Parisiensis, aliisque quamplurimis per eumdem reverendum patrem episcopum Parisiensem lata est sententia per hunc modum. Habita diligenti et matura deliberatione cum peritis ordinamus et districte precipiendo mandamus quatinus nulli de cetero presumant predictas propositiones **xiiiij** aut aliquam ipsarum dogmatizare, publicare, predicare, affirmare, aut sustinere, vel defendere publice vel occulte. Alioquin in omnes et singulos rebelles et inobedientes et contra hujusmodi ordinationem nostram venientes ex nunc, prout ex tunc, sententiam excommunicationis proferimus in hiis scriptis, et ipso facto volumus eosdem ipsam sententiam excommunicationis incurrire, necnon auditores earumdem prefata sententia volumus innodari nisi infra octo dies aut quam cito commode fieri poterit attenta distantia locorum a tempore auditionis, dogmatizationem, publicationem ut supra nobis [996] aut officiali nostro revelent et detegant. Salva semper in omnibus Sancte Sedis apostolice ordinatione, reverentia et honore. Cujus sententie absolutionem nobis specialiter reservamus. Et hanc presentem ordinationem nostram volumus et precipimus publice et solemniter in sermonibus et (*a*) scolis legi et manifestari. Contra vero personam ipsius magistri Johannis de Montesono, si apprehendi possit, ad arrestationem et incarcerationem et examinationem, invocato ad hoc, si opus est, auxilio brachii secularis, et alias secundum juris remedia procedemus.

CCXXIX

SENTENTIA¹ EXCOMMUNICATIONIS LATA AVENIONE CONTRA FRATREM JOHANNEM DE MONTESONO ET EJUS FATORES ANNO MCCCLXXXIX DIE XXVII JANUARII, ET FULMINATA PARISIIS XVII MARTII.

Universis presentes litteras seu presens publicum instrumentum visuris et audituris.. officialis Parisiensis salutem in Domino. Notum facimus nos die date presentium vidisse, tenuisse et palpassé, ac de

a) in, ajouté par Bal.

1. D'après *M* 67^b, n. 44, original (Archives nationales de Paris). — Ex eodem veteri codice manuscripto facultatis theologicae Parisiensis, *Bal.* — Cf. aussi Denifle et Châtelain, *op. cit.*, p. 506, n. 1567.

verbo ad verbum legi et publicari ad instantiam rectoris et Universitatis Parisiensis fecisse litteras reverendissimorum in Christo patrum ac dominorum cardinalium Guidonis episcopi Penestrinensis, Leonardi tituli Sancti Sixti, et Amelii tituli Sancti Eusebii, eorumque sigillis, ut prima facie apparebat, sigillatas, sanas et integras, et virtute litterarum ipsarum magistrum Johannem de Montesono, ordinis fratrum Predicotorum, in eisdem litteris nominatum, in audientia publica curie Parisiensis, multitudine gentium copiosa inibi congregata, excommunicatum et aggravatum, et omnes sibi participantes, fautores, et consiliarios, seu adherentes in verbis gallicis denuntiasse excommunicatos, candelas^[997] que accensas in signum executionis litterarum ipsarum coram populo extingui fecisse. Quarum litterarum tenor sequitur in hec verba :

Miseratione divina Guido episcopus Penestrinensis, Leonardus tituli Sancti Sixti et Amelius tituli Sancti Eusebii sante romane Ecclesie presbiteri cardinales, judices et commissarii per sanctissimum in Christo patrem et dominum nostrum dominum (a) Clementem divina providentia papam VIJ cause seu causis ac partibus infrascriptis specialiter deputati, universis et singulis abbatibus, prioribus, prepositis, decanis, archidiaconis, cantoribus, scolasticis, precentoribus, et thesaurariis, canonicis cathedralium et collegiarum ecclesiarum, gardianis ordinis fratrum Minorum, prioribus ordinum fratrum Predicotorum, heremitarum Sancti Augustini, et Beate Marie de Monte Carmeli, ceterisque religiosis cujuscumque religionis et ordinis, presidentibus, exemptis et non exemptis, necnon ecclesiarum parochialium rectoribus, vicariis perpetuis, capellanis curatis et non curatis, notariis publicis et tabellionibus per civitates et dioceses ac provincias Cesaraugustanam et Terraconensem in Aragonia et Cathalonia ac per civitates et dioceses Avignonensem, Rothomagensem, et Parisiensem, et aliis ubilibet constitutis, ad quem seu quos presentes nostre littere pervenerint seu fuerint presentate, salutem in Domino, et nostris ymo verius apostolicis firmiter (b) obedire mandatis. Dudum orta questionis materia inter discretum virum.. procuratorem facultatis sacre theologie Universitatis Parisiensis et ipsam Universitatem, ex parte una, et magistrum Johannem de Montesono, in sacra theologia magistrum, ordinis fratrum Predicotorum, Valenticensis diocesis, in Cathalonia oriundum, de et super nonnullis articulis et conclusionibus per ipsum fratrem Johannem preter et contra fidem catholicam, ut pro parte Universi-

a) omis par Bal. — b) omis par Bal.

tatis asserebatur, in suis [998] publicis sermonibus et aliis actibus tactis et publicatis coram reverendo in Christo patre domino episcopo Parisiensi, ab ipsoque domino episcopo et quibusdam pretensis pronunciationibus et gravaminibus aliis dicto fratri Johanni per eumdem dominum episcopum, ut asserebat, illatis ad dominum nostrum papam predictum per eumdem fratrem Johannem contra partem sibi adversam appellato, idem dominus noster papa ad ipsius fratris Johannis supplicationem nobis commisit quod de premissis nos informaremus et alias in (a) causa et causis hujusmodi (b) procederemus, prout in diversis commissionibus nobis factis plenius continetur. Et subsequenter, pluribus propositionibus pro parte dicte Universitatis et requisitionibus in consistorio publico coram eodem domino nostro papa et reverendissimis in Christo patribus dominis cardinalibus et nobis tunc sibi assistentibus contra eumdem fratrem Johannem presentem super hoc factis et propositis, reverendissimus in Christo pater dominus (c) cardinalis Ebredunensis inhibuit eidem (d) magistro Johanni de Montesono de mandato dicti domini nostri pape vive vocis oraculo, ut dicitur, sibi facto quod sub pena reddendi se convictum de et super hiis de quibus inter ipsum et Universitatem Parisiensem lis pendet in romana curia non auderet se absentare ab eadem curia, donec et quoisque de et super dubiis ipsius litis esset per Sedem Apostolicam determinatum, prout in quodam publico instrumento coram venerabili viro magistro Roberto de Freta, legum doctore, sacri palatii causarum apostolici (e) et a nobis ad presentem causam auditore deputato postea exhibito et producto continetur. Et deinde ad audienciam ipsius domini nostri pape deducto quod prefatus magister Johannes de Montesono, spretis mandatis apostolicis supradictis, nec curans finem dicte cause expectare, a curia romana illicientiatus, ut dicitur, recessit post et contra [999] hujusmodi prohibitionem. Et idcirco prefatus dominus noster papa nobis mandavit et commisit vive vocis oraculo quod contra dictum fratrem Johannem per nos, vel alium seu alios a nobis deputatum seu deputatos, deputandum seu deputandos, procederemus, non obstantibus feriis indictis seu indicendis, etiam in mense augusti, in quo tunc eramus, et in quo communiter strepitus causarum propter ferias conquiescit, in causa et causis ipsis coram nobis et aliis, sicut prefertur, pendentibus et etiam quoad omnia que infra secuntur, cum omnibus emergentibus, incidentibus,

a) dicta, ajouté par Bal. — b) ejusmodi, Bal. — c) omis par Bal. — d) omis par Bal. — e) apostolici causarum, Bal.

et dependentiis, et connexis etiam, summarie, simpliciter et de plano, et sola facti veritate inspecta, et absque observatione terminorum, nisi quantum nobis videretur expedire, etiam ad instantiam procuratoris fiscalis, et eo cum procuratore Universitatis adjuncto, et etiam divisim et ex officio, et ad declarationem vel penarum impositionem quas propter arrestum fractum et recessum suum ipse frater Johannes debet incurtere, et que occasione hujusmodi debent et possunt sibi infligi ab homine vel a jure, ipsumque fratrem Johannem et omnes alias sibi adherentes et fautores, et quorum interest vel intererit, citare et citari facere et mandare in curia romana et extra, et etiam dictum fratrem Johannem personaliter per edictum publicum in ipsa romana curia, in locis et diebus de quibus nobis videretur expedire, et per modos per quos ordinaremus, etiam tempore illo in quo vacabat apostolicarum audientia publica litterarum, affigendum, seu etiam publicandum (*a*) et quod hujusmodi citatio fienda per hujusmodi edictum publicum (*b*) in romana curia, ut prefertur, quem citandi modum idem dominus noster papa ex certis causis elegit, et quem servari specialiter et ex certa scientia mandavit etiam absque alia executione perinde valere eamdemque vim et effectum habere et perinde arctare dictum magistrum Jo[1000]hannem sic citatum post lapsum dictorum terminorum unius vel plurium per nos vel alium seu alias loco nostri prefigendorum ac si ad dictum magistrum Johannem citatio ipsa pervenisset et eundem personaliter apprehendisset, et quod etiam contra dictum fratrem Johannem procedere valeamus per nos vel alium seu alias a nobis deputandos in romana curia et extra ad omnem censuram ecclesiasticam (*c*) et invocationem brachii secularis et alias, prout in dictis nostris commissionibus et presertim ultima continetur, et secundum quod justitia mediante nobis videbitur faciendum et quod plenam et liberam habeamus potestatem in facto seu negocio hujusmodi, videlicet omnia faciendi que salva justitia (*d*) in causa seu causis hujusmodi fieri debent et possunt (*e*). Subsequenter vero comparentibus coram nobis et dicto magistro Roberto, auditore prefato, venerabilibus viris magistro Aymone Henrieti, in utroque jure licentiato, fisci domini nostri pape et curie romane, ac Alberto de Mediolano, prefate Universitatis Parisiensis procuratoribus, et instanter requirentibus quatinus contra

a) publicandum, seu etiam..., *Bal.* — *b)* omis par *Bal.* — *c)* ecclesiasticam censuram, *Bal.* — *d)* mediante nobis... salva justitia, *passage omis par Bal.* — *e)* debet et potest, *Bal.*

dictum fratrem Johannem, juxta commissionem et commissiones nobis factas, procedere curaremus, nos, cardinales judices et commissarii predicti, volentes in causa et causis hujusmodi mature procedere, ad ipsorum procuratorum etiam divisim instantiam ad hospitium seu albergariam Johannis de Suessione ad signum de Francia in careria vocata La Bocaria (*a*) in civitate Avignonensi prope cancellum seu libratam reverendissimi in Christo patris domini cardinalis Ebredunensis, in quo hospitio seu albergaria idem frater Johannes hospita[ba]tur et diu inhabitavit, certum nuntium juratum destinantes, sibi injunximus quod si dictus frater Johannes fuisse ibidem seu alias in curia romana inventus, ipsum ex parte nostra citaret ad certum peremptorium terminum competentem, ad dicendum et opponendum quicquid dicere vel opponere vellet contra hujusmodi commissionem ultimam (*b*) nobis factam et in causa et causis hujusmodi alias procedendum, prout de jure. Qui quidem nun[1001]tius juratus iens et postea rediens retulit magistro Roberto de Freta sacri palatii apostolici et presentis [cause seu] causarum auditori predicto quod in eodem hospitio fuit sibi dictum per hospitissam dicte albergarie quod frater Johannes predictus fuerat in dicta albergaria per tres menses et ultra hospitatus et quod de hospitio predicto et (*c*) romana curia recesserat, ut ipsa credebat, die tertia mensis augusti proxime lapsa (*d*). Et ulterius volentes nos de premissis plenius informari (*e*), cum nonnullis personis et fratribus etiam de ordine Predicatorum ipsius notitiam habentibus inquisivimus diligenter. Et quia, ut premittitur, et per informationem quam per dictum magistrum Rober-
tum, auditorem et subdelegatum a nobis ad hanc causam, ut prefertur, deputatum, fieri fecimus diligenter, invenimus ipsum (*f*) fratrem Johannem de curia romana recessisse et se absentasse ab eadem, ideoque eumdem fratrem Johannem de Montesono principalem per nostras citationis litteras peremptorie et per edictum publicum in valvis majoris et fratribus Predicatorum Avignonensium ecclesiarum affigendum citavimus, ut certo peremptorio termino post affixionem et publicationem dictarum litterarum in locis predictis factas idem frater Johannes , personaliter et per se ipsum, compareret in judicio coram dicto magistro Roberto, auditore a nobis, ut prefertur, deputato, hora vesperarum, in hospitio habitationis sue, ad dicendum et opponendum quicquid dicere vel opponere vellet, verbo

a) Seu Bocaria, *Bal.* — *b)* ultimate, *Bal.* — *c)* et *a*, *Bal.* — *d)* preteriti, *Bal.* — *e)* informare, *Bal.* — *f)* dictum, *Bal.*

vel in scriptis, contra commissionem nobis ultimo factam, ut prefertur, necnon ad procedendum et procedi videndum in causa et causis hujusmodi, prout de jure foret procedendum, ad instantiam ipsius procuratoris fiscalis dicti domini pape et ejus curie Romane et procuratoris Universitatis predictorum et cuiuslibet eorumdem, etiam divisim, copia ipsius (*a*) commissionis sibi decreta, si eam habere [1002] voluisse. Loca vero superius nominata tanquam publica et ydonea ad citationem nostram hujusmodi publicandam et citationes alias, de quibus infra sequitur, ad instar edictorum publicorum, que olim in albo pretoris scribebantur, duximus eligenda, que citationes ipsas quasi suo sonoro et patulo judicio publicarent, in quibus modo premisso ipsas affigi decrevimus, cum in audience publica litterarum contradictarum legi vel publicari tunc non possent propter vacationes indictas, ne dictus frater Johannes citationes predictas ad ejus notitiam non pervenisse in futurum valeret allegare, cum non esset verisimile apud ipsum fratrem Johannem remanere incognitum quod tam patenter et notorie apud omnes fuisse publicatum; volentes nichilominus et auctoritate apostolica decernentes, prout idem dominus noster papa voluit et decrevit, quod citationes nostre modo premisso execute eumdem fratrem Johannem taliter citatum artarent et astringerent ac si ipse citationes fuissent dicto fratri Johanni personaliter intimate. In quo quidem termino in judicio coram domino Roberto, auditore predicto, hora vesperarum, in hospitio habitationis sue, ad jura reddendum pro tribunal sedente comparentibus fisci dicti domini nostri pape et curie romane ac Universitatis predice procuratoribus, dictasque citationes reportantibus, ipsiusque fratris Johannis principalis personaliter citati et non comparentis nec aliquid contra commissionem nobis factam dicere vel opponere curantis contumaciam accusantibus, ipsumque per eumdem (*b*) auditorem contumacem reputari potentibus, prefatus magister auditor ipsum fratrem Johannem personaliter citatum et non comparentem, licet usque ad horam debitam expectatum, reputavit, prout erat, quoad actum hujusmodi merito contumacem, et in ejus contumacia ad dictorum procuratorum et cuiuslibet ipsorum instantiam et requisi[1003]tionem eumdem fratrem Johannem de Montesono principalem ad dicendum et allegandum causas justas et rationabiles, si quas haberet, quare non deberet in scriptis excommunicari ex eo et pro eo quia de mandato dicti domini nostri pape arrestatus in curia

a) omis par Bal. — b) omis par Bal.

romana et prohibitus ne de eadem curia recederet donec dicta (*a*) causa, que inter Universitatem magistrorum et scolarium studentium Parisius, ex parte una, et dictum fratrem Johannem, ex altera, tunc pendebat et adhuc pendet indecisa, esset finita, idem frater Johannes, ut dicebatur, arrestum fregit et illicientiatus de eadem curia romana (*b*) recessit, per edictum publicum in valvis seu portis majoris et fratrum Predicatorum Avinionensium ecclesiarum citationis litteras affigendo personaliter citari et citandum esse decrevit, ipsumque personaliter citavimus et peremptorie ad certum peremptorium terminum competentem. In quo quidem termino in judicio coram magistro Roberto, auditore prefato, hora vesperorum, in hospitio habitationis sue, ad jura reddendum pro tribunali sedente, comparentibus fisci dicti domini nostri pape et ejus curie romane ac Universitatis predice procuratoribus, dictasque citationes nostras in dictis valvis publicatas et executas, ut prefertur, reportantibus, dictique fratri Johannis principalis personaliter citati et non comparentis nec causas justas seu rationabiles, quare in scriptis excommunicari et excommunicatus denuntiari non deberet, pro contumacia seu absentia ipsius a curia Romana et contemptu supradictis, dicere seu allegare curantis contumaciam accusantibus, ipsumque sic personaliter citatum contumacem per ipsum magistrum Robertum auditorem reputari petentibus et in ejus contumaciam in scriptis excommunicari excommunicatumque per nostras litteras publice denunciari mandari in curia romana et extra cum instantia debita petentibus, idem magister Robertus, auditor et com[1004]missarius antedictus, eumdem fratrem Johannem de Montesono principalem sic personaliter citatum et non comparentem nec causam justam seu rationabilem quare in scriptis excommunicari non deberet allegare curantem, licet sufficieret et usque ad horam debitam expectatum, reputavit exigente justitia merito contumacem, et in ejus contumaciam ipsum in scriptis excommunicavit et excommunicatum publice nuntiari voluit et mandavit, prout in litteris nostris super hoc confectis plenius continetur. Deinde vero, postquam magistro Roberto de Freta, auditore et (*c*) commissario a nobis deputato supradicto, relatio fide digna facta extitit quod nostre littere denuntiationis sententie excommunicationis supradicte fuerunt in curia Romana et extra (*d*) publicate et in valvis seu portis ecclesiarum majoris et fratrum ordinis Pre-

a) de (sic), Bal. — b) et de curia romana eadem illicientiatus, Bal. — c) omis par Bal. — d) cum instantia, ajoutés par Bal.

dicatorum Avignonensium et Parisiensium successive affixe et legitime executioni debite demandate sic et taliter quod idem frater Johannes de Montesono non potuit neque potest ignorantiam sententie excommunicationis supradicte pretendere vel allegare, die date presentium litterarum nostrarum infrascripta, comparuerunt in judicio coram prefato domino Roberto de Freta, auditore sepedicto, in hospitio habitationis sue, hora vesperorum, ad jura reddendum pro tribunali sedente, discreti viri magister Petrus Vernerii, baccalarius in legibus, in romana curia, et venerabilis viri magistri Aymonis (*a*) Henrieti in utroque jure licentiati ac domini nostri pape et romane curie procuratoris et Johannes Careti, etiam in decretis baccalarius, magistri Alberti de Mediolano, in curia romana et Universitatis Parisiensis supra nominate procuratoris principalis supradictorum substituti procuratores, prout de eorum mandatis in actis cause coram eodem magistro Roberto, auditore, habitis dicitur constare legitimis documentis, et dixerunt et proposuerunt quod frater Jo[1005]hannes de Montesono principalis, suprannominatus, dictam excommunicationis sententiam in eum, ut premititur, promulgatam, post denuntiationem publicam ejusdem in curia romana et extra per nostras litteras publice divulgatam, intimatam et publicatam, per nonnulla spiritu dyabolico tempora sustinuit et adhuc sustinet animo indurato, communionique fidelium se temere ingesserat et ingerebat, ac gregem dominicum sua labe nequiter inficiebat, claves sancte matris Ecclesie visibiliter contempnendo. Quare eumdem magistrum Robertum, auditorem et commissarium, cum instantia debita, requisierunt ut ad penas graviores et sententias alias contra prefatum Johannem de Montesono, principalem, procedere ipsasque sibi infligere et dictis procuratoribus potentibus concedere dignaretur. Prefatus vero magister Robertus, auditor et commissarius, attendens et considerans quod justa potentibus non sit denegandus assensus, et quod parum prodesset obedientia humilibus, si inobedientibus contumacia non noceret, ut eum quem Dei (*b*) timor aut virtus propria ab errore non revocat, saltem coherceat severitas discipline, sententiam excommunicationis in ipsum (*c*) fratrem Johannem latam, ut prefertur, in scriptis aggravandam ipsumque fratrem Johannem, sic excommunicatum, aggravandum fore decrevit, et aggravavit necnon participantes cum eodem fratre Johanne principali ac sibi adherentes, consiliarios et fautores in premissis; monuitque et per nostras pre-

a) Simon, *Bal.* — *b)* omis par *Bal.* — *c)* predictum, *Bal.*

sentes litteras monendos fore decrevit ne eidem in aliquo participant, adhereant, faveant, aut consilium, auxilium sibi prestant, vel favorem, personis et casibus a jure permissis dumtaxat exceptis. Que omnia et singula vobis omnibus et singulis supradictis ac universis Christi fidelibus intimamus, insinuamus et notificamus, et ad vestram et vestrum cuiuslibet ac ipsorum notitiam deducimus per [1006] presentes. Vosque omnes et singulos supradictos et vestrum quemlibet in solidum auctoritate apostolica, qua fungimur in hac parte, primo, secundo ac tertio, peremptorie, tenore presentium, requirimus et moneamus communiter et divisim, vobisque et cuilibet vestrum in virtute sancte obedientie et (*a*) sub excommunicationis pena, quam in vos et quemlibet vestrum canonica monitione premissa ferimus in hiis scriptis, nisi feceritis quod mandamus, districte precipiendo mandamus quatinus vos et quilibet vestrum infra sex dierum spatium immediate sequentium, quorum duos pro primo, duos pro secundo, et reliquos duos dies pro tertio et peremptorio termino ac monitione canonica vobis universis et singulis assignamus, postquam fueritis requisiti, seu aliquis vestrum fuerit requisitus, prenominatum fratrem Johannem de Montesono, principalem, excommunicatum et aggravatum in vestris ecclesiis et monasteriis, singulis diebus dominicis et festivis, feriatis et non feriatis, pulsatis campanis, et candelis accensis et demum extinctis, publice nuntietis seu nuntiari mandetis et faciatis artius a vestris subditis evitari, necnon omnes et singulos, quos lator presentium duxerit nominandos, usque ad numerum quadraginta personarum, de quorum nominibus et cognominibus nos et dictum magistrum Robertum, auditorem et commissarium nostrum, per vestras patentes litteras aut instrumentum publicum, certificare curetis, auctoritate nostra, ymo verius apostolica, moneatis nominatim et expresse sub excommunicationis pena, quos nunc monemus etiam per presentes, ne cum dicto fratre Johanne de Montesono, ut premittitur, excommunicato et aggravato participant seu eidem se conjungant loquendo, consulendo, scribendo, dictando, osculando, stando, sedendo, eundo, comedendo, bibendo, molendinum, ignem, vel aquam seu alia victualia [1007] dando, vendendo, ministrando, parando, aut alias eidem fratri Johanni operas et servitia faciendo, seu quovis modo humanitatis solatio seu communicationis genere participando, personis et casibus a jure permissis dumtaxat exceptis. Alioquin in ipsis et quemlibet ipsorum sic monitos et cum

a) omis par Bal.

eodem fratre Johanne excommunicato post monitionem hujusmodi participantes, ut prefertur, canonica monitione premissa, si sic moniti non destiterint aut desistere non curaverint, lapse sex dierum spatio supradicto in hiis scriptis excommunicationis sententiam proferimus et etiam promulgamus, absolutionem omnium et singulorum qui prefatas nostras et dicti magistri Roberti, auditoris et commissarii, sententias incurrerint eidem magistro Roberto aut nobis vel superiori nostro tantummodo reservantes. In quorum fidem et testimonium omnium premissorum presentes litteras aggravatorias fieri fecimus, sigillique nostri impendentis jussimus munimine roborari. Datum Avinioni, die mercurii xxvij mensis januarii, inductione duodecima, anno a nativitate Domini MCCCLXXXVIIIJ, pontificatus domini nostri pape Clementis VIJ anno undecimo (*a*).

In quorum premissorum testimonium presentes litteras scribi et publicari fecimus, sigillique nostri ac signorum notariorum publicorum subscriptorum appensione muniri. Datum et actum in curia episcopali, nobis sedentibus pro tribunali loco solito dicte curie, anno Domini MCCCLXXXVIIIJ, die xvij mensis martii, presentibus venerabilibus et discretis viris magistris Johanne Fuglais (*b*) et Johanne de Camino (*c*), licentiatis in decretis, Adam de Sancto Amando, Johanne de Valle, baccalariis in decretis, Johanne Milon, magistro in artibus, Galtero de Lingonis, altero promotore curie Parisiensis, Stephano la Caille, notario apostolico, et pluribus aliis testibus ad pre[1008]missa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Rollandus Regis, clericus diocesis Trecorenensis, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius et predicti (*d*) domini officialis Parisiensis scriba, quia prescriptas (*e*) litteras ipsorum dominorum cardinalium in judicio et audience publica (*f*) curie Parisiensis legiet publicari (*g*) vidi et audivi, et ipsum fratrem Johannem de Monteson, ordinis fratrum Predicatorum, excommunicatum et aggravatum publice populo ad hoc congregato, et ad omnia alia per dictum dominum officiale Parisiensem et coram eo agitata, facta et publicata una cum prenominatis testibus presens fui, eaque sic fieri vidi, ideo signum meum solitum huic presenti copie litterarum seu presentibus literis alia manu scriptis hic me, manu mea propria, subscribens (*h*), apposui una cum sigillo curie Parisiensis et ipsius domini

a) sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Clementis VII pape anno undecimo, *Bal.* — *b)* Fuegliaia, *Bal.* — *c)* Caminoso, *Bal.* — *d)* supradicti, *Bal.* — *e)* suprascriptas, *Bal.* — *f)* auditorio publico, *Bal.* — *g)* publicavi, *Bal.* — *h)* subscripsi, *Bal.*

officialis, signare requisitus. *Signatum*, R. Regis, *cum syngrapha*.

Et ego Johannes Cardenis, de Craonna, presbiter, magister in artibus, Laudunensis dyocesis, ac publicus auctoritate apostolica et imperiali notarius, quia de predictis litteris originalibus ad presentem copiam diligentem collationem feci, per quam ad invicem concordare inveni, nil addito vel remoto, ideo signum meum solitum huic presenti copie seu publico instrumento manu propria scripto hic me etiam subscribens apposui requisitus et rogatus. *Signatum*, Cardonis, *cum syngrapha*.

CCXXX

PRIMUM TESTAMENTUM¹ PETRI DE CROSO CARDINALIS
ARELATENSIS. — 27 février 1388.

In nomine sancte et individue trinitatis patris et filii et Spiritus Sancti. Amen. Notum sit universis hoc presens publicum instrumentum inspecturis quod nos Petrus de Croso, Lemovicensis diocesis, miseratione divina tituli Sanctorum [1009] Nerei et Achillei sancte romane Ecclesie presbiter cardinalis, Arelatensis vulgariter nuncupatus, per Dei gratiam sanus mente et corpore, attendentes et pie meditantes quod dum corpus sanitate viget, mens..... pleniori uititur ratione, et quia dum in membris vigor viget corporis, et regit mentem, quam siquidem rationem adeo langor obnubilat ut non solum temporalium rerum, verum etiam..... vehementia oblivisci, melius suprema disponuntur judicia, quibus et animas suffragiis et temporalibus curis patrimonii post presentis vite exitum providetur, idcirco, et quia nichil incertius..... humanas desiderantes..... debitum prevenire, rerum et bonorum omnium nostrorum dispositionem per presens nostrum nuncupativum testamentum seu nostram ultimam voluntatem facimus, ac testamur et disponimus de bonis et rebus nostris, habentes super hoc a sanctissimo in Christo patre et domino nostro domino Clemente divina providentia papa VII plenariam potestatem, prout in litteris apostolicis super hoc confectis per nos ibidem ostensis et per te, notarium publicum infrascriptum, in presentia testium infrascriptorum testis continetur, ordinamus et disponimus in hunc

1. Ex archivo collegii Sancti Martialis Avenionensis, *Bal.* — Ce testament n'existe plus dans les archives du département de Vaucluse.

modum. In primis siquidem animam nostram et corpus nostrum altissimo creatori nostro et beate Marie semper virgini ejus matre, beato Michaeli archangelo, beato Johanni Baptiste, sanctis apostolis Petro et Paulo, et beatis Martiali et Benedicto, ac beatis Nereo et Achilleo, qui titulus mei cardinalatus existunt, ac toti curie celesti devote et humiliter commendamus. Et eligimus sepulturam nostram in ecclesia Beate Marie de Domnis, Avinione, infra capellam in qua est sepultum corpus bone memorie reverendissimi patris domini Johannis de Croso, cardinalis Lemovicensis, germani nostri, et infra tumu[1010]lum seu sepulturam ipsius germani nostri, vel in ecclesia beati Martialis in domo Cluniacensi Avignonis. Et in casu quo sepeliamur in dicta ecclesia Beate Marie juxta germanum nostrum, legamus capitulo dicte ecclesie quinquaginta florenos auri currentes semel solvendos. Et in quocumque loco sepeliamur, volumus sepeliri ut monachus cum stamina et cum arca et uno panno nigro super dictam arcam, et quod in dicto panno sit desuper una crux de panno rubeo. Item volumus et ordinamus quod in die sepulture nostre recipientur centum pauperes pro portando intorticia, quibus detur eorum cuilibet una tunica de panno nigro. Item legamus omnibus et singulis conventibus et ecclesiis qui erunt in sepultura nostra, cuilibet conventui duos florenos currentes, et cuilibet ecclesie alios duos florenos currentes semel solvendos. Item legamus quatuor principalibus hospitalibus hujus civitatis Avignonensis, cuilibet hospitali quatuor florenos currentes semel solvendos. Item legamus aliis hospitalibus dicte civitatis Ayzionensis cuilibet hospitali duos florenos auri currentes semel solvendos. Item legamus pauperibus infirmis domus leprosorum extra portale Sancti Lazari Avignonensis quatuor florenos auri currentes semel solvendos. Item legamus hospitali de Salone, Arelatensis diocesis, decem florenos auri currentes semel solvendos. Et volumus quod omnia legata per nos omnibus hospitalibus supradictis facta convertantur in alimentis pauperum dictorum hospitalium vel pannis emendis pro induendo pauperes eosdem. Item legamus omnibus conventibus monasteriorum monialium civitatis Avignonensis ac Sancti Verani et Sancte Praxedis seu Hispanie prope Avignonem, cui libet ipsorum monasteriorum duos florenos auri currentes semel solvendos. Item legamus sororibus repentisis Avignonibus decem florenos auri currentes semel sol[1011]vendos. Item legamus ecclesie Beate Marie de Miraculis, civitatis Avignonensis, decem florenos auri currentes semel solvendos. Item cum nos per plures annos prefuerimus ecclesie Sancti Papuli et ex ea multa bona habuerimus, loco

indumentorum unius capelle que dare proposueramus capitulo dicte ecclesie legamus eidem capitulo dicte ecclesie quadringentos florenos auri currentes semel solvendos, et quod ipsi debeant perpetuo facere unum anniversarium pro anima nostra in die obitus nostri. Item legamus monasterio Trenorchiensi, ordinis sancti Benedicti, Cabillonensis diocesis, cui monasterio per plures annos prefuimus, et exinde multa bona recepimus, nostram capellam Indiam integrum et unum thuribulum nostrum, non primum, sed secundum, de argento cum....., et vas aque benedicta, et crossam nostram, si ipsa crossa stet tempore mortis nostre. Item cum nos habeamus plures libros, in quibus est scriptum in fine librorum ipsorum de manu domini Guillermi Saxi, presbiteri Lemovicensis diocesis, quorum sint dicti libri, volumus et ordinamus quod ipsi libri restituantur illis quorum sunt. Et volumus etiam et ordinamus quod omnes alii nostri libri vendantur ad opus et utilitatem executionis nostre, nisi alias per nos fuerit ordinatum. Item legamus venerabili capitulo ecclesie Bituricensis, cui ecclesie per plures annos prefuimus, et ex ea multa bona recepimus, quadringentos florenos auri currentes semel solvendos, et quod ipsi debeant perpetuo facere unum anniversarium pro anima nostra in die obitus nostri. Item legamus ecclesie Tutellensi capellam nostram albam cum avibus. Item legamus ecclesie parochiali Sancti Exuperii, Lemovicensis diocesis, baptismali nostre tres casulas, vide-licet unam albam, unam Indiam, et aliam nigram, ad servitium altaris ecclesie Beate Marie virginis, in qua sunt sepulti proge[1012]nitores nostri. Item legamus eidem ecclesie Sancti Exuperii unum calicem ponderis trium marcarum argenti, et unum reliquiare ponderis..... marcarum argenti, et unum missale de nostris. Item volumus et ordinamus quod in die obitus nostri fiant vigilie prout pro dominis cardinalibus est fieri consuetum et exequie nostre, prout executoribus nostris videbitur faciendum. Et volumus quod pro exequiis nostris honorifice faciendis expendantur de bonis nostris mille floreni auri ponderis camere, et quod familiares nostri de hospitio nostro habeant vestes nigras more solito. Item volumus quod stipendia, si que debeantur familiaribus nostris, ante omnia persolvantur eisdem. Et ultra hoc volumus quod detur ipsis familiaribus nostris tantum quantum ascendunt et ascendere possunt stipendia unius anni. Item volumus et ordinamus quod statim post obitum nostrum veissella nostra que erit per executores nostros vendatur pro debitis nostris persolvendis. Verum quia in quocumque testamento necessaria seu opportuna est heredis institutio, in omnibus et singulis aliis bonis nobis a Deo con-

cessis tam per ecclesiam vel ecclesias, vel ab ipsis ecclesiis, vel earum occasione vel ratione quam ex industria nostra vel alias quomodolibet acquisitis vel in posterum per nos usque ad diem obitus nostri acquirendis, in quibuscumque rebus et ubicumque consistant, solutis et completis omnibus et singulis premissis, facimus, instituimus et ore nostro proprio nominamus heredes nostros universales pauperes Christi quos executores nostri infrascripti duxerint eligendos, assumendos, aut etiam nominandos. Executores vero nostros et hujus presentis nostri testamenti seu ultime voluntatis, dispositionis, et ordinationis nostre nominamus, deputamus, eligimus, et esse volumus reverendissimos in Christo patres et dominos miseratione divina Guidonem, Penestrinum, et [1013] Petrum, Sabinensem episcopos, sancte romane Ecclesie cardinales, necnon venerabiles et discretos viros dominos Johannem Sabaterii, decretorum doctorem, sacristam ecclesie Agathensis, Geraldum Mercaderii, prepositum ecclesie Veneciensis, camerarium, Simonem le Fay, canonicum ecclesie Bituricensis, familiares et capellanos nostros; quibus damus et concedimus per hanc nostram dispositionem et ordinationem modo et forma et effectu quibus melius possumus plenam et liberam potestatem et auctoritatem atque licentiam et generale et speciale mandatum omnia et singula predicta per nos ordinata faciendi, complendi et exequandi bonaque nostra omnia pro executione omnium et singulorum predictorum facienda recipiendi, obligandi, vendendi, alienandi, expendendi, et pro predictis et eorum occasione bona, res et pecunias nobis debitas et que nobis poterunt deberi a quibuscumque personis, collegiis, capitulis, et universitatibus, procuratoribus et officialibus nostris, et negotiorum nostrorum gestoribus, et aliis personis singularibus petendi, exigendi, recipiendi, et de habitis, perceptis, necnon de expensis et administratis per dictos procuratores, officiales et negotiorum gestores, auditis eorum computis et rationibus, prout ipsis dominis executoribus videbitur, finem, quitationem, absolutionem, liberationem et pactum de ulterius non petendo faciendi, necnon per se vel alium seu alios agendi et defendendi in quibuscumque curiis et extra, coram quibuscumque judicibus ecclesiasticis vel secularibus, cujuscumque conditionis existant, et quavis sint potestate muniti, libellos dandi, recipiendi, excipiendi, replicandi, et demum faciendi et exercendi omnia et singula que circa premissorum executionem plenariam expedientia fuerint et dictis nostris executoribus videbuntur utiliter facienda, prefatos dominos [1014] executores et fideicommissarios nostros et deputandos ab eis ab

omni satisdationis onere sub nostrorum obligatione honorum quantum possumus relevantes. Et si aliquod aliud seu alia testamentum seu testamenta aut codicillum seu codicillos hactenus fecerimus seu considerimus, illud et illa ac illum et illos revocamus, cassamus, irritamus, et annullamus, et nullius esse volumus firmitatis. Hoc autem nostrum ultimum testamentum nuncupativum seu ultimam nostram voluntatem esse volumus ac tenere et valere jure testamenti seu ultime voluntatis, dispositionis et ordinationis nostrarum, ac etiam melioribus modo, via et forma quibus melius, efficacius, et utilius valere poterunt et debebunt. Ac rogamus et requirimus vos omnes et singulos hic presentes ut de hujusmodi testamento nostro seu ultima nostra voluntate et omnibus et singulis supradictis testes sitis, et demum et quando requisiti fueritis perhibere velitis testimonium veritati. Insuper rogamus et requirimus te, notarium publicum infrascriptum, ut et tanquam publicam et authenticam personam ut de dicto testamento nostro nuncupativo seu nostra ultima voluntate ac omnibus et singulis supradictis retineas conficiasque et facias etiam de qualibet clausula ipsius nostri testamenti, prout tangit vel tangere poterit aliquem seu aliquos in futurum, unum vel plura publicum seu publica instrumentum et instrumenta toties quoties fuerit opportunum et fueris requisitus, quod et que possint et valeant dictari, corrigi, refici, et emendari semel et pluries producta in judicio vel non producta ad dictamen, consilium, et intellectum cuiuslibet sapientis, facti tamen substantia in aliquo non mutata. Acta fuerunt hec Avinioni in hospitio nostro, in camera secreta seu retractus, anno a nativitate Domini MCCCLXXXVIII inductione XI et die xxvii mensis februarii, pontificatus sanctissimi in Chri[1015]sto patris et domini nostri domini Clementis divina providentia pape VII anno decimo, presentibus venerabilibus et discretis viris dominis Johanne Sabaterii, decretorum doctore, Geraldo Mercaderii preposito ecclesie Vencensis, et Simone le Fay canonico ecclesie Bituricensis superius nominatis testibus ad premissa vocatis specia-
liter et rogatis.

CCXXXI

SECUNDUM TESTAMENTUM¹ PETRI DE CROSO, CARDINALIS
ARELATENSIS. — 13 novembre 1388.

In nomine sanctissime et individue trinitatis, patris, et filii et Spiritus Sancti. Amen. Noverint universi presens publicum instrumentum seu presentis..... quod nos Petrus de Croso, miseratione divina tituli Sanctorum Nerei et Achillei sacrosancte romane Ecclesie presbiter cardinalis..... conditioni humane fragilitatis indicta omnes homines mortis judicio inevitabili facultate subegit, quodque omni tempore..... presentis vite terminus appropinquat, nec scit homo quid futura dies paritura sit, cum ejus status sit..... habet diem nostre peregrinationis extremum sit prevenire, rerum et bonorum nostrorum dispensationem..... eterni judicis clementia, apud quem exceptio vel provocatio sibi locum non vendicat, dignetur nobis omissa..... ad illum per quem sunt omnia, et sine quo nichil fieri potest, Dominum nostrum Jhesum Christum, et deinde gloriosissimam et piissimam Dominam nostram virginem Mariam, ejus matrem, almosque confessores beatos Martialem et Benedictum, totamque curiam celestem, ad quam intensis suspiramus desideriis, humiliter recurrendo, in pleno nostre rationis judicio, premissoque venerabili signo sancte crucis, omnibus melioribus modo, jure, via, et forma quibus possumus nostrum presens nuncupativum in scriptis ut sequitur facimus et ordinamus testamentum seu nostram ultimam voluntatem. In primis itaque animam nostram et corpus nostrum altissimo creatori nostro et ejus matri virgini gloriose, beato Michaeli archangelo, sanctis apostolis Petro et Paulo, atque beatis almis confessoribus Martiali et Benedicto, totique curie celesti devote et humiliter recommendamus. Confitemur etiam simpliciter et firmiter credimus sanctam fidem catholicam, individuam trinitatem patrem, filium et Spiritum Sanctum, omnesque articulos fidei sicut et prout sacrosancta mater et apostolica Ecclesia predicit, tenet et docet, ac sanctissimum in Christo patrem et dominum nostrum dominum Clementem divina providentia papam septimum, ipsius Ecclesie sponsum et verum summum pontificem firmiter et inconcusse tenuimus et tenemus,

1. Ex eodem archivio, *Bal.* — Ce testament n'existe plus dans les archives du département de Vaucluse.

et in ejus obedientia et devotione tanquam veri summi pontificis et Christi vicarii stetisse et stare et in illa fide vivere desideramus atque mori. Deinde dicimus, disponimus, volumus et ordinamus omnia et singula que per nos recepta, occupata vel detenta qualitercumque indebita fuerint, necnon debita et clamores quibuscumque personis ex quacumque causa apparere poterit nos juste teneri ad cognitionem..... per nos ordinandorum et nominandorum reddi, restitui, emendari, et de eis satisfieri de bonis nostris integraliter et persolvi. Subsequenter vero..... ad ecclesiam seu collegium predictorum almorum confessorum beatorum Martialis et Benedicti fundatum in ista presenti civitate..... ordinamus ac eligimus corpus nostrum in loco per nos ibidem electo et ordinato sepeliri. Item volumus et ordinamus..... de bonis nobis a Deo [1017] collatis perficiatur, sequendo ipsum opus prout est per nos inceptum. Item volumus et ordinamus..... fiat, sequendo ipsum opus, quedam capella ad honorem et reverentiam beati Stephani protomartyris, supra quam.... de quo est jam factum pretium ad summam mille et trecentorum florinorum auri currentium. Item volumus et ordinamus quod juxta locum sepulture nostre per nos ordinate a parte superiori fiat et edificetur unum altare ad honorem beate virginis Marie, et quod in eodem altari quotidie celebretur una missa per alterum duorum monachorum de Lemovicinio per nos in vita nostra et post obitum nostrum per abbatem Cluniaci in dicto collegio ponendorum, quamdiu vitam duxerimus in humanis, pro animabus sancte memorie dominorum Clementis VI et Gregorii XI, summorum pontificum, et etiam domini fratris nostri bone memorie cardinalis Lemovicensis. Item volumus et ordinamus quod abbas de Cluniaco qui pro tempore fuerit post obitum nostrum teneatur et debeat ponere perpetuo pro orando pro nobis in dicto collegio predictos duos monachos presbiteros de diocesi Lemovicensi, quorum alter sit et esse possit studens in eodem collegio, et alter ipsorum quotidie celebret et teneatur celebrare in dicto altari pro anima nostra et ejus salute, sic quod unus eorum, prout inter se ipsos convenient, habeat et teneatur, ut premissum est, quotidie celebrare et Deum pro nobis exorare. Item volumus et ordinamus quod predicti duo monachi sic pro nobis perpetuo instituendi de bonis prefato collegio per nos datis et concessis seu dandis et concedendis pro eorum vestiario, ultra victum quem habebunt a dicto collegio sicut alii monachi, habeant et habere debeant quolibet anno quadraginta florenos auri currentes, videlicet quilibet viginti florenos, ita [1018] quod dictum collegium nichil aliud pro vestiario eisdem

tradere seu solvere teneatur. Item volumus et ordinamus quod unum hospitale fiat et edificetur de bonis nostris condecenter pro paupe-ribus de Lemovicinio recipiendis ob reverentiam sancti Martialis, pro quo faciendo jam emimus unum hospitium situm prope ecclesiam seu collegium predictum, et de eisdem bonis nostris compleatur. Item..... almorum confessorum beatorum Martialis et Benedicti prefatis collegio et hospitali pro indiviso hospitium nostrum proprium..... juribus et pertinentiis, et cum fructibus, redditibus, et emolumenis ex ipso provenientibus. Item eodem modo legamus..... indivise quod-dam aliud hospitium quod quandam fuit Raymundi de Codoletu situm juxta prefatum nostrum hospitium et per nos.... supradicta hospi-tia regantur et gubernentur per gubernatorem seu procuratorem collegii et hospitalis supradictorum, seu eorum fructus, redditus et emolumenta recipientur et habeantur et in utilitatem ipsorum collegii et hospitalis convertantur. Item legamus, damus et concedimus specialiter et expresse prefato hospitali omnes lectos nostros munitos cum omnibus pertinentiis lectorum et supellectilibus eorum, cujus-cumque conditionis existant. Verum quia in quocumque testamento necessaria seu opportuna est heredis institutio, in omnibus et singulis aliis bonis nobis a Deo concessis tam per ecclesiam vel ecclesias vel ab ipsis ecclesiis seu earum ratione vel occasione quam ex industria nostra, ratione capelli nostri cardinalatus, vel quomodolibet alias acquisitis, vel in posterum nobis vel per nos usque ad diem obitus nostri et post ex eisdem causis vel alias quomodolibet acquirendis, in quibuscumque rebus et ubicumque consistant, sive nobis a qui-buscumque quo[1019]modolibet ex quavis causa seu quibusvis causis debeantur, seu mortis nostre tempore extiterint et debebuntur, juri-busque, actionibus et nominibus quibuscumque nobis competentibus et competituris, quecumque et ubicumque sint et fuerint, ex qua-cumque causa vel titulo sive jure et quocumque nomine censeantur seu nuncupentur, salvis solutis et completis omnibus et singulis pre-missis per nos factis et ordinatis, facimus, instituimus et ore proprio nominamus heredes nostros universales collegium et hospitale supra-dicta. Item in casu quo omnia et singula per nos hactenus facta et ordinata in ecclesia Beate Marie de Miraculis, civitatis Avignonensis, non tenerentur seu observarentur per illos qui ad illa tenentur, omnia et singula, prout ordinavimus ipsa, cassamus, revocamus et annulla-mus. Item simili modo in casu quo predicti duo monachi in collegio prefato per dictum abbatem non ponerentur et ordinarentur pro nobis prout superius est expressum, omnia et singula supra..... facta,

data, concessa, et ordinata penitus cassamus, revocamus et annulamus. Preterea confidentes quamplurimum et firmam fiduciam obtinentes..... pape Clementis VII et de affectu quem ipsum gerere et habere credimus ad nos et specialiter ad ea que nostre salutis respi- ciunt incrementa, volentes etiam..... quanta devotione, quanta since- ritate cordis, quanta simplicitate nos ei tanquam ejus creaturam et anime nostre salutem recommendamus, omnia et singula supra- dicta supponimus et subjicimus dispositioni et ordinationi sue sanctitatis, et volumus et ordinamus quod de ipsis omnibus et singulis disponat et ordinet prout sue sanctitati videbitur faciendum; et ut omnibus hoc innotescat, iterum hoc idem fore ad omnimodam suam ordinationem replicamus. Porro quamquam intendamus et nostre [1020] intentionis existat facere codicillum seu codicillos, illos in pre- senti nostro testamento confirmamus; et hoc volumus esse nostrum in scriptis validum testamentum nuncupativum seu ultimam voluntatem et dispositionem nostram extremam, quod et quam valere volumus jure testamenti vel jure cuiuslibet alterius ultime voluntatis, aut aliis omnibus melioribus modis et formis quibus poterit qua- cumque ratione valere, et omnia alia et singula testamenta seu ultimas voluntates per nos facta et ordinata seu factas et ordinatas ac dispo- sitas hactenus preter contenta in hoc presenti nostro testamento ex nostra certa scientia cassamus, revocamus, et annullamus et nullam volumus habere roboris firmitatem, rogantes et requirentes vos domi- nos infrascriptos ad hec specialiter per nos vocatos et rogatos ut de hujusmodi presenti nostro testamento seu ultima voluntate nostra ac de omnibus et singulis suprascriptis testes sitis, et de supra con- tentis et descriptis, si, quando, et quotiens opus fuerit et requisiti fueritis, perhibere velitis testimonium veritati. Rogamus insuper et requirimus vos notarios publicos infrascriptos ut de his omnibus et singulis retineatis et conficiatis etiam de qualibet clausula, prout tangit vel tangere poterit aliquem seu aliquos in futurum, unum vel plura publicum et publica instrumentum et instrumenta quotiens fuerit opportunum. Acta fuerunt hec Avinioni in domo habitationis nostre, in camera prope capellam hospitii nostri existente, sub anno a nativitate Domini MCCCLXXXVIII inductione XI et die xv mensis novembris, pontificatus prefati domini nostri Clementis divina provi- dentia pape VII anno XI, presentibus reverendis in Christo patribus et dominis dominis Petro, Magalonensi, et Petro, Aniciensi episcopis, ac venerabilibus et religiosis viris dominis Johanne Sabbaterii, decre- torum doctore, auditore, [1021] Geraldo Mercaderii, camerario supra-

dicti domini cardinalis, fratre Geraldo la Rocha, ordinis Predicatorum, et dicti domini nostri pape minore penitentiario, Raymundo Rabasse priore de Tornaco, Nemausensis diocesis, et Hugone Tornatoris priore prioratus de Benteriis, Diensis diocesis, et discretis viris magistro Johanne Choati, scriptore litterarum penitentiarie dicti domini nostri pape, Guillelmo Bertini et Petro Balene, dicti domini cardinalis cubiculariis, et pluribus aliis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Sequuntur subscriptiones notariorum, quas omisimus ut inutiles.

CCXXXII

TESTAMENTUM¹ REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS ET DOMINI
DOMINI ANGLICI, EPISCOPI ALBANENSIS CARDINALIS. — Avignon,
11-14 avril 1388.

In nomine sancte et individue trinitatis patris et filii et Spiritus Sancti. Amen. Quia humanae nature conditio statum habens labilem quasi flos egreditur et conteritur, fugitque velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet, merito circa divine legis precepta intenta mente vigilare debemus, quoniam horam qua Dominus noster venturus est penitus ignoramus. Hiis igitur provida meditatione pensatis, ego Anglicus Grimoardi, miseratione divina episcopus Albanensis, sancte romane Ecclesie cardinalis, in mea bona, firma, sanaque per Dei gratiam existens memoria, licet infirmitate corporali gravatus, ac in mentis revolvens precordiis futuros et inopinatos mortis eventus, quodque nichil morte certius, nihilque incertius existit hora mortis, et propterea visceraliter cupiens diem incertam mei obitus prevenire ac saluti anime mee providere, de bonisque michi a Deo collatis in hac valle mise[1022]rie secundum mei fragilitatem intellectus disponere et ordinare, ne forte, quod absit, quocumque casu contingente decedam intestatus, auctoritate, potestate et licentia specialiter super hoc michi attributam per felicis recordationis dominum Urbanum V, quam per sanctissimum in Christo patrem et dominum nos-

1. Ex archivio Sancti Andreae prope Avignonem, *Bal.* — Ce qui subsiste des archives de Saint-André se trouve aux archives départementales du Gard; le présent document a péri dans le transfert des archives.

trum dominum Clementem VII divina providentia romanos pontifices, ut constat per litteras apostolicas eorum veris bullis plumbeis more romane curie bullatas, non vitiatas nec in aliqua sui parte suspectas, quas per notarium infrascriptum inspici et legi feci de verbo ad verbum, quarum tenores sequuntur per ordinem, et sunt tales :

Urbanus, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Anglico, episcopo Avinionensi, salutem et apostolicam benedictionem. Devotionis tue sinceritas, quam nos olim in minoribus constituti et deinde ad apicem summi apostolatus evecti in negotiis magnis et arduis experientia longa probavimus, promeretur ut votis tuis, in hiis pressertim que tue aliarumque animarum salutem respiciunt, favorabiliter annuamus. Tuis itaque supplicationibus inclinati, ut de fructibus et proventibus ecclesie tue Avinionensis, cui prees, et alterius cujuscumque ad quam forte te transferri, seu cujuslibet dignitatis ad quam assumi, ac beneficiorum quorumlibet que tibi commendari seu de ipsis provideri contigerit in futurum, neconon de bonis que ex industria vel contemplatione persone tue seu quocumque alio modo et undecumque, licite tamen, ad te obvenientibus et in posterum obventuris, possessiones, redditus, proventus, hereditates possessas per laicos, et quelibet alia res et bona emere seu acquirere et appropriare ad certum tempus vel in perpetuum pro tuo arbitrio pro capellis construendis, de ipsisque fructibus et proventibus ac possessiobibus, redditibus, hereditatibus et decimis pro tua et progenitorum tuorum et alio^[1023]rum de tuo genere animarum salute ecclesias seu capellas ac hospitalia et alia pia loca construi facere, ac capellanias perpetuas instituere et ordinare ac dotare, neconon tuam et aliorum de dicto tuo genere exstrui facere sepulturas, ipsaque possessiones, redditus, proventus, hereditates, decimas, ac res et bona per te empta seu acquisita seu eorum partes in illa opera pietatis convertere et deputare ubi, quando et quotiens, ac de summa seu summis quibus tibi videbitur expedire, fraternitati tue plenam auctoritate apostolica tenore presentium concedimus facultatem; non obstantibus quod ordinis sancti Augustini professor existis et apostolicis seu aliis constitutionibus contrariis quibuscumque. Datum Avinioni, iv nonas augusti, pontificatus nostri anno primo [2 août 1363].

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Anglico, episcopo Albanensi, salutem et apostolicam benedictionem. Cum nichil sit quod magis hominibus debeatur quam ut supreme voluntatis liber sit stilus et liberum quod iterum non redit arbitrium, nos tuis

supplicationibus inclinati testandi, ordinandi et disponendi libere de omnibus bonis ad te quocumque titulo sive jure pertinentibus, cuiuscumque conditionis, qualitatis, et quantitatis, seu valoris fuerint, etsi prophana, temporalia sive hereditaria existant, ac illa que ex proventibus ecclesiasticis seu ecclesiis tibi commissis acquisieris, vel alias persone tue aut tui cardinalatus intuitu, ratione seu contemplatione ad te pervenerint et pervenient in futurum, prius tamen de omnibus predictis bonis ere alieno et hiis que pro reparandis dominibus seu edificiis consistentibus in locis ecclesiarum seu beneficiorum tuorum culpa vel negligentia tua seu procuratorum tuorum destructis aut deterioratis, necnon restaurandis aliis juribus earumdem ecclesiarum vel beneficiorum perdebatis ex culpa vel negligentia supradictis, plenam et liberam [1024] tibi licentiam tenore presentium elargimur; non obstantibus quod ordinis sancti Augustini professor existis et quibuscumque constitutionibus seu ordinationibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus dicti ordinis contrariis juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumperit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursum. Datum Avinioni, ydus junii pontificatus nostri anno septimo [13 juin 1385].

Testamentum meum ultimum nuncupativum seu meam ultimam voluntatem, quod et quam in hiis scriptis presentibus redigi facio ad futuram rei geste memoriam, condo, facio et ordino in modum qui sequitur infrascriptum; quod et quam valere volo et perpetuam obtinere firmitatem jure testamenti ultimi nuncupativi, et si non valet jure testamenti, volo quod valeat saltem jure codicillorum seu donationis causa mortis cuiuslibetve alterius ultime voluntatis, eisque modis et formis quibus melius et efficacius valere poterit et debebit. Et si forte aliquod aliud testamentum seu testamento, codicillum seu codicillos, epistolam, voluntatem, ordinationem seu quamcumque aliam dispositionem olim feci aut condidi de bonis et corpore meis in toto vel in parte, ea et omnia et singula in eis contenta, quatenus presenti meo testamento seu mee ultime voluntati obviarent seu obviare possent, sub quacumque verborum forma scripta vel prolata existant, expresse et ex mea certa scientia generaliter et specialiter, ita quod generalitas specialitati non deroget nec e converso, casso, revoco, irrito penitus, et annullo, ac nullius roboris deinceps esse volo, efficacie seu momenti. Et si forte in eisdem vel eorum altero verba

aliqua derogatoria [1025] seu quevis alia que vim verborum derogatoriorum sapient aut videantur sapere dicta vel scripta fuerint aut quomodolibet contineantur, penitet me ea dixisse, protulisse, seu scribi et apponi fecisse in eisdem seu eorum altero, in quantum meo presenti testamento seu ultime voluntati contradicerent seu quomodolibet obviarent; ipsaque in hoc meo ultimo testamento nuncupativo seu mea ultima voluntate scribi et apponi facerem, si recordarer de eisdem. In primis siquidem illam sanctam fidem Christi quam sacrosancta docet, predicat, tenet et observat romana et catholica Ecclesia credens firmiter et simpliciter profitens, ac in ipsa cupiens et intendens finire dies meos, profiteor etiam et publice attestor me firmiter et absque ambiguitate quacumque tenere et credere sanctissimum in Christo patrem dominum Clementem papam septimum verum summum et catholicum pontificem ac pastorem, caput et sponsum legitimum sancte romane ac universalis Ecclesie supradicte. Et quia veritas non debet abscondi sub modio, sed poni super candelabrum et super tecta predicari, ut luceat omnibus recte credere cupientibus, volo, ordino, jubeo atque mando quod quandcumque et quotienscumque opus fuerit, hec presens clausula seu ejus transsumptum de presenti meo testamento per notarium publicum infrascriptum super hoc requisitum sub forma authentica et debita extrahatur et in publicam formam redigatur, ut regibus, principibus, prelatis, communitatibus, universitatibus, singulisque Christianis fides fieri possit quod in hac fidei professione dies meos finire intendo. Deinde vero ad alia progrediens animam meam nunc et quandcumque a mei corporis nexibus eam dissolvi contigerit creatori altissimo et gloriose virginis Marie ejus matri, beatis apostolis Petro et Paulo atque Andree, necnon almo confessori beato Ruffo patrono meo, ac toti curie ci[1026]vium supernorum humiliter et devotissime recommendo. Et quandcumque ab hac valle miserie animam meam migrare contigerit, corpus meum, quod in cinerem reversurum est juxta illud sacri eloquii dictum, *Memento homo quia cinis es et in cinerem reverteris*, sepeliri volo et jubeo in ecclesia venerabilis monasterii prefati patroni mei sancti Ruffi extra muros Valentie, ordinis sancti Augustini, ubi a pueritia educatus sub regula prefati almi confessoris beati Augustini, sacrosancte Ecclesie doctoris eximii, habitum sumpsi quem gesto regularem. Et volo et ordino quod funus sive corpus meum, cum ab anima separatum fuerit, sepeliatur integre et sine diminutione et elevamento quibuscumque ante majus altare ecclesie monasterii supradicti, in illo videlicet loco in quo dyaconus

et subdyaconus officiando in missarum solempniis pedes tenere consueverunt; supra quem locum ad denotationem tumulationis corporis mei unum lapidem magnum, in quo nomen et cognomen mea sine armis cum annotatione sive expressione anni et diei mei obitus latinis litteris sint sculpta, apponi volo, jubeo atque mando. Qui quidem lapis absque ulla supereminencia solo sive terre coequetur taliter quod ejus pretextu sive occasione nullum euntibus seu transentibus per ipsum locum prestetur quomodolibet impedimentum. Item volo, ordino atque mando quod omnia et singula debita mea, clamores et querele contra me aut bona mea sive executionis mee, tempore mei obitus sive ante sive post fiende per quoscumque, exsolvantur penitus per executores meos infrascriptos, videlicet per venerabiles in Christo patres dominos Guillelmum Vilate, abbatem monastarii Sancti Andree, ordinis sancti Benedicti, Avignonensis diocesis, Audibertum de Sado, decretorum doctore, prepositum Tholosanum, et Petrum Olivarii de Falgario, licentiatum in legibus, canonicum A[1027]quensem, camerarium, socios et familiares meos carissimos, et eis vel eorum altero deficientibus vel absentibus, per alios executores meos inferius nominatos, taliter quod querelantes hujusmodi a suis querelis et clamoribus conquiescere merito teneantur. Item volo, ordino, jubeo, atque mando quod familia mea ultra stipendia solita et debita remuneretur de bonis meis sive mee executionis secundum tempus quo quilibet ipsorum servierit et secundum qualitates et merita personarum per dictos abbatem Sancti Andree, prepositum Tholosanum, et Petrum Olivarii, camerarium, juxta arbitrium eorumdem. Item volo et ordino ac precipio quod ultra illa que superius ordinavi de familia mea dentur et realiter solvantur cuilibet famulorum meorum commensalium pro vestibus et loco vestium decem floreni auri semel tantum. Item volo et ordino quod ubi de satisfactione querelantium contra me aut bona mea non constabit, super querelis hujusmodi stetur ipsorum querelantium juramento, quantitate debiti et conditione personarum querelantium prudenter attentis, prout dictorum abbatis, prepositi et camerarii, vel eis ut prefertur deficientibus vel absentibus, aliorum executorum meorum discretioni secundum Deum et justitiam videbitur faciendum. Item volo et ordino quod omnes et singule persone quibus qualitercumque teneor, et de hoc constare non potest, participant et preferantur michi in omnibus bonis que feci et fient pro anima mea in hoc mundo, ut divina clementia misereatur anime mee, et parcat peccatis meis atque suis. Item cum dominus Raymundus de Montealto, miles,

quondam nepos meus, dominus castri et terre de Grisaco, diocesis Mimatensis, in suo ultimo testamento recepto in notam subscriptoque et signato per magistrum Poncium Dominici de Monteclaro, Uticensis diocesis, notarium auctoritate regia publi[1028]cum, sub anno incarnationis Dominice MCCCLXXIII et die septima mensis aprilis ordinaverit quod in ecclesia seculari et collegiata Beate Marie de Bedoesco, dicte Mimatensis diocesis, instituatur una capellania perpetua, in qua seu pro qua unus capellanus in ea legitime institutus perpetuis temporibus celebret missas et alia divina officia in redemptionem anime sue parentumque et benefactorum suorum, cuius quidem ordinationis clausula, prout in dicto testamento continetur, sequitur de verbo ad verbum, et est talis : *Item lego, volo, et ordino quod per predictos dominos meos executores secundum formam per me ipsis vel eorum alteri inferius concessam una capellania perpetua in ecclesia predicta Beate Marie de Bedoesco instituatur, in qua seu pro qua unus capellanus in eadem legitime institutus perpetuis temporibus in sepedita ecclesia missas et alia divina officia celebret in redemptionem anime mee, parentum, et benefactorum meorum, et lego pro ipsa capellania fundanda omnes census, servitia, deveria, usatica, domos, casalia, viridaria, terras cultas vel incultas, heremas et vestitas, prata, pascua, et obedientia, exitus et introitus quoscumque, aquarum cursus, derivationes earumdem et bedalia quecumque, directa dominia, laudimia, trezena, avantagia, et prelationes, et quecumque usatica sive usus, et alia quecumque jura quem, quam, quod, quos, quas, et que habeo seu visus sum habere quoquo modo in locis et parochiis de Bedoesco, de Floriaco, de Cucuresio et de Pruneto, dicte diocesis Mimatensis, jurisdictione omnimoda alta, media et bassa, meroque et mixto imperio heredi meo universalis infrascripto in terra de Grisaco per me instituto reservatis et retentis in eisdem, et volo et ordino, jubeo atque mando quod patronatus et collatio, provisio, presentatio, et spectatio, seu quevis alia dispositio capellanie supradicte pleno jure ad decanum ecclesie predicte Beate Ma[1029]rie de Bedoesco qui nunc est et qui pro tempore fuerit pertineat et spectet, absque retentione quacumque, dum locus juridice advenerit seu fuerit conveniens quoquomodo, cumque idem nepos meus in quodam suo codicillo expost per eum facto in notam sumpto subscriptoque et signato per magistrum Petrum Borderii, publicum domini Francorum regis auctoritate notarium, sub anno incarnationis Dominice MCCCLXXIV et die xvi mensis maii michi plenariam dederit potestatem omnia et singula contenta in testamentis et codicillis suis sive evocationibus heredis vel alterius cujuscumque persone*

mutandi, addendi, minuendi, disponendi, ac ordinandi in toto vel in parte, exceptis illis ordinationibus et legatis per eum factis que tangunt Jacobam, ejus relictam, et heredis institutionem et substitutionem, prout latius continentur in dicto codicillo et evidenter appetit per clausulam super hoc expresse in dicto codicillo appositam, cuius quidem clausule tenor de verbo ad verbum sequitur, et est talis : *Item quod dictus dominus Anglicus possit et per se solum et sine evocatione heredis aut alterius persone ea que continentur in testamentis et aliis codicillis meis mutare, addere, minuere, et disponere, ac ordinare immutando in toto vel in parte juxta libitum sue voluntatis, exceptis illis ordinationibus et legatis per me factis que tangunt Jacobam, uxorem meam, et heredis institutionem et substitutionem, que in se obtineant perpetuam firmitatem*, hinc est quod ego Anglicus, testator prefatus, vigore potestatis hujusmodi predictum legatum sive ordinationem factum seu factam per dictum nepotem meum pro fundatione et dotatione dicte capellanie cum omnibus ab ea dependentibus ex certis causis me rationabiliter moventibus et ex mea certa scientia casso, irrito, revoco penitus, et annullo, ac nullius deinceps esse volo efficacie seu momenti. Et in recompensationem legati si[1030]ve ordinationis hujusmodi et ab ea dependentium lego dicto collegio prefate ecclesie Beate Marie de Bedoesco quingentos florenos auri semel tantum solvendos, ita tamen quod dictum collegium teneatur perpetuis temporibus, salva tamen honestate, celebrari facere unam missam in dicta ecclesia pro anima dicti nepotis mei meaque et parentum ac benefactorum nostrorum. Et volo et ordino, jubeo atque mando quod de predictis quingentis florenis auri idem collegium emat et emere teneatur perpetuos redditus uniendos redditibus dicti collegii pro supportatione oneris dicte misse, et quod dicti quingenti floreni non applicentur seu convertantur nec applicari seu converti quomodolibet valeant in aliis usibus quam in emendis redditibus, ut prefertur. Volo insuper et ordino, jubeo atque mando quod illi centum viginti floreni auri quos dudum dicto collegio de bonis meis dedi et realiter tradidi atque solvi, et pro quibus ipsum collegium oneravi de una missa pro anima mea ac dicti nepotis mei aliorumque benefactorum meorum celebranda, addantur et uniantur cum illis quingentis florenis de quibus supra proxime fit mentio. Quibus quidem centum viginti florenis auri in redditibus annuis, ut premittitur, conversis et ad supportationem oneris misse supradicte per me superioris in dicta ecclesia celebrari ordinate applicatis nolo quod dictum collegium ad dictam missam, ad quam ipsum, ut prefertur, onera-

veram, extunc remaneat obligatum. Et ne hujusmodi pecunia aliis usibus quam supra dictum est valeat applicari seu quomodolibet alienari vel distrahi, volo et ordino, jubeo atque mando eam in una arca sive caxa tribus diversis clavibus claudenda reponi et conservari donec redditus prefati empti fuerint, ut superius ordinavi. Quarum clavium unam decanus, aliam unus canonicus ipsius collegii per ipsum collegium eligendus, [1031] et aliam prior prioratus de Floriaco, dicte Mimatensis diocesis, qui nunc sunt et pro tempore fuerint tenere debeant et diligenter custodire, ita quod per ipsos tres simul aperiatur et claudatur dicta caxa sive arca totiens quotiens fuerit opportunum, donec ex pecunia hujusmodi redditus empti fuerint, ut prefertur. Item cum ego procuraverim et fecerim uniri per dominum nostrum papam dominum Clementem septimum collegio ecclesie Beate Marie de Quesaco, dicte Mimatensis diocesis, prioratum sive ecclesiam Sancti Flori, ejusdem diocesis, pro supportandis oneribus hospitalis pauperum dicti loci de Quesaco per dictum dominum Raymundum de Montealto, dominum de Grisaco, nepotem meum, seu de bonis suis juxta et secundum ejus ordinationem fundati et dotati, quam quidem unionem obtainui non sine magnis expensis propriis et laboribus diversis, eapropter omnia et singula legata, cujuscumque tenoris et conditionis existant, facta eidem collegio de Quesaco per dictum nepotem meum in testamento seu codicillis suis quibuscumque ex mea certa scientia et ex certis causis me in hac parte rationabiliter moventibus ex potestate michi, ut prefertur, per dictum nepotem meum in dicto suo codicillo attributa casso, revoco penitus, et annullo, ac nullius deinceps esse volo efficacie seu momenti, salvis illis dumtaxat que jam soluta et executioni mandata existunt. Et loco hujusmodi legatorum sic cassatorum et in eorum recompensationem dono eis et remitto in perpetuum quicquid expendi pro unione predicta. Item lego dicte ecclesie Beate Marie de Quesaco unum calicem argenti et indumenta sacerdotalia completa : qui quidem calix et indumenta sint valoris inter omnia quinquaginta florenorum auri. Item lego ecclesie Beate Marie de Grisaco, dicte Mimatensis diocesis, septingentos et quinquaginta florenos auri solvendos semel tantum, de quibus in emptione [1032] librorum et indumentorum sacerdotalium ac in reparationem dicte ecclesie et ejus campanilis ducenti floreni convertantur et applicentur. De aliis vero quingentis et quinquaginta restantibus de summa predicta volo, jubeo atque mando emi perpetuos redditus eidem ecclesie uniendos, ita tamen quod prior sive rector dicte ecclesie, qui nunc est et qui pro tempore fuerit, teneatur in

dicta ecclesia perpetuis temporibus unum habere seu tenere. Presbiterum ydoneum sibique in necessariis decenter providere qui cum eodem priore sive rectore in eadem ecclesia in divinis teneatur deseruire missasque quatuor singulis septimanis pro anima sancte memorie domini nostri Urbani quinti meaque ac parentum et benefactorum meorum in eadem ecclesia perpetuo celebrare. Cujus quidem presbiteri presentatio domino de Grisaco et ejus successoribus, insitutio vero ad priorem sive rectorem dicte ecclesie de Grisaco, et ejus confirmatio ad episcopum. Mimatensem, qui nunc sunt et fuerint pro tempore, perpetuo pertineant et spectent. Et ne dicta pecunia aliis quam superius ordinavi usibus applicari distrahique seu quomodolibet alienari valeat, ipsam infra collegium prefatum de Bedoesco in una caxa tribus diversis claudenda clavibus quoisque ea que superius ordinavi venerint ad effectum volo et jubeo fideliter custodiri : quarum clavum unam dictus prior sive rector, et aliam quilibet decanorum dictorum collegiorum de Quesaco et de Bedoesco teneat; sine quorum scientia, consilio et consensu nichil de dicta pecunia expendatur. Item lego omnibus hospitalibus pauperum Christi hujus civitatis Avinionensis, in quibus Christi pauperes recolliguntur seu recipi consueverunt, cuilibet eorum decem florenos auri semel tantum solvendos pro locis dictorum hospitalium reparandis vel de novo emendis; et nolo, immo expresse prohibeo legatum hujusmodi aliis usibus [1033] applicari. Item dono donatione causa mortis domino de Grisaco, dicte Mimatensis diocesis, qui nunc est et suis in perpetuum successoribus in dicta terra de Grisaco castrum de Viridifolio, diocesis Uticensis, cum juridictione et mandamento suis omnimodis ceterisque juribus et pertinentiis suis universis, necnon et omnes et singulos fructus, redditus, preventus, jura, bonaque mobilia et immobilia quecumque, qualiacumque, et quantacumque per me infra dictum mandamentum ac infra civitates et dioeceses Mimatensem et Utensem quocumque titulo acquisitos et acquisita, quocumque nomine nuncupentur, eaque omnia et singula domui mee paterne de Grisaco unio et perpetuo unita esse volo; ita quod per dictum dominum de Grisaco seu aliquem de successoribus suis de predictis sic donatis nichil nulloque unquam tempore quocumque titulo sive causa possit alienari, sed perpetuo remaneant domui de Grisaco antedicte. Item lego collegio Sancti Ruffi Montispessulani, Magalonensis diocesis, per me ad honorem Dei et dicti patroni mei, beati Ruffi, fundato omnia et singula jura et bona mobilia et immobilia quecumque, qualiacumque, quan-

tacumque, et quocumque nomine censeantur, que habeo aut visus sum habere et que ad me pertinent seu pertinere possunt quoquo modo infra ambitum murorum collegii supradicti, sive sint aurum, argentum, jocalia, ornamenta, libri, vasa, supellectilia, domus, curtes, casalia, et alia omnia et singula, cujuscumque conditionis sint, etsi talia sint vel fuerint que non veniant seu venire non debeant nisi per expressum. Item lego eidem collegio Sancti Ruffi omnes et singulos redditus, proventus, census, pensiones, usatica, servitia, directa dominia, laudimia, trezena, jura prelationis, commissionis, atque laudandi et trezenandi, laudimiaque et trezena recipiendi, proprietates, ususfructus, possessiones, jura, emolumenta, res, et [1034] bona quecumque emptos, emptas et empta, seu quovis alio titulo per me acquisitos, acquisitas seu acquisita ubicumque in diocesi Magalonensi et in castro ac territorio de Armasanicis, Nemausensis diocesis, ubicumque existant et quocumque nomine nuncupentur, et hoc in augmentum fundationis et dotationis collegii supradicti; exceptis illis bonis, possessionibus, redditibus, proventibus, et juribus dumtaxat quos, quas et que emi seu acquisivi pro capellaniis dudum per me fundatis et dotatis in ecclesia Beate Marie de Valleviridi, diocesis Nemausensis supradicte, que eisdem capellaniis, prout eis data sunt seu pro earum dotatione assignata, perpetua stabilitate remanere volo. Item lego eidem collegio Sancti Ruffi Montispessulani omnes et singulos redditus, proventus, pensiones, census, usatica, possessiones, ususfructus, et proprietates, et omnia alia bona, res, et jura quecumque, qualiacumque, et quantacumque sint, et quocumque nomine nuncupentur, quos, quas et que emi et acquisivi in presenti civitate Avinionensi ab executoribus testamenti Francisci Barralhi, prout de emptionibus sive acquisitionibus hujusmodi constat publicis instrumentis super hoc confectis. Item lego sepedicto collegio Sancti Ruffi unam magnam domum quam habeo in presenti civitate Avinionensi in magna fustaria ante muros civitatis predice, in qua bladorum, feni, palearum et lignorum provisiones mei hospitii tenere consuevi (quam quidem domum acquisivi titulo emptionis ab executoribus testamenti bone memorie domini cardinalis Urgellensis quondam) que confrontatur ab anteriori et posteriori partibus cum carreriis publicis, et ab alia parte cum hospitio.... et ab alia parte cum quadam modica traversia, et cum suis aliis confrontationibus, si plures habet aut veriores. Item lego eidem collegio domum quam noviter emi in Avinione a Raymundo [1035] Malisanguinis, domicello de Paternis diocesis Carpentoratensis, sitam Avinione in librata mea,

confrontatam ab una parte cum hospitio Johannis Cavalerii, et ab alia parte cum hospitio monasterii Sancti Laurentii Avinionensis ordinis sancti Benedicti, et ab alia parte cum turri dicti monasterii, que est in librata mea, et a duabus partibus cum duabus carreriiis publicis, super qua quidem domo sic confrontata lego dilecte michi in Christo sorori Dalphine Grimoardi, dicti monasterii Sancti Laurentii Avinionensis moniali, quindecim florenos auri currentes de viginti quatuor solidis monete Avinionensis pensionales et pro annua pensione eidem Dalphine singulis annis solvendos quamdiu fuerit in humanis. Item lego super eadem domo dilecte michi in Christo sorori Isabelli de Sinzellis, moniali monasterii Beate Marie de Furnis, Avinionensis, ejusdem ordinis, decem florenos auri valoris supradicti, videlicet de viginti quatuor solidis, pensionales et pro annua pensione eidem Isabelli singulis annis solvendos quamdiu fuerit in humanis, obligans et expresse hypothecans ac obligatam et hypothecatam esse volens eisdem sororibus Dalphine et Ysabelli perpetuo dictam domum et loquerium ejusdem pro dicta pensione eis et cuilibet earum solvenda annis singulis. Item lego supradicto collegio Sancti Ruffi omnia et singula animalia grossa et minuta, bovina, equina, mulatina, ovina, porcina, et quecumque alia, quocumque nomine censeantur, et cujuscumque generis vel conditionis existant, utriusque sexus, que habeo et possideo seu quasi de presenti in locis et territoriis de Sancto Egidio de Valleviridi, alias de Pasqueriis et de Armasanicis, dicte Nemausensis diocesis, necnon in loco et territorio de Melgorio, Magalonensis diocesis; salvo quod boves deputatos per me aut deputandos in loco predicto de Armasanicis pro agricultura beneficii dicti loci de [1036] Armasanicis in legato hujusmodi nolo quoquomodo includi. Item lego sepedicto collegio unam capellam nigram de samito Lucano, quam habeo Avinioni in domo habitationis mee; in qua quidem capella sunt hec indumenta, videlicet una casula, duo pluvialia, due dalmatice, et due tunicelle, et pannus cathedre seu pro cathedra prelati officiantis in divinis; quam quidem capellam ordino et deputo ordinatamque et deputatam esse volo pro divino servitio in dicto collegio faciendo. Item lego memorato collegio Sancti Ruffi Montispessulani ad honorem Dei et pro dicto servitio in ecclesia ipsius collegii perpetuo faciendo unum pulchrum paramentum altaris panni aurei, in quo sunt imagines beate Marie virginis et quorumdam aliorum sanctorum; in cuius quidem panni sive paramenti circuitu sunt arma mea, quod quidem paramentum sive pannum aureum habeo Avinioni infra domum habitationis mee. Item lego eidem collegio

Sancti Ruffi aliud paramentum ejusdem panni parvum, quod ponit
consuevit ante altare, quod habeo in domo habitationis mee predice. Item lego eidem collegio ad decorum et servitium sue ecclesie duo alia pulchra paramenta alba operis Lucani ad decorum et servitium altaris principaliter et specialiter deputata, que habeo Avinioni in domo habitationis mee supradicte. Item lego prefato collegio Sancti Ruffi pro divino servitio in ecclesia ipsius collegii faciendo duo alia paramenta rubea dicti operis Lucani, que habeo in domo habitationis mee predice. Item lego eidem collegio Sancti Ruffi pro servitio sue ecclesie unum frontale panni rubei, in quo sunt imagines deaurate, ad usum, ornamentum sive servitium altaris principaliter et specialiter deputatum. Item lego sepedicto collegio pro servitio dicte sue ecclesie quinque albas paratas cum suis amictis, videlicet pulchriores que reperientur in dicta [1037] domo habitationis mee pro persona mea, per priorem claustralem et sacristam dicti collegii eligendas. Item lego dicto collegio et pro servitio dicte sue ecclesie omnes et singulas mappas quas habeo in domo habitationis mee predice ad usum altaris deputatas. Item lego eidem collegio Sancti Ruffi et pro servitio ejus ecclesie unam crucem argenteam ponderis duodecim marcarum, que est in domo prefate habitationis mee, et est melior quam habeam post unam aliam. Et lego ipsam crucem dicto collegio, sub tali tamen conditione quod nullo unquam tempore vendi, distrahi seu alienari possit, sed perpetuo ibidem remaneat ad Dei honorem et ad decorum ecclesie supradicte. Item lego collegio et ecclesie supradictis ad honorem Dei et servitium ipsius ecclesie tria meliora tapeta que sint et que habeo in domo habitationis mee predice ad electionem prioris et sacriste collegii supradicti. Item lego prefato collegio Sancti Ruffi Montispessulani pro parandis sive ornandis perpetuo parietibus ecclesie ipsius collegii tres pannos de lana operis Anglicani, in quibus sunt animalium et arborum imagines diversorum colorum. Item lego predicto collegio Sancti Ruffi pro ipsius edificiis et retroclaustris perficiendis ducentos frances auri semel tantum solvendos. Item lego sepedicto collegio omnes libros meos quos habeo in Avinione, exceptis legatis et infra legandis. Item lego sacriste dicti collegii Sancti Ruffi quadraginta florenos auri sibi solvendos semel tantum in et super emolumento sive loquerio cuiusdam tabule macelli quam habeo in magno macello hujus civitatis Avinionensis; que confrontatur a duabus partibus cum duabus tabulis macelli heredum Petri Raubati quondam de Avinione, et ab alia parte cum careria publica, et aliis partibus cum aliis suis confrontationibus, si quas habet. Item lego

dictam tabulam macelli et quic[1038]quid juris in ea habeo aut visus sum habere quoquo modo prefato collegio Sancti Ruffi Montispesulani : quam quidem tabulam titulo permutationis cum quodam hospitio quod habebam in magna fustaria hujus civitatis Avinionensis acquisivi a collegio sive a decano et capitulo ecclesie Sancti Agricoli civitatis ejusdem Avignonensis. Item lego monasterio Sancti Ruffi extra muros civitatis Valentie, ordinis sancti Augustini, supradicto unum librum vocatum Catholicon, quem de presenti habeo in domo habitationis mee prefate, ita tamen et taliter quod idem liber nunquam vendi, distrahi seu alienari valeat quoquomodo, sed perpetuo in ecclesia dicti monasterii in loco tuto et congruo maneat catena ferrea alligatus ad instructionem canonicorum dicti monasterii modernorum et futurorum. Item lego eidem monasterio Sancti Ruffi unam capellam de satamino coloris lividi cum aurifriis et imaginibus deauratis, quam habeo in domo habitationis mee predice; in qua quidem capella sunt septem indumenta sive munimenta, videlicet tres casule, duo pluvialia, una dalmatica, et una tunicella; quam capellam ad honorem Dei deputo et deputatam perpetuo esse volo ad servitium ecclesie monasterii supradicti. Item lego monasterio sororum Sancte Crucis de Apta unam Bibliam quam habeo in domo habitationis mee predice; quam Bibliam semper esse volo, jubeo atque mando in ecclesia dicti monasterii, et quod non possit per aliquem vendi, distrahi seu quoquo modo alienari. Item lego dicto monasterio Sancte Crucis pro perficiendis edificiis per me ibidem inchoatis ducentos florenos auri semel tantum solvendos nullisque aliis usibus applicandos. Item lego monasterio Beate Marie de Furnis Avignonensis et Sancte Crucis de Apta supradicto libros quos habeo deputatos ad usum et servitium capelle mee magne, in qua solitus sum [1039] missas audire cum nota; et volo, jubeo atque mando libros hujusmodi ipsis duobus monasteriis equaliter dividi per dictos dominos Guillelmum abbatem monasterii Sancti Andree, Audibertum de Sado prepositum Tholosanum, et Petrum Olivarii, camerarium meum, superius nominatos. Item lego dicto monasterio Beate Marie de Furnis trecentos florenos auri currentes semel tantum solvendos pro emendis vineis ipsi monasterio ex quibus suam habeat vini provisionem; et volo, jubeo atque mando quod hujusmodi pecunia, quamcumque necessitate seu occasione contingente, nullis aliis usibus applicetur. Item lego ecclesie Mimatensi unam capellam albam de opere Lucano cum aurifriis imaginatis; in qua sunt quinque indumenta sive munimenta, videlicet una casula, duo pluvialia, una tuni-

cella, et una dalmatica; in quorum quidem indumentorum quolibet ad perpetuam memoriam apponi volo arma mea. Item lego universitati clericorum dicte ecclesie Mimatensis pro uno anniversario perpetuo die mei obitus in dicta ecclesia pro anima mea parentumque et benefactorum meorum celebrando, prout in similibus est solitum fieri, centum francos auri semel tantum solvendos. Quod quidem anniversarium et diem mei obitus in libro dictorum clericorum ad perpetuam memoriam scribi volo, jubeo atque mando. Et volo et ordino quod si dicti centum franci ad premissa non sufficient, executores mei infrascripti ad dictos centum francos addant et suppleant quod et prout eorum discretioni videbitur faciendum. Item lego ecclesie Beate Marie de Fraxineto de Lozera, dicte Mimatensis diocesis, quedam indumenta sacerdotalia completa valoris viginti quinque florenorum auri pro emendis jocalibus ecclesie supradicte. Item lego eidem ecclesie de Fraxineto unum reliquiarium argenti valoris seu usque ad valorem tredecim florenorum auri cugni et pon-[1040] deris camere apostolice, quia ab ecclesia ipsa dictos tredecim florenos habui et recepi. Item lego ecclesie Sancti Privati de Vallelancica, dicte Mimatensis diocesis, indumenta sacerdotalia completa et unum calicem argenti, que omnia sint valoris quinquaginta florenorum auri, et nullis aliis usibus quam ad dicte ecclesie servitium valeant applicari. Item lego capelle Sancti Petri de Viridifolio, Uticensis diocesis, indumenta sacerdotalia completa et unum calicem argenti, que omnia sint valoris viginti quinque florenorum auri. Item lego prioratu Sancti Petri Diensis, ordinis sancti Augustini, quinquaginta florenos auri semel tantum pro faciendo fieri unam campanam in dicto prioratu ad servitium ejusdem; et volo et ordino, jubeo atque mando quod dicti quinquaginta floreni nullis aliis usibus valeant seu debeat quomodolibet applicari. Item lego ecclesie dicti prioratus Sancti Petri Diensis unum calicem argenti valoris viginti florenorum auri. Item lego ecclesie Sancti Petri de Alpibus, Vivariensis diocesis, indumenta sacerdotalia et unum calicem argenti, que omnia sint valoris triginta florenorum auri. Item lego ecclesie Sancte Cecilie de Endorgia, Uticensis diocesis, duo indumenta sacerdotalia completa valoris triginta florenorum auri, ita tamen quod in presenti legato omnia et singula legata eidem ecclesie dudum facta per dominum Raymundum de Montealto, nepotem meum, supra nominatum, in testamento seu codicillis suis sint inclusa; que quidem legata omnia et singula facta eidem ecclesie Sancte Cecilie per dictum nepotem meum cassa et revoco ex mea certa scientia et ex certis causis me ad hoc rationa-

biliter moventibus, presenti meo legato in suo robore duraturo. Et ita volo, jubeo, ordino atque mando ex potestate michi data per dictum nepotem meum in quodam suo codicillo superius designato, prout superius latius contine[1041]tur. Item lego conventui fratrum Minorum civitatis Mimatensis viginti florenos auri semel tantum solvendos. Item lego conventui fratrum Predicotorum Marologii, dicte Mimatensis diocesis, viginti florenos auri semel tantum solvendos. Item lego conventui fratrum heremitarum sancti Augustini dicti loci de Marologio decem florenos auri semel tantum solvendos. Item lego conventui fratrum Carmelitarum dicte civitatis Mimatensis decem florenos auri semel tantum solvendos. Item lego conventui fratrum Minorum Sancti Illidii , dicte Mimatensis diocesis, decem florenos auri semel tantum solvendos. Item lego conventui fratrum Predicotorum de Ginholaco, Uticensis diocesis, decem florenos auri semel tantum solvendos. Item lego cuilibet ordinis mendicantium hujus civitatis Avinionensis, videlicet Predicotoribus, Minoribus, Carmelitis et Heremitis sancti Augustini, viginti saumatas frumenti semel tantum. Item lego cuilibet monasterio monialium hujus civitatis Avinionensis et territorii ejusdem, cujuscumque ordinis et habitus existant, decem saumatas frumenti semel tantum solvendas. Item lego nobili Amphelize Grimoardi, aliter de Grisaco, nepti mee, unum parvum missale secundum usum Romanum, in quo in mea secreta capella consuevi coram me facere celebrari; quod quidem missale ipsa neptis mea jam tenet et possidet titulo commodati. Item lego eidem Amphelize, nepti mee, indumenta sacerdotalia completa et duos pannos pro paramento altaris et mappas necessarias pro altari ad missas secretas in sua capella celebrandas. Que omnia supradicta volo esse valoris quinquaginta florenorum auri; et nolo ea quoquo modo alienari, sed post mortem dicte neptis mee volo ea pleno jure devolvi ad domum meam paternam de Grisaco pro missis secretis ibidem celebrandis. Item lego eidem Amphelise, nepti mee, omnes et singulos fructus antiquos qui nunc [1042] sunt et erunt tempore mortis mee recollecti in dicta domo mea paterna de Grisaco, ita quod de dictis fructibus ipsa neptis mea teneatur solvere et realiter tradere nobili Raymundo de Aulanheto, domicello Vivariensis diocesis, scutifero meo, quinquaginta florenos auri semel tantum, quos eidem Raymundo lego. Item lego eidem Amphelize, nepti mee, super tota terra de Grisaco centum florenos auri sibi solvendos annis singulis per dominum dicte terre et ejus successores, quamdiu ipsa vitam duxerit in humanis. Et eo casu quo dictus dominus de Grisaco seu

ejus successores in solutione dictorum centum florenorum auri se redderent equaliter difficiles, volo et ordino quod ipsa neptis mea super terra de Princhetis et de Viridifolio dictos centum florenos auri recipere possit; et eos casu predicto, et non aliter, super dicta terra sibi lego. Item lego Urbano et Johanni Senhoreti, alias Grimoardi, fratribus filiisque legitimis et naturalibus domini Petri Senhoreti, militis, quondam domini de Rupe Sancte Margarite, Ruthenensis diocesis, et dictae nobilis Amphelize, nepotulis sive consanguineis meis, quingentos florenos auri semel tantum pro emendis libris juris canonici vel civilis, in quibus ipsi nepotuli mei studeant et addiscant. Et volo, jubeo atque mando, et quantum possum inhibeo quod dicti quingenti floreni nullis aliis usibus applicentur seu convertantur. Volo insuper et ordino ac quantum possum prohibeo quod dicti libri per dictos Urbanum et Johannem seu quemvis alium vendi, distrahi seu quovis modo alienari non possint, sed post ipsorum fratrum mortem ad domum meam paternam de Grisaco pleno jure devolvantur, pertineant et spectent, et quamdiu durabunt, clerici dictae domus studeant in eisdem. Et si forte, quod absit, non essent clerici de dicta domo, volo eos accommodari clericis propinquioribus ipsi domui in gradu consan[1043]guinitatis, sic quod perpetuo eorum proprietas et dominium ad dictam domum de Grisaco pertineat et spectet. Item lego eisdem Urbano et Johanni Senhoreti, nepotulis sive consanguineis meis, omnes et singulos libros meos juris canonici quos habeo Avinioni in domo habitationis mee. Et etiam lego eisdem nepotulis meis de aliis libris meis quos habeo in domo dictae habitationis mee, illos videlicet et de illis quos abbas Sancti Andree, prepositus Tholosanus, et camerarius superius nominati eis noverint fore magis opportunos. Item de arreragiis que michi debentur et debebuntur tempore mortis mee per quoscumque de fructibus, redditibus, proventibus seu emolumentis canonicatus et prebende ac decanatus Eboracensis canonicatusque et prebende meorum Lincolnensis ecclesiarum lego cuilibet dictarum ecclesiarum pro rata portionis sue quartam partem dumtaxat pro reparationibus domorum dictorum beneficiorum. Secundam vero quartam partem dictorum arreragiorum lego cuilibet dictarum ecclesiarum pro rata sue portionis pro emendis ornamentis ipsis ecclesiis et cuilibet earum vel in aliis usibus convertendam ad utilitatem ipsarum ecclesiarum juxta ordinationem capitulorum earumdem, ita tamen quod dictorum capitulorum quodlibet teneatur perpetuo facere unum anniversarium in die mei obitus pro salute anime mee parentumque et benefactorum meorum; et volo et ordino

quod dictum anniversarium ad perpetuam rei memoriam scribatur in libris dictorum capitulorum sub die dicti mei obitus, prout in talibus fieri consuevit. Tertiam vero quartam dictorum arreragiorum lego amore Dei pauperibus Christi dictarum civitatum Eboracensis et Lincolniensis per episcopos dictarum civitatum seu eorum vicarios in spiritualibus, videlicet per quemlibet eorum in civitate sua, ergandam et distribuendam. Reliquam [1044] vero quartam partem dictorum arreragiorum lego camere apostolice pro solutione debitorum Ecclesie romane; quam quidem quartam partem nolo in aliis usibus applicari seu converti. Item volo et ordino quod de quibuscumque arreragiis aliorum beneficiorum meorum ubicumque existentium, que tempore mortis mee michi debebuntur, fiant tres partes; quarum unam lego camere apostolice arbitrio dicti domini nostri pape in utilitatem romane Ecclesie applicandam sive distribuendam, secundam vero partem lego fabrice ecclesie cuiuslibet dictorum beneficiorum in reparationem domorum, librorum et vestimentorum dictorum beneficiorum convertendam. Et si de hujusmodi parte aliquid superfuerit, totum id distribui volo, mando, et ordino pauperibus Christi in loco hujusmodi beneficii seu beneficiorum per diocesanum seu alium ad hoc per eum deputandum. Tertiam vero partem dictorum arreragiorum lego pauperibus Christi distribuendam in loco cuiuslibet dictorum beneficiorum per diocesanos locorum ubi sita existunt vel alias ad hoc per ipsos specialiter deputandos. Item lego domino Poncio Loberie, preposito Tholonensi, cubiculario et socio meo, unum missale secundum usum Romanum, cum quo in mea magna capella misse consueverunt continue celebrari. Item lego eidem domino Poncio Loberie quedam indumenta sacerdotalia coloris viridis que sunt pro persona mea. Item lego prefato domino Poncio Loberie unum calicem argenti cum quo in mea capella secreta consuevi communiter celebrare et facere celebrari; qui quidem calix ponderat sex marcas argenti vel circa. Item volo et ordino quod prefatus dominus Poncius Loberie, prepositus Tholonensis, socius et cubicularius meus, recipiat de bonis meis et executionis mee usque ad summam trecentorum florenorum auri, quos per eumdem distribui volo ubi sibi videbitur, quia [1045] super hoc est de intentione mea plenarie informatus. Item lego et do duabus filiabus majoribus sive antiquioribus magistri Johannis Lenc, barbitonoris et familiaris mei, pro earum matrimonio sive ingressu religionis, videlicet euilibet earum quinquaginta florenos auri semel tantum solvendos, ita quod si post mortem meam quandcumque non superesset ex dictis filiabus nisi una, et

illam superstitem matrimonio copulari aut religionem ingredi contingat, volo, jubeo atque mando illi soli superstiti, quandocumque religionem ingredietur aut matrimonio copulabitur, centum florenos auri erogari. Deficientibus autem, quod absit, ipsius magistri Johannis omnibus filiabus, eidem magistro Johanni, si superfuerit, vel eo deficiente, Bitrelle uxori sue, et casu quo neuter eorum superesset, eorum filiis ex eis carnaliter procreatis qui tunc supererunt, dictos centum florenos auri lego darique jubeo atque mando. Item lego Nicolao Laurenchi de Aptia quinquaginta florenos auri semel tantum. Item lego domino Raymundo Chalmelli, physico et familiari ac socio meo, quatuor de libris meis eligendos per dictos dominos Guillelmum, abbatem Sancti Andree, Audibertum, prepositum Tholosanum, et Petrum Olivarii, camerarium, executores meos, et secundum arbitrium eorumdem. Item lego executoribus testamenti bone memorie domini Petri cardinalis Hispani ultimo defuncti, cuius corpus sepultum est in ecclesia monasterii Montisfaventii, ordinis sancti Augustini, Avinionensis diocesis, centum florenos auri semel tantum pro exoneratione debitorum executionis prefate. Item volo et ordino quod executores mei infrascripti ad tollendum omnem scrupulum conscientie mee satisfaciant sive dent de bonis meis Stephano Barralhi de Avinione, qui contra me et bona mea multotiens querelavit, prout eis videbitur rationabiliter faciendum. Item volo [1046] et ordino, jubeo atque mando quod ad nominationem abbatis monasterii de Intermontibus, ordinis sancti Augustini, Gebennensis diocesis, qui nunc vel fuerit pro tempore, recipiatur pure et libere in collegio Sancti Ruffi Montispessulanii supradicto et in numero canonicorum inibi studentium aggregetur per priorem dicti collegii seu alium ad quem spectabit unus canonicus dicti monasterii de Intermontibus de dicta Gebennensi diocesi oriundus, et eo abinde recedente per lapsum temporis super hoc statuti seu aliter quoquo modo aut forsitan decedente, unus alias diocesis et monasterii predictorum ad nominationem seu presentationem ejusdem abbatis in dicto collegio recipiatur et aggregetur, ut est dictum, ita quod perpetuis temporibus sit in dicto collegio unus studens canonicus de monasterio et diocesi supradictis, constitutionibus seu statutis dicti collegii, quas in omnibus et per omnia idem canonicus servare teneatur et eis gaudere in omnibus et per omnia sicut ceteri canonici ibidem studentes servare tenentur et gaudent, non obstantibus quibuscumque. Item attendens et considerans quod dudum me constituto vicario generali in partibus Italie pro sancte memorie domino nostro domino Urbano V et sancta romana

Ecclesia, dum in civitate Bononiensi presidebam, homines ipsius civitatis et communitatis Bononiensis adducentes seu portantes michi ligna pro domus mee provisione non habuerunt a me seu dispensatoribus dictae domus mee pro singulis quadrigatis lignorum nisi dumtaxat quindecim solidos Bononienses et expensas victualium in dicta domo mea, cumque michi videatur prefatis hominibus de dictis lignis modo predicto solutis non fuisse sufficienter satisfactum attenta dictae patrie conditione, eapropter in recompensatione ejus quod deest de vera et justa satisfactione dictorum lignorum et aliorum in quibus eis teneri possum, [1047] de quibus non recordor, lego communitatibus laicorum civitatis et communitatis predictorum quingentos florenos auri semel tantum solvendos, distribuendos inter dictas communitates pro rata secundum quod plura ligna in dicta domo mea portaverunt, super quo prefatus dominus Poncios Loberie, socius et cubicularius meus, est plenarie informatus. Item donationem dudum per me factam de castro et terra de Grisaco, dictae Mimatensis diocesis, cum juribus et pertinentiis suis universis nobili Grimoardo Grimoardi, alias Senhoreti, filio naturali et legitimo domini Petri Senhoreti quondam militis domini castri de Rupe Sancte Margarite, Rutheensis diocesis, et Amphelize Grimoardi, neptis mee, supra nominatorum, prout in instrumento super hoc in notam recepto per Bertrandum de Cazis, notarium publicum infrascriptum, latius continetur, et omnia et singula in hujusmodi instrumento contenta sub modis et formis, conditionibus, retentionibus et clausulis in ipso instrumento contentis plenam obtainere volo roboris perpetuo firmatatem. Item quia reverendi patres et domini mei domini cardinales, executores mei infrascripti, circa inventarii bonorum meorum confectionem nimium laboribus gravarentur, eapropter volens ipsos ab hujusmodi laboribus relevare, volo et ordino quod prefati domini Guillelmus abbas, Audibertus propositus, Petrus Olivarii, camerarius, et Poncios Loberie, socii et familiares mei, vel, eis deficientibus, reverendus in Christo pater abbas monasterii Sancti Ruffi supradicti et venerabilis ac religiosus vir prepositus ecclesie Beate Marie de Dompnis Avinionensis, qui nunc sunt et fuerint pro tempore, in continentia post mortem meam, quando eis videbitur expediens, faciant et facere possint inventarium de bonis meis, non vocato herede meo infrascripto nec etiam expectato seu alia persona quacumque. Item volo, jubeo, ordino [1048] atque mando quod ipsa eadem hora qua, Domino permittente, animam meam carnis carcerem egredi contigerit elegantur per dictos dominos Guillelmum abbatem, Audibertum p. epositum,

et Petrum Olivarii, camerarium, executores meos, decem presbiteri probi et honesti viri religiosi vel seculares, prout ipsis executoribus videbitur, qui per triginta dies a die mei obitus immediate sequentes et continue computandos missas de Requiem in ecclesiis ubi ipsis executoribus meis placuerit singuli ipsorum singulis dictorum triginta dierum habeant et debeant celebrare et Altissimo creatori nostro sanctissimam oblationem facere et preces humiles et devotas ad ipsum effundere pro salute anime mee parentumque et benefactorum meorum : quorum quidem presbiterorum singulis dentur de bonis meis amore Dei quolibet dictorum triginta dierum duo grossi argenti vel scilicet tantum quantum dicti executores mei arbitrabuntur sufficere uni honesto presbitero ad victimum unius diei. Item volo et ordino quod si contingat me mori in presenti civitate Avignonensi, corpus meum deponatur in ecclesia Beate Marie de Dompnis Avinioresis donec et quousque commode portari valeat ad monasterium Sancti Ruffi supradictum, ubi meam elegi sepulturam, prout superius continetur ; in qua quidem ecclesia Beate Marie de Dompnis exequias meas fieri volo, jubeo atque mando, casu quo in dicta civitate Avignonensi decedam, ut prefertur. Item volo et ordino quod die depositionis modo quo supra fiende de dicto corpore meo induantur de bonis meis sive executionis mee centum pauperes Christi panno bruno, qui dictum corpus a domo habitationis mee usque ad dictam ecclesiam associent portantes faces sive torticia cerea in manibus suis ardentes ponderantes prout meis executoribus videbitur faciendum. In ceteris autem universis et singulis bonis meis mobilibus [1049] et immobilibus seque moventibus ac juribus et actionibus quibuscumque que ad me pertinent aut pertinere possunt seu pertinere poterunt quomodolibet in futurum, quecumque, qualescumque, et qualiacumque, quantecumque, quantacumque, et ubicumque sint vel fuerint, et quocumque nomine censeantur, heredem meum universalem facio, instituo, et ordino, ac ore meo proprio nomino et esse volo collegium Sancti Ruffi Montispessulani supra nominatum, et volo, jubeo, precipio atque mando quod in seu de legatis et aliis ordinationibus supra per me factis nichil penitus detrahere seu addere valeat dictum collegium quomodolibet seu mutare. Ut autem omnia et singula superius per me legata et ordinata debite executionis consequantur effectum, facio, ordino et constituo meos et presentis mei ultimi testamenti seu mee ultime voluntatis executores et subexecutores eis melioribus modis et formis quibus melius et efficacius possunt, videlicet reverendissimos in Christo patres et dominos meos carissimos dominos Petrum Por-

tuensem, alias Florentinum, Guidonem Penestrinum, alias Pictavensem episcopos, Guillelmum, tituli Sancti Stephani in Celio monte, vocatum vulgariter de Agrifolio, Petrum, tituli Sancti Marci, alias Ebredunensem, Fayditum, tituli Sancti Martini in montibus, alias Avinionensem, et Amelium, tituli Sancti Eusebii, alias Convenarum presbiteros, Hugonem, Sancte Marie in Porticu, vulgariter nuncupatum de Sancto Martiale, et Guillelmum, Sancti Angeli dyaconos sancte romane Ecclesie cardinales, necnon prefatos dominos Guillelmum Vilate, abbatem monasterii Sancti Andree, Audibertum de Sado, prepositum Tholosanum, Petrum Olivarii de Falgario, canonicum Aquensem et camerarium meum, et Poncium Loberie, prepositum Tholonensem; quos et eorum quemlibet visceraliter deprecor et obsecro per viscera misericordie Jhesu [1050] Christi et per aspersionem ejus sanguinis pretiosi quatinus circa executionem presentis mei ultimi testamenti seu mee ultime voluntatis dignentur adhibere diligentiam efficacem. Quibus quidem dominis executoribus et sub-executoribus meis et duobus ex eis plenam, liberam et omnimodam do et concedo potestatem omnia et singula per me ordinata in hoc meo testamento absque dicti mei heredis, curie, judicis, pretoris seu persone cujuscumque auctoritate, consensu, vel licentia super hoc requisitis, quomodolibet petitis vel obtentis exequendi, complendi et perficiendi quecumque debita mea quibuscumque quorum intererit de bonis meis seu mee executionis solvendi et de solutis quitanciam in forma debita nomine dicte executionis mee petendi et recipiendi, ipsaque bona mea seu dicte executionis mee pro solvendo et exequendo ea que superius legavi et ordinavi sua propria auctoritate capiendi, vendendi et distrahendi, et ea que superius legavi tradendi realiter personis quibus ipsa legavi, petendi quoque et recipiendi nomine dicte executionis omnia et singula jura et debita que michi debentur et debebuntur dicte executioni mee tempore mortis mee et ante et post per quascumque personas et ex quacumque causa, compota et rationes a quibuscumque bonorum meorum administratoribus seu gubernatoribus audiendi, eosque quitandi et absolvendi cum pacto de ulterius aliquid non petendo, prout eis videbitur faciendum, unumque vel plures procuratorem seu procuratores nomine dicte executionis mee ad componendum, defendendum pro juribus ipsius executionis et eorum occasione in omnibus et singulis causis motis vel movendis per vel contra quascumque personas ecclesiasticas vel seculares in omni foro ecclesiastico vel seculari et quoscumque actus judiciales exercendum, quos hic haberi volo pro sufficienter expressis,

cillorum aut cuiuslibet alterius ultime voluntatis, et de benignitate et equitate canonum, et alias omnibus via, modo et forma melioribus quibus valere poterit et debebit, nomino, facio, constitue et ordino reverendissimos in Christo patres et dominos meos dominum Petrum, Portuensem, Guidonem, Penestrinum, Nicolaum, Albanensem, Johannem, Ostiensem, Bertrandum, tituli Sancte Potentiane, Johannem, tituli Sancte Anastasie, Martinum, tituli Sancti Laurentii in Lucina, Petrum, tituli Sancti Petri ad vincula presbiteros, Hugonem, Sancte Marie in Porticu, Petrum, Sancte Marie in via lata, et Petrum, Sancte Marie in Cosmedin dyaconos sancte romane Ec[1074]clesie cardinales, reverendos in Christo patres dominos Petrum, archiepiscopum Tholosanum, Johannem, Sarlatensem, Bertrandum, Montis-Albani episcopos, ac venerabiles viros magistrós Johannem Fayditi, decretorum doctorem, canonicum Pictavensem, sacri palatii apostolici et meum auditorem, Guillelmum de Veyraco, canonicum Parisiensem, et venerabilem et religiosum virum dominum Raymundum de Veyraco, licentiatum in decretis, priorem Beate Marie Deaurate Tholose, magistrum Johannem Grandis, canonicum Lemovicensem, camera-rium, et Guidonem de Antissaco, canonicum Convenarum, cubicu-arium meos, et quemlibet eorum. Et volo ac ordino quod duo ex dominis meis cardinalibus supra nominatis, duo autem ex aliis non cardinalibus, omnia et singula premissa per me superius ordinata non obstantibus quibuscumque impedimentis aut contradictionibus heredis mei supra nominati aut alterius cujuscumque libere possint plenarie executioni demandare possintque agere et defendere in judicio et extra nomine mee dicte executionis et procuratores ad hec et alia quecumque necessaria et opportuna constituere quantum eis videbitur expedire. Item volo et ordino quod si forte continget omnes executores predictos decedere quandocumque preter unum executorum premissorum executione non completa, eo casu ille qui supererit solus et in solidum executionem eamdem possit omnino perficere et completere. Et ubi forsitan omnes executores predicti dicta executione non completa decederent, eo casu nomino et ordino executores meos seu hujus mei testamenti auditorem contradictarum domini nostri pape, prepositum majoris et decanum Sancti Agricoli Avinionensis ecclesiarum, et officialem Avinionensem pro tempore existentes, dans eis et duobus ex ipsis plenam et liberam potestatem omnia et singula que de premissis tunc temporis exequenda restarent ple[1075]narie exequendi et alia faciendi quemadmodum et alii supra nominati facere possent. Item quia forte grave posset esse omnibus

dominis meis cardinalibus supra nominatis vacare et intendere circa illa, supplico specialiter dominis meis singularibus dominis Guidoni Penestrino et Bertrando tituli Sancte Potentiane cardinalibus et eorum cuilibet quod si super contentis in testamento meo predicto aliquod dubium oriretur in posterum, vel de necessitate vel expedientia foret super eis vel eorum aliquo aliqua mutatio, minutio vel additio facienda, eo casu dicti domini mei vel eorum alter, alio vero superstite cum duobus aliis meis exēcutoribus non cardinalibus de quibus sibi videbitur, possint hujusmodi dubium declarare, mutareque, minuere, et addere prout fuerit necessarium et opportunum, ceteris dominis cardinalibus coexecutorebus requisitis vel non requisitis. Ipsiſ tamen supplico ut ad declarationem, mutationem, minutionem, vel additionem hujusmodi non procedant nisi propter magnam necessitatem seu expedientiam et anime mee utilitatem hoc viderint fore faciendum. Tenor vero litterarum apostolicarum super licentia testandi confectarum michi Johanni Textoris de Lezis, notario infrascripto, per suprascriptum dominum Guidonem de Antissaco executorem testamentarium traditarum, de quibus superius extitit facta mentio, sequitur, sub his verbis. *Urbanus, etc.* De quibus omnibus et singulis suprascriptis prefatus quondam dominus cardinalis de Agrifolio testator petiit fieri unum et plura publica instrumenta per magistrum Petrum Thierrardi de Stronno, notarium supra et infrascriptum, rogans et requirens idem dominus testator testes infrascritpos ut de premissis perhiberent testimonium veritati. Acta sunt premissa Avinioni in domo habitationis ejusdem domini cardinalis testatoris et in camera sua anno a nativitate Domini nostri Jhesu Christi MCCCXCIV, indi[1076]ctione secunda et die xxiv mensis septembris, Apostolica Sede vacante, presentibus venerabilibus et religiosis viris fratribus Petro Gront, priore, ac Gaufrido Michaelis, monacho dōmus seu conventus de Gentilino, ordinis Celestinorum, prope Pontem Sorgie, Avignonensis diocesis, necnon dominis Petro la Gacharia, vicario parochialis ecclesie Sancti Laurentii de arboribus, dicte diocesis, Petro de Pugeto, presbitero Lemovicensis diocesis, Johanne Baptista canonico collegiate ecclesie Beate Marie de Miraculis Avignonis, ac magistris Nicolao de Spincuria et Johanne de Hamo, clericis Virdunensis et Remensis diocesum, notariis publicis, habitatoribus Avignonis, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

CCXXXVI

TESTAMENTUM¹ PETRI DE SANCTO MARTIALE, ARCHIEPISCOPI
THOLOSANI. — 17 septembre 1397.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Anno a nativitate ejusdem MCCCXCVII, indictione V, die vero xvii mensis septembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri Benedicti divina providentia pape XIII anno tertio. Cum conditio humane originis post peccatum primi parentis Ade mortem corporalem evadere non potuerit neque potest, nec est qui divinum effugere valeat iudicium, idcirco ego Petrus de Sancto Martiale, non meis meritis, sed sic permittente miseratione divina, archieписcopus Tholosanus, qui pariter prefui Rivensi et Carcassonensi ecclesiis, sanus tamen corpore, mente et spiritu, et per Dei gratiam in meo bono sensu et perfecta memoria existens, attendensque nichil certius morte et incertius ejus hora, et insuper desiderans vitam eternam possidere divina gratia mediante, ac volens de bonis meis disponere et ordinare, [1077] quemadmodum michi licet, meum facio, condo et ordino ultimum nuncupativum testamentum et ultimam et supremam meam voluntatem, prout sequitur. In primis siquidem animam meam commendando Domino nostro Jhesu Christo et beate Marie semper virginis ejus matri, et beato protomartyri Stephano, patrono meo, totique curie civium supernorum, ob cuius quidem beati protomartyris Stephani, patroni mei, reverentiam et honorem ecclesie Tholosane metropolis, cui, licet immeritus, presideo, est fundata, in qua quidem ecclesia coram altari majori ejusdem juxta sepulturam reverendi ac bone memorie domini Johannis de Cardalhiaco Alexandrie patriarche et administratoris quondam predicte ecclesie Tholosane, cum anima mea ab ipsis corporis nexibus fuerit liberata, ipsi corpori sive cadaveri meo eligo ecclesiasticam sepulturam, et ibidem volo funerari, et sub uno lapide sculpto cum armis meis ad modum illius domini patriarche donec audiam vocem tube clangentis : *Surgite mortui, venite ad judicium, possidete regnum quod vobis paratum est ab origine mundi;* cuius quidem regni animam meam et animas omnium fidelium participes faciat qui ut eas sponte redimeret, sua clementia preeunte nasci dignatus

1. Ex archivo ecclesiae Tolosanae *Bal.*; Pièce non retrouvée.

est et mori, cuius regnum et imperium sine fine permanet in secula seculorum. Amen. Ceterum volo, precipio atque mando quod die sive nocte qua migrabo ab hoc seculo, in loco ubi me mori contigerit dicatur officium mortuorum solum cum nota completa; in quo qui-dem officio et per totam diem seu noctem ubi corpus meum usque portetur ad sepulturam remanebit habeantur et cremenat atque ardeant sexdecim tortices cere, quilibet trium librarum, denturque cuilibet capellanorum dictum officium celebrantium duo grossi vel plus juxta arbitrium meorum executorum infra nominatorum. Die vero sepulture mee sint et habeantur sex viginti tortices cere consimilis ponderis, den[1078]turque cuilibet capellanorum tam religiosorum quam secularium quatuor albe, et cuilibet clericorum et pauperum Christi presentium in dicta mea sepultura una alba, provideantque executores mei..... familiaribus meis de pannis planctus et doloris dicta die sepulture mee et de expensis necessariis in victu et aliis alimentis et pro tota novena, prout ipsis executoribus meis videbitur expedire. Item volo atque mando quod qualibet die novene dicatur missa solemnis cum nota, in qua sint et ardeant duodecim tortices, quilibet trium librarum cere. Die vero ultima qua fiet officium dicte novene in dicta ecclesia Tholosana sint et ardeant ad minus sexaginta tortices cere consimilis ponderis aliorum primorum, et dentur et distribuantur inter canonicos, presbiteros, et alias prebendatos ecclesie Tholosane qui erunt presentes in celebratione dictarum missarum in fine ipsius novene semel triginta franci pro eorum labore, et rogent Deum pro anima mea et illorum de quibus intendo. Item in capite anni dicatur una missa solemnis, ubi sint triginta tortices, et distribuantur viginti franci. Item volo et ordino atque mando quod ultra dictas missas dicte novene solemnes dicti executores mei infra dictam novenam faciant dici et celebrari qualibet die dicte novene triginta missas bassas de mortuis pro anima mea et omnium aliorum pro quibus teneor et intendo, per quosecumque capellanos seculares aut religiosos, sicut facilius poterunt reperiri, et dentur amore Dei cuilibet dictorum capellanorum duo grossi argenti, unam partem dictarum missarum infra ipsam ecclesiam Tholosanam, et aliam partem dictarum missarum infra civitatem. Item volo et ordino atque mando quod finita dicta novena dicti executores mei dici et celebrari faciant in dicta ecclesia Tholosana aut alibi ubi presbiteri tam seculares quam religiosi facilius poterunt reperiri, sicut executoribus meis videbitur [1079] expedire, videlicet tria millia missarum bassarum de mortuis infra unum vel duos menses, aut si citius dici

et celebrari poterunt, et insuper dictis et celebratis illis tribus missibus missarum, statim post die sequenti incipiuntur dici et celebrari quilibet die per unum annum quatuor misse etiam basse de mortuis pro anima mea et omnium aliorum pro quibus teneor et intendo infra ecclesiam Tholosanam, cuiuslibet vero capellanorum dictas missas celebrantium pro qualibet missa dentur viginti denarii turonenses, et quod quislibet predictorum dicentium dictas quatuor missas absolut in fine quotidie super sepulturam meam, ut est moris. Anno quoque preterea elapso, et celebratis omnibus missis supradictis, volo et ordino atque mando quod predicti executores mei celebrari faciant trecentas missas de trinitate, totidem de Sancto Spiritu, et totidem beate Marie, et totidem de peccatis, denturque cuiuslibet celebranti dictas missas viginti denarii turonenses, et totidem de omnibus sanctis. Omnia autem et singula per me superius ordinata volo valere jure et ratione funeralium meorum, que precipio indefectibiliter observari et adimpleri per dictos executores meos; super quibus omnibus et singulis quantum possum onero conscientias eorumdem. Preterea quia spiritualia potiora sunt temporalibus et illis preferenda, idcirco de ipsis ad salutem anime mee, parentum meorum, ceterorumque propinquorum meorum, predecessorum archiepiscoporum Tholosanorum..... sociorum, familiarium, et omnium aliorum pro quibus teneor et intendo, lego et dispono prout inferius continetur. Primitus tamen et ante omnia pro securitate et exonerazione conscientie mee confiteor et revelo me habere et tenere a capitulo ecclesie Rivenensis ex gratuito et amicabili mutuo et accommodato quamdam capellam... coloris completam et munitam pro prelato, dyacono, et subdyacono quam eidem capitulo restitui volo atque man[1080]do. Item recognosco et confiteor me habere et tenere a capitulo Carcassone ex gratuito et amicabili mutuo et accommodato quamdam capellam albam pontificaliter munitam in omnibus tam pro prelato quam dyacono et subdyacono, cum duobus pluvialibus ejusdem coloris cum dicta capella et frontale pro cooperiendo cathedram, ac sendalibus consimilis coloris, et alio gremiale de syndone..... Item recognosco et confiteor me habere et tenere a dicto capitulo Carcassone ex gratuito et amicabili mutuo seu accommodato quamdam mitram et crossam argenti cum ejus baculo..... necnon thuribulum et navetam argenti, quibus nunc personaliter utor; quas crossam, mitram, et alia volo quod non possint vendi nec impignorari, sed solum ad usum futrorum episcoporum converti infra civitatem et diocesim dumtaxat Carcassone. Item lego preposito ecclesie Tholosane, dummodo presens

fuerit die mee sepulture, tres scutos semel. Item lego cuilibet canonico beneficiato et non beneficiato dicte ecclesie die mei transitus residenti in eadem dumtaxat aut erunt infra novenam duo scuta semel. Item lego cuilibet capellanorum predictorum prebendarum et residentium in dicta ecclesia Tholosana unum florenum de Francia semel. Item lego fabrice et operi pinnaculi dicte ecclesie quinquaginta francos auri semel. Iteni lego ornamentum altari Beate Marie Deaurate civitatis Tholose decem francos auri semel. Item lego mense cujuslibet conventus Predicatorum, Minorum, Augustinorum et Carmelitarum dicte civitatis sex fratercos auri semel. Item lego mense cujuslibet conventus canonicarum Sanctorum Stephani et Saturnini ac sororum Augustinarum dicte civitatis Tholose sex francos auri semel. Item lego mense cujuslibet conventus sororum Minoretarum et Sancti Romani dicte civitatis Tholose sex francos auri semel. Item lego mense cujuslibet conventus omnium [1081] aliarum sororum monacharum seu religiosarum dicte civitatis, etiam Sancti Cypriani, quator francos auri semel. Et quilibet predictorum conventuum teneatur facere celebrari unam missam solemptem. Item volo, ordino atque mando quod ducenta sextaria frumenti pro anima mea et omnium aliorum pro quibus intendo distribuantur amore Dei, videlicet medietas pauperibus fratribus et sororibus religiosis dicte civitatis, et alia medietas pauperibus verecundantibus dicte etiam civitatis, ad arbitrium executorum meorum eligendis. Item de vino quadraginta pipas si sint tempore obitus mei, distribuendas quatuor ordinibus paupertatum et omnibus sororibus Tholose ad arbitrium dictorum meorum executorum. Item lego operi seu fabrice dicte ecclesie Carcassonensis decem francos auri semel. Item lego cuilibet canonicorum residentium dicte ecclesie unum francum auri semel. Item lego cuilibet capellano prebendato et deservienti in dicta ecclesia Carcassoniensi octo grossos semel. Item lego operi seu fabrice cujuslibet ecclesiarum parochialium Sanctorum Saturnini, Michaelis et Vincentii civitatis et burgi Carcassone unum francum auri semel. Item lego cuilibet rectori dictarum trium ecclesiarum residenti in ecclesia sua, aliter non, et hoc pro faciendo semel tantum unum obitum solemptem pro anima mea in qualibet suarum ecclesiarum tactis et pulsatis campanis, uno semel in dictis missis suis, duos francos auri; quorum unum francum habeat rector, et alias francus distribuatur inter presbiteros qui erunt presentes in dicta missa. Item lego cuilibet bassino animarum purgatorii dictarum ecclesiarum duos francos semel. Item lego mense cujuslibet conventus Predicatorum, Minorum, Augustinorum et Carme-

litarum dicti burgi Carcassone tres francos auri, et eorum quilibet conventus celebrare teneatur unam missam solemnem in dictis conventibus eorumdem. Item lego mense cujuslibet con[1082]ventus sororum Augustinarum, Minoretarum dicti burgi Carcassone duos francos semel. Item lego fratribus Beate Marie de Mercede dicti burgi unum francum semel. Volo tamen et mando quod in qualibet ecclesia omnium predictorum canonicorum, fratrum et sororum ut dicatur semel una missa solemnis cum nota pro anima mea, quam... in aliis missis et orationibus suis dicant recommendationes. Item lego conventui fratrum Cartusiensium de Lupatoria dicte diocesis Carcassone sex francos auri semel. Item lego cuilibet fratrum dicti conventus semel decem solidos turonenses. Item lego cuilibet hospitalium civitatis et burgi Carcassone decem solidos turonenses semel. Item lego centum sextaria frumenti amore Dei pauperibus gentibus locorum temporalitatis ecclesie Carcassone seu eorum valorem. Item lego capitulo ecclesie Sancti Papuli pro duobus obitibus de mortuis per religiosos dicti capitulo pro anima mea semel dumtaxat celebrandis, ultra alias ad quos tenetur dictum capitulum facere celebrari etiam pro anima mea, post decessum meum viginti francos auri in succursum dictorum obituum ad quos tenetur, et non ad alias usus, convertendos. Item lego cuilibet monachorum dicti capitulo amore Dei semel decem solidos turonenses. Item lego decano ecclesie collegiate Castrinovi de Arrio ibidem residenti unum francum auri semel. Item lego cuilibet canonico ecclesie collegiate Sancti Michaelis Castrinovi de Arrio, dicte diocesis Sancti Papuli, residenti in eadem tempore mei obitus, ut celebrent et dicant semel unam missam solemnem de mortuis pro anima mea et omnium pro quibus intendo, decem solidos turonenses semel. Item lego cuilibet capellano in dicta collegiata ecclesia tempore obitus mei residenti et presenti in dicta missa per canonicos et beneficiatos dicte ecclesie celebranda, ut premittitur, quinque solidos turonenses semel. [1083] Item lego dicte ecclesie collegiate unum calicem cum patena ponderis trium marcharum argenti. Item lego ecclesie parochiali loci de Fendelia, dicte diocesis Sancti Papuli, unum calicem cum patena ponderis duarum marcharum argenti. Item lego mense sororum monasterii de Proliano, et quod ipse sorores teneantur facere duos obitus seu facere dici duas missas solemnes de mortuis cum nota pro anima mea et omnium aliorum pro quibus intendo, octo francos auri semel. Item presbitero qui celebrabit dictas duas missas, pro qualibet tres grossos currentes semel. Item lego cuilibet sorori dicti monasterii, ut orent Deum pro

anima mea sex grossos currentes semel. Item lego sorori Beatrici Albajone dicti monasterii, ultra legatum supra sicut aliis sororibus ipsius monasterii..... eidem sorori pertinens, decem francos auri. Item lego capitulo ecclesie Rivenensis in augmentum et juvamen emptionis et acquisitionis fructuum et proventuum seu emolumentorum duorum obituum..... et institutorum in dicta ecclesia Rivenensi, videlicet centum florenos de Francia. Volo tamen et jubeo quod istud legatum malis usibus converti seu applicari non possit. Super quo conscientias et animas omnium personarum dicti capituli onero quantum possum. Item lego cuilibet canonico in dicta ecclesia Rivenensi tempore mei obitus..... francos semel. Item lego cuilibet capellanorum beneficiatorum in dicta ecclesia Rivenensi tempore mei obitus residenti videlicet octo grossos semel, ut in suis missis et orationibus animam meam suscipiant commendatam, octo grossos semel. Item lego cuilibet conventuum fratrum Predicatorum et Minorum dicte civitatis Rivenensis et etiam Augustinorum de Saverduno, diocesis Rivenensis, ut orent Deum pro anima mea, quatuor francos semel. Item lego domino cardinali de Sancto Martiale, germano meo, unum de melioribus libris meis, et ultra remitto sibi [1084] summam ducentorum francorum auri in quibus michi tenetur ex amicabili mutuo, prout constat per litteras obligationis manu sua subscriptas, quas volo sibi tradi libere et redi casu quo reperirentur. Item lego Guidoni de Sancto Martiale, militi, germano meo, centum francos auri semel et meliorem equitaturam meam ad sui electionem, necnon bona omnia et res quascumque, qualescumque, et quantascumque que michi competunt et competere possunt ex successione patris et matris et aliorum parentum meorum, in quibus omnibus bonis paternis ipsum in partiale et singularem heredem instituo. Item remitto et lego sibi omnia in quibus michi teneretur seu teneri posset aut reperiretur tempore obitus mei; et confiteor me nichil de bonis mobilibus ab ipsis genitoribus meis habuisse. Item lego Delphine, uxori dicti domini Guidonis de Sancto Martiale, germani mei, viginti francos semel. Item lego domino Guillelmo de...., militi, consanguineo meo germano, decem francos semel. Item lego Nicolao de Malomonte, nepoti meo, filio quondam sororis mee germane, decem francos semel. Item lego Helene, uxori domini de Boysseriis, consanguinee mee germane, viginti francos auri semel, necnon et meliores almucellam et capam seu clocham meas cum capuciis earumdem quas habebo tempore mei obitus ad sui electionem. Item lego domino Hugoni de Chabanis, militi, consanguineo meo, seu Roberto ejus filio, casu quo eidem geni-

tori suo supervixerit, decem francos auri. Item lego Vidoni de Sanaco, consanguineo meo, viginti francos auri. Item volo quod Leona filia Lucie de Sanaco habeat pro maritando quadraginta florenos de Francia, si ad hoc advenerit. Item lego omnibus aliis personis pauperibus in et de genere meo michi magis propinquis, cujuscumque status et religionis aut conditionis existant, quibus nichil in presentibus legavi, centum francos auri inter omnes numerandos et [1085] distribuendos secundum magis et minus ad arbitrium dicti domini Guidonis de Sancto Martiale, fratris mei, ubi sibi videbitur melius esse dividendum et distribuendum, nichil tamen sibi ipsi applicando, super quo onero conscientiam suam quantum possum. Item lego omnibus monialibus monasterii Bonefontis inter se equis partibus dividendos, et quod teneantur orare pro anima mea et facere semel unum obitum de mortuis, sex francos auri. Item lego ecclesie parochiali Sancti Clari de Argentato, diocesis Tutellensis, unam capellam munitam vestimentis sacerdotalibus cum dyacono et subdyacono cum armis meis et suppositis usque ad summam sexaginta francorum. Item lego pauperibus Christi dicti loci, amore Dei, decem florenos auri de Francia distribuendos eisdem per vicarium et juratum seu operarios dicte ecclesie, ut orent Dominum pro anima mea et omnium pro quibus teneor et intendo. Item lego pro triginta missis in dicta ecclesia celebrandis pro animabus genitorum meorum, et quod dentur pro qualibet missa duo grossi currentes. Item lego ville de Sancto Martiale, ejusdem diocesis, unum vestimentum sacerdotale munitum usque ad valorem triginta francorum auri. Item lego pauperibus Christi dicti loci amore Dei, ut orent pro animabus genitorum meorum, sex francos distribuendos tam in loco quam in parochia. Item lego pro triginta missis in dicta ecclesia celebrandis de mortuis pro animabus supra nominatis, et volo dari pro qualibet missa duos grossos currentes. Item lego ecclesie parochiali Sancti Thomae de Capella de Planis, in qua fui baptizatus, unum vestimentum sacerdotale munitum usque ad valorem viginti francorum. Item lego pauperibus Christi dicti loci quatuor francos distribuendos tam in loco quam in parochia, ut orent Dominum pro animabus jam nominatis. Item lego cuiilibet foco territorii de Sancto Martiale et ea[1086]pelle de Espinassia, super quibus focus domus mea paterna census et redditus recipit et recipere consuevit, quadraginta francos auri distribuendos inter dictos focus super nominatione dicti domini Guidonis fratris mei. Item lego ecclesie...de Espinassia unum calicem cum patena trium marcharum argenti cum armis meis. Item lego domino Vitali de Castromorono, vicario

meo, quinque francos auri. Item lego officiali, thesaurario, procuratori majori, cancellario qui erunt tempore obitus mei, cuilibet eorum, ultra eorum vadia, si que eisdem tunc temporis deberentur, centum solidos turonenses. Item lego camerario, qui etiam erit tempore obitus mei, quinquaginta solidos turonenses. Item lego fratri Bernardo de....., confessori meo, decem francos auri. Item lego fratri Petro Gabardi..... decem francos. Item lego domino Petro Gardesii, fidieli servitori et secretario meo, et in recompensationem et aliqualem satisfactionem suorum servitiorum pro me et negotiis meis impensorum decem francos. Item lego dicto Johanni Gardesii sex francos. Item lego domino Vitali Burgensi quemdam librum meum vocatum Rationale divinorum officiorum et quoddam breviarium grossum ad usum Carcassone ad vitam suam dumtaxat, et post revertatur Rationale heredibus meis infrascriptis et breviarium capitulo Carcassone, et ultra hoc viginti francos. Item lego domino Petro de Veresaco sex francos. Item lego domino Johanni Miletii sex francos. Item lego Raymundo Ferrerii quadraginta solidos turonenses. Item lego magistro capelle mee unum francum. Item lego cuilibet aliorum cantorum meorum unum florenum de Francia. Item lego..... la Nautonia scutifero meo et cuilibet aliorum scutiferorum meorum quibus in speciali nichil legavi et coquo principali et barbitonsori et emptori meis, qui in servitio meo tempo[1087]re mei obitus personaliter aderunt..... quatuor francos. Item lego Jacobo Viguerii, magistro aule mee, viginti francos. Item lego cuilibet aliorum cubiculariorum meorum qui mecum reperientur tempore obitus mei quatuor francos. Item lego Guillelmo de Chabanis, servitori meo, quatuor francos. Item Guillelmo Campechii, antiquo et fidieli servitori meo, lego duos francos. Item lego, ordino..... bajulo, capellano, receptori emolumentorum de Viridifolio, Balmario, Villega et de Montebruno duos francos. Item cuilibet portorio castrorum de Viridifolio et de Balmario unum florenum de Francia. Item lego fornerio meo qui erit tempore obitus mei decem solidos turonenses. Item Guiraldo Ramundi, ejus servitori, lego duos francos. Item volo, ordino et mando quod ultra predicta legata dictorum servitorum meorum distribuantur et dentur servitoribus meis secundum plus et minus qui..... fuerint et indiquerint juxta et secundum arbitrium executorum meorum quatuor viginti franci auri. Item volo atque mando quod ultra omnia legata supradicta dictorum servitorum meorum omnia vadia que unicuique tempore mei obitus veraciter per eorum juramenta debebuntur eis, cuique ipsorum integraliter exsolvantur, et stetur juramentis eorum usque ad unum flo-

renum. Item volo, ordino atque mando quod in redemptionem anime mee et animarum eorum a quibus forsan minus juste ignoranter vel alias recepi dum in ecclesia Rivense presidebam dentur et distribuantur amore Dei triginta franci auri pauperibus puellis maritandis, hospitalibus, viduis et orphanis civitatis et diocesis Rivense ad arbitrium meorum executorum, et totidem franci, videlicet triginta, dentur, distribuantur amore Dei consimilibus personis et eisdem de causis cuiuslibet diocesis et civitatis, videlicet Carcassonensis et Tholosane, ad arbitrium [1088] dictorum executorum meorum. Item dono et remitto omnibus familiaribus meis qui sunt de presenti et fuerunt temporibus retroactis omnia illa que ipsi de bonis meis ignoranter aut scienter me ignorantiae aut inscio receperunt, pro quibus ad restitutionem aut alias, cum inscio aut sine inscio legitime michi teneantur, usque ad centum solidos turonenses, et orent Deum pro anima mea et aliorum pro quibus teneor et intendo. Si vero ad ampliora residua ultra dictos centum solidos causa restitutionis vel alias cum inscio vel sine inscio michi tenerentur, super quibus eorum conscientias onero, omnia illa residua heredi meo solvere teneantur, nullam aliam gratiam facientes. Item etiam remitto pauperibus personis civitatis et diocesis Tholosane que michi tempore obitus mei reperientur teneri pro emolumenis sigilli curie dicte sedis, de quibus apparebit executoribus meis quod fuerint impotentes ad solvendum, totum id in quo tenebuntur vel partem juxta eorumdem executorum arbitrium et voluntatem, ubi eis videbitur..... remittendum in totum vel in partem. Item volo atque precipio quod ordilia, utensilia, supellectilia que tempore mei obitus reperientur in domo archiepiscopali Tholose, per domos et castra dicte ecclesie Tholosane, sicut sunt culcitre, pulvinaria, cuissini, lodices, vani, linteamina, cortine..... capete, et alia paramenta lectorum, quecumque, qualiacumque, et quantacumque sint, necnon bancalia, canelli ac omnia expleta et vasa lignea reserventur ad usus futurorum successorum meorum archiepiscoporum Tholose; exceptis sex vanis de melioribus et cooperaturis omnibus de serico..... duabus etiam cortinis de melioribus, et viginti paribus linteaminum de melioribus; que omnia ab executoribus hujus mei testamenti applicari volo et converti in succursum et juvamen sol-[1089]vendi legata supradicta. Item ultra illa debita que olim dedi capitulo Carcassonensi i^r. loco de Viridifolio, prout constat per instrumentum inde receptum per Bernardum Regis, notarium regium burgi Carcassone, lego et dono dicto capitulo ecclesie Carcassonensis in succursum et juvamen duarum capellaniarum et quorumdam obi-

tuum per me in dicta ecclesia, dum in eadem presidebam, fundatorum et constitutorum ad omnes redditus et proventus pro dictis capellaniis et obitibus augmentandis, videlicet quadraginta francos in quibus michi tenetur causa mutui dominus Petrus Andree, procurator regius Carcassone, item sexdecim francos in quibus michi tenetur Johannes Sabardezii, judec ordinarius Carcassone, de quibus habet instrumentum Petrus Gardesii, item triginta francos in quibus michi tenetur Helias Cahyero, prout constat per instrumentum sive instrumenta recepta per magistrum Thomam de Claraco, notarium regium Carcassone, ad summam quadraginta octo francorum vel ultra, cui quidem Helie et suis totam restam dictorum instrumentorum remitto, salva semper summa dictorum triginta francorum, item quadraginta francos pro quibus michi tenentur Johannes Segnori et Amelius de Torenio, de quibus habet instrumentum magister Guillelmus Burgaut, item viginti quatuor francos in quibus michi tenetur dominus Johannes de Roquefulh, de quibus habet instrumentum magister Thomas de Claraco, notarius predictus, item unum modium frumenti et alium modium avene in quibus michi tenetur Guillelmus de Castel, olim viguerius Carcassone, de quibus habet instrumentum magister Guillelmus Burgaut; que quidem omnia debita supradicta..... capitulum una cum omnibus actionibus realibus et personalibus et mixtis transfero, transporte et relinquo. Volo tamen et mando quod prima existitis debitibus collecta..... [1090] ad nullos alias usus sed ad illos.....

super quibus onero conscientias personarum dicti capituli et earum singulas onero quantum possum. Et ultra omnia supradicta lego eidem capitulo in succursum et juvamen dictarum capellaniarum quinquaginta francos auri. In omnibus autem aliis bonis et rebus meis mobilibus et immobilibus ac debitibus et actionibus quibuscumque et qualiacumque sint et ubicumque et in quibuscumque aliis..... spectant et spectare debentibus facio, ordino, instituo et ore meo proprio nomino meum universalem et generalem heredem, videlicet capitulum ecclesie mee Tholosane. Volo tamen atque mando quod heres meus predictus habeat et facere teneatur annis singulis perpetuo pro anima mea et omnium aliorum pro quibus teneor et intendo duos obitus de mortuis si facultates dicte hereditatis suppetant, alias fiat unus obitus, solutis primo legatis et debitibus expensis, unum videlicet die illa qua de hoc seculo migrabo, et aliud die tertia novembris, qua celebratur festum sancti Papuli; in quorum quidem quolibet dictorum obituum dictus heres meus dare habeat et distribuere teneatur septemdecim

libras turonenses distribuendas presentibus in dictis obitibus seu missis secundum modum ecclesie Tholosane; super quibus omnibus onero conscientias eorumdem et super animabus eorumdem pono, volens et ordinans quod..... hereditate dictus heres meus in aliquo gaudere non possit donec et quounque dicta debita et legata superius contenta fuerint realiter et integraliter exsoluta. Volo et ordino quod hujus voluntatis mee sit protector et confirmator dominus cardinalis de Sancto Martiale, frater meus. Executores autem hujus mee supreme voluntatis facio, constituo et ordino venerabiles et circumspectos viros dominos Vitalem de Castromaurono, de[1091]cretorum doctorem, vicarium meum, Johannem Corserii, in legibus licentiatum et in decretis baccalarium, officialem meum, Galhardum Ricardi, decretorum doctorem, cancellarium in ecclesia Tholosana, Rogerium Tornerii, thesaurarium, Vitalem Brugensis, et Petrum Gardesii, secretarium meum. Qui quidem executores omnes vel duo ex ipsis, casu quo alii nolint vel non possint interesse nec etiam executionem recipere, possint regere, recipere et administrare plene et libere. Quibus executoribus meis do, concedo et transfero omnem generalem et liberam..... et potestatem omnimodam omnia bona mea mobilia et immobilia, quecumque sint et ubicumque sint, regendi, recipiendi, et gubernandi, administrandi, disponendi, vendendi, distribuendi, alienandi, quittandi..... et computa audiendi, excipiendi in judicio et extra, defendendi pro commodo dicte executionis, necnon et debita in quibus apparuerit me teneri omnibus et singulis creditoribus et conquerentibus et legatariis quibuscumque legata per me superius ordinata satisfaciendi et persolvendi, et alias in ceteris complendi voluntatem et dispositiones meas superius ordinatas et descriptas, et omnia alia faciendi que eis videbitur expedire et circa premissa et quodlibet premissorum erunt necessaria et opportuna, expensis tamen dicte executionis, que fient tam in levando debita quam solvendo, omnia alia per exec..... cassans et annullans alia testamenta seu ultimas voluntates que seu quas feci temporibus retroactis usque ad presentem diem. Quod testamentum nuncupativum presens seu ultimam voluntatem volo valere jure testamenti; et si non valet vel non valebit jure testamenti, quod valeat jure codicillorum, donationis causa mortis seu cuiuslibet voluntatis ultime. De quibus omnibus et singulis premissis vos discretos dominos Ray[1092]mundum Ferrerii Johannem de Moyssaco, presbiteros, Bernardum Cantaloba Sancti Flori, magistrum Jacobum de Malo Cazali, baccalarium..... Tholose, Johannem Mazelli clericum Mimatensem, Philibertum Jovini civi-

tatis.... et Petrum Chapucii, Vaurensis diocesis, presentes vos rogo, volo et requiro quatinus faciatis michi bonum et legale testimonium in judicio et extra et aliis suis locis et quibuscumque opportunis, et te, notarium infrascriptum, ut conficias heredi et executoribus meis unum et plura instrumentum vel instrumenta, creditoribus autem et legatariis meis cuilibet eorum de clausulis, prout eorum quemlibet tangit seu tangere poterit, licentia vel auctoritate cuiuslibet superioris minime petita seu obtenta. Acta fuerunt hec in castro de Balmario anno, die, inductione et pontificatu quibus supra, prenominatis et pluribus aliis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Johannes Gardesii, Ruthenensis diocesis, publicus auctoritate apostolica notarius, etc.

CCXXXVII

TESTAMENTUM¹ JOHANNIS DE MUROLIO, CARDINALIS.
19 septembre 1397.

In nomine Domini. Amen. Anno a nativitate ejusdem Domini MCCCXCVII, inductione V, et die xix mensis septembbris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Benedicti divina providentia pape XIII anno tertio, in presentia mei, notarii publici, et testium infrascriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum per reverendissimum in Christo patrem et dominum dominum Johannem miseratione divina tituli Sancti Vitalis sancte romane Ecclesie presbiterum cardinalem, de Murolio vulgariter nuncupatum, persona-[1093]liter idem dominus cardinalis constitutus michi notario tradidit quinque folia papyri scripta, que in suis manibus tenebat, quorum tenor infra scribitur de verbo ad verbum, dicens quod illud erat testamentum suum, quare volebat et me requirebat virtute mei officii et juramenti prestiti ut fideliter redigerem in scriptis et ponerem in mundo et una pelle pergameni, et nulli panderem donec publicaretur vel esset publicatum ipsum testamentum; tenor cuius sequitur et est talis.

Ego Johannes cardinalis de Murolio, attendens et proxime consi-

1. Ex archivo fratrum Minorum Claromonten.; *Bal.*; pièce non retrouvée.

derans quod nil certius morte, licet apud nos hora mortis sit incerta, sanus corpore, laus Deo, pariterque et bona dispositione, in presentia tui notarii publici et infrascriptorum testium presentia condo et facio testamentum meum seu ultimam voluntatem, que valere volo, ordino et dispono jure testamenti seu ultime voluntatis et dispositionis codicillorum et alias ut melius de jure vel consuetudine valere poterit et debebit, ut sequitur. Et primo recommendo animam meam creatori meo altissimo, necnon gloriose virgini Marie, beatis apostolis Petro et Paulo, beato Johanni Baptiste, quem assidue, licet peccator, habui in mente et habeo, beato Martino, beato Michaeli archangelo, omnibus sanctis et toti curie celesti, humiliter supplicans et devote exorans ut cum ipsa anima egressa fuerit de corpore, intercedere dignentur et orare Dominum nostrum Jhesum Christum pro me licet indigno, misero, vili ac iniquissimo peccatore, ut michi suam gratiam, pietatem et misericordiam impertiri dignetur. Amen. Item eligo sepulturam meam in ecclesia conventus fratrum Minorum Claromontensium in capella et tumulo ubi nonnulli parentes mei jacent, et ibi volo et ordino corpus meum seu ossa portari et sepeliri cum parentibus ipsis. Item si contingat me decedere in Avinione, volo et ordino corpus meum [1094] sepeliri, per modum tamen depositi donec ossa possint transferri in Claromontem ut supra, in ecclesia fratrum Minorum in choro ante majus altare et pulpitum ubi fratres cantant recte in loco ubi germanus meus dominus Amblardus, dominus de Murolio, miles, tunc temporis vicarius Avinionensis pro sancte memorie domino Clemente papa septimo, fuit sepultus, et cujus ossa expost feci portari in Claromontem. Item si contingat me mori extra civitatem Avinionis, sic quod bono modo corpus non posset ibi portari, volo ibidem in loco ubi moriar sepeliri in ecclesia fratrum Minorum, si fuerit ibi aliquis conventus, aut ad unam leugam prope, alias in ecclesia loci ubi decedam, et per modum depositi sicut supra. Item volo et ordino de bonis meis debita mea persolvi, et specialiter quibus tenebor ex mutuo et etiam pro victualibus traditis in expensis factis per me et in domo mea. Item volo et ordino persolvi domino meo speciali domino Johanni cardinali Vivariensi ducentos francos auri quos in magna necessitate, videlicet in die qua intravimus conclave post obitum domini Clementis, liberaliter et gratiouse michi mutuavit, et ignoro an habeat cedulam a me de dicto mutuo, sepius tamen jocunde dixi sibi quod solutionem dicti mutui assignabam super debito comitis Empuriarum, qui michi tenetur ex puro mutuo in ducentis florenis. Item teneor et specialiter solvi volo nepoti meo domino Guillelmo de Mu-

rolio, militi, mille francos auri quos ab ipso mutuo recepi de summa quam ipse et frater suus habuerant a domino Odardo de Chazeron, milite, pro venditione partis ipsis nepotibus meis contingentis in castro et loco de Cresto, Claromontensis diocesis. Et scio quod tunc dedi recognitionem predicte summe mille francorum predicto nepoti meo sub instrumento et sigillo meo, et sepius fui dolens et adhuc anxior quod sibi non satisfeci ut potuisset succurrere [1095] necessitatibus suis, quas tam ipse quam subditi sui et modica terra sua habuerunt sustinere propter guerras et mortalitatem. Item teneor nonnullis hospitibus, quorum hospitia ad manum meam teneo in librata, quibus volo persolvi secundum plus et minus ad discretionem camerarii, emptoris et aliorum officiariorum meorum se intromittentium de reparationibus, etc. Item volo et ordino quod Guillelmo Bedoti et Jacobo de la Baige, scutiferis meis, fiat integra satisfactio de vadiis sibi promissis, videlicet duodecim florenorum currentium Avinioni in anno pro toto tempore quod michi servierunt usque ad hanc diem, pecuniis per ipsos habitis super vadiis, ut in compotis compratorum continetur, deductis et defalcatis. Item volo et ordino quod omnibus officiariis meis quibus debetit ex suo salario promisso fiat satisfactio juxta etiam compotum compratoris. Item quia in minoribus constitutus ac juventute mea, stando in studio, et deinde in domo bone memorie domini benefactoris mei cardinalis Boloniensis, minime fui et ex post etiam usque ad creationem sancte memorie domini Gregorii satis tenuiter beneficiatus, licet semper me tenuerim honeste et in bono statu de bonis propriis patrimonialibus, sic quod necessario habui gravare preter constitutionem et opprimere fratrem meum primogenitum dominum de Murolio et subditos suos, recipiendo de bonis ultra quam vires ipsorum possent sustinere, attento quod semper fuerunt in fronteriis guerre Anglicorum, idcirco ad exoneracionem conscientie et utilitatem anime mee do et lego semel tantum ad filias maritandas, pauperes, viduas, orphanos nutriendos, et in alias pios usus convertendos et distribuendos inter subditos terre de Murolio ibidem manentes seu moram et domicilium habentes ducentos francos semel tantum. Item si aliqua debita appareant ultra supradicta, sint arbitrio [1096] executorum. Item teneor certe persone specialiter amico meo, quam nolo nominare, sed Amblardus, nepos meus, decanus et dominus Johannes Calapini, prepositus Brivatensis, bene cognoscunt personam cui teneor, in ducentis scutis auri; habet tamen duos anulos et duo fermalia mea munita lapidibus pretiosis, qui tamen extantes largo modo non possunt et nimis tenuiter attin-

gere predictam summam. Item adhuc ultra premissa teneor, quod volo persolvi, prefato nepoti meo, domino de Murolio, in centum et sexaginta francis, quos habui et recepi mutuo per manum emptoris mei, qui in compotis suis michi computavit, de prima solutione dotis uxoris sue facte apud Turnonem. Item teneor et debeo ex mutuo facto per litteras meas et Guerinum Respande Parisius mercatorem Luce, cubiculario meo misso Parisius, et promisi reddere Jacobo Rouge, ipsius Guerini factori in Avinione, duodecim francos. Item ordino et volo emi lampadem olei in capella ubi eligo sepulturam meam, in ea perpetuo de die et de nocte ardentem. Item do et lego prefato conventui fratrum Minorum Claromontensium, ut orent et teneantur orare pro animabus parentum meorum et mei post obitum et aliorum in prefata capella sepulchorum et sepeliendorum, et teneantur qualibet die ad minus pro mortuis celebrare, et post obitum meum prima die lune cuiuslibet mersis unam missam de mortuis cum nota, et in mei obitus anniversarii aliam ibidem cum nota et aliam in magno altari celebrare, et quotidie quamdiu vixerо facere dici in missis in dicta capella celebrandis collectam *Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, etc.*, solvendos semel et tantum pro una vice ducentos francos auri. Item do et lego ipsi conventui meum missale magnum ad usum Romanum, quod scribi feci. Volo tamen quod sit principaliter pro servitio et usu dicte capelle ubi in-[1097] tendo sepeliri. Item do et lego ipsi conventui meam capellam albam de panno serico, ubi sunt septem pecie videlicet pro corpore Domini casula, tunica, dalmatica et cappa pro socio, cum stolis et manipulis. Item etiam eidem conventui do et lego casulam meam nigram panni serici Damasceni, in qua est aurifrigium bene amplum. Et volo etiam quod in istis vestimentis ab extra ponatur unum scutum de armis meis, sicut est consuetum, et quod conventus det litteras bonas quod dicta vestimenta et missale non valeant vendi, impignorari, seu alias quomodolibet alienari. Item do et lego pro usu hospitii dominorum et dominarum de Murolio meliorem casulam quam habebo in capella mea communi, cum calice et patena argenti deaurati, et ad dandam pacem illam esmaliatam de argento deaurato et parviorem crucem de duabus quas habeo, que non sunt magni ponderis vel valoris, ac etiam cum meliori missali quod ego habebo post illud dimissum conventui fratrum Minorum, cum lapide viatico, cum cinctorio, alba et amictu afferentibus. Item simili modo pro usu predicti hospitii et qui remanent in ipso do et lego, cum sit bonus liber etiam pro personis secularibus, Vincentium seu Speculum historiale, cuius habeo tres

partes, et quartam ordinavi scribi, ita tamen quod non possit vendi, donari, vel aliter distrahi; salvo quod Amblardus, decanus Brivatensis, nepos meus, habeat usum ipsius Speculi, si voluerit, quamdiu vivet. Item do et lego predicto nepoti meo, domino de Murolio, ultra mille francos sibi debitos, meliorem cameram quam habebo, ubi est brodatura cum cortinis ac vana sive cortepunta, et duobus paribus linteaminum, ac matalacio de cotono, neconon meliorem mulam vel equum quem habuero, et unum gobeletum argenti deauratum qui dividitur in duas partes ad modum crouzelini Alimanie, et sunt ibi arma mea in esmail[1098]latura, ac unam ayguaderiam argenti deauratam usque ad pondus trium marcarum. Item do et lego nepoti meo Amblardo, decano Brivatensi, casulam meam panni serici cum capitibus auri, rubei coloris, ut cum illa, dum contigerit ipsum esse presbiterum, celebret, habens memoriam mei, quia est optimi panni, neconon etiam eidem unum gobeletum cum pede et coopertorio argenti deaurati et bene cooperti ponderis de septem marchis, cum una ayguaderia usque ad pondus trium marcharum, et etiam duodecim escutellas argenti albi, ac etiam eidem usum, quamdiu vixerit, omnium librorum meorum juris canonici et civilis, exceptis illis de quibus aliter ordinavero. Item do et lego Johanni de Murolio, domino de Gondolle, consanguineo meo, unam de cameris meis sargiarum de tribus peciis et tribus cortinis et unum gobeletum argenti deauratum cum coopertorio et sine pede, in summitate coopertorii habens unum vitrum ad modum Zaphiri. Item do et lego Guillelmo de Murolio textum meum de grossa littera, neconon lecturam Innocentii et Novellam super sexto, et pro una vice viginti scuta; et si non fuerit beneficiatus de quo possit tenere statum suum honorifice, rogo executores meos infrascriptos ut velint supplicare domino nostro pape ut sibi conferat unum de beneficiis meis secularibus, de quo honeste valeat vivere. Et si ad laicalia vota se transtulerit cum aliqua muliere, volo ut dictum legatum sit nullum. Item do et lego Johanni de Murolio, nepotis mei, domini de Murolio, et quondam ejus uxoris Audine de Sancto Nectario filio, cameram meam albam, ubi sunt tres pecie sargiarum, et in qualibet de brodatura unius.... scriptum, etc., cum tribus cortinis albis de stamino, neconon unum gobeletum argenti cum pede et coopertorio deauratum et factum ad modum rose, et ayguaderiam illius forme, et meliorem equum quem ego habebo in die obi[1099]tus neconon quadraginta francos semel tantum. Item do et lego pro capellano ordinato et ordinando pro celebrando apud villam prope castrum Montisgasconis in ecclesia parochiali et in capella

ubi nonnulli parentes mei sunt sepulti casulam meam panni serici de azuro, cum qua sepius celebravi in capella secreta, et est satis antiqua, cum una alba et amictu et stola et manipulo afferentibus. Et volo quod dictus presbiter habeat unam cappam vel aliam de raubis meis bonam et duo scuta auri semel tantum, et pro una vice ad emendum bladum vel aliud perpetuo viginti francos auri. Item do et lego pauperi monasterio de Feneriis Cisterciensis ordinis, dicte Claramontensis diocesis, ubi etiam nonnulli de meis fuerunt sepulti, ut pro animabus ipsorum et mea rogent, viginti francos auri semel tantum. Item do et lego ecclesie parochiali de Murolio unam casulam bonam meliorem aliam de illis que sunt, et sit servitium divinum in capella mea communi, cum alba et amictu, stola et manipulo afferentibus, ac etiam missale meum primum, quod scripsit magister Rogerius Valens; et lego presbitero curato duo scuta auri semel tantum. Item do et lego Guillelmo Betody, scutifero meo, ultra sua vadia, cui nunquam feci bonum, nunc etiam habet parentes propinquos quibus posset procurare aliquid in ecclesia Dei, solvendo semel tantum viginti francos. Item do et lego Guillelmo Alabarde, qui jam sunt viginti quinque anni elapsi fideliter michi servivit et servit, solvendos semel tantum decem francos et meliorem cappam et cottam hardiam quam tunc habebo. Item do et lego Merlino Montaco apud Murol, quem de Apulia cum sua matre adduxi mecum, nec habet parentes vel amicos, solvendos semel tantum decem francos; et ultra volo quod fiat sibi satisfactio, si non fuerit satisfactum, de illa modica summa pecunie, videlicet viginti [1100] francorum, ut pater et mater sibi darent filiam suam in uxorem. Item do et lego barbitonsoni meo seu Amblardo filio semel tantum sex francos. Item do et lego cuilibet scutifero, cubiculario, et de cameris meis qui erunt mecum assistentes tempore obitus, pro suis expensis faciendis, decem florenos semel tantum solvendos. Item similiter cuilibet officiario, etiamsi fuerit beneficiatus et capellanus, sex francos semel tantum. Item do et lego Guillelmo Arnaudi, archidiacono Bitrensi, camerario meo, et fuit primus quem habui postquam fui ad cardinalatum assumptus, unum gobelum argenti cum cooptorio deauratum planum et sine pede, et in coopertorio ab intra sunt arma mea. Item do et lego domino Johanni Calapini, preposito Bri-vatensi, etiam camerario meo, nunc regenti hospitium meum in Avinione, quem constitui alterum executorum meorum, unam meam pixidem ad tenendum hostias, cum pace argenti deaurata quam michi dedit dominus G[uilhelmus] Bariere, canonicus Turonensis. Item do et lego

Thome de Murolio, archidiacono Ruthenensi, consanguineo meo, unum gobeletum argenti deauratum cum coopertorio et sine pede. Item do et lego fratri Petro de Rumelier, penitentiaro pape, de ordine Minorum, confessori meo, solvendos semel tantum decem florenos auri. Item in aliis bonis meis mobilibus et immobilibus, que parvi sunt valoris proper donationes et quittancias per me factas, universalem heredem meum instituo et proprio ore nomino Johannem de Murolio, prefati domini Guillelmi, domini de Murolio, et sue quondam uxoris Audine de Sancto Nectario filium. Item ne propter magna debita que contraxi et hec legata que facio sicut supra posset aliquis sinistrum vel obliquum opinari vel inquire quomodocumque contra quoscumque familiares meos se de meis negotiis intromittere aut de propinquo michi assistentes, ad ip[1101]sorum excusationem et conscientie mee exonerationem notifico statum meum talem esse. Primo nullum vas aut jocale auri habeo nec unquam habui nisi illa duo supra impignorata et aliquos anulos non ascendentibus summam ducentorum francorum. Item habeo aliquam vays-selam albam pro cursu hospitii, et aliquos gobeletos, taceas, et ayguaderias argenti deauriatis. Que omnia stant per inventarium. Non tamen ista omnia attingunt nec excedunt pondus ducentarum marcarum. Item pessime sum munitus de supellectilibus domus. Item habeo duo vestimenta capelle pro corpore meo integra, videlicet albam de persico sine azuro, tres calices, et duas modicas cruces non ponderantes ultra sex marchas, et duo candelabra altaris, et quedam alia vestimenta pro capella communi. Omnia stant per inventarium. Item in pecunia numerata vel aurum penes me vel custodiad aut alterius nomine meo non habeo ultra valorem decem scutorum auri, nec usque ad illum valorem, quia pecuniam de beneficiis nec etiam de capello recipio, sed comprator meus presente camerario, qui etiam ponit in scriptis, et ego quittancias propria manu signo vel sigillo, et ambo etiam penes me, sic quod non debet esse fraud. Et est sciendum quod quicquid habuerim agere cum pluribus mercatoribus de Avinione temporibus retroactis, quibus etiam sepius magnas pecunias debui et fui obligatus ut principalis de mutuis per mercatores ipsos sancte memorie domino Clementi vel sue camere factis, nichilominus, laus Deo, credo ipsis mercatoribus satisfecisse vel saltem ipsos contentasse super fructibus aliquorum beneficiorum meorum ; et super hoc habent litteras. Ideo supplico humiliter domino nostro, rogo et deprecor cordialiter executores meos infrascriptos, ut ipsis creditoribus possit fieri satisfactio, si

non sit satisfactum die mei obitus, et jam est bene consuetum quod divina misericordia gratiam facit de benignitate Sedis execu-[1102]tionibus dominorum cardinalium de fructibus beneficiorum suorum recipiendorum ad aliquos annos et tempus. Item re aliqui admiri-entur quomodo executio mea possit esse talis sicut hic scribitur, attento quod habui bonam, opulentam et obedientem ecclesiam, videlicet Gebennensem, de tempore domini Gregorii, quodque fuerim per dominum Clementem competenter beneficiatus. Et certe ista predicta vera sunt. Sed est etiam verum quod ego fui nutritus ab infantia cum prefato domino Clemente quadraginta quinque annis continuis in die sui obitus lapsis, et eundem plus quam me ipsum in vita dilexi, sic quod nec sibi poteram nec volebam etiam usque ad proprium sanguinem deficere ; nec ipse michi defecisset, ut sum certus. Sed est notorium in quanta paupertate, tribulatione et angustiis fuerit ipse dominus Clemens a tempore sue creationis ad apostolatum usque ad diem obitus propter scisma. Nam vere in die sue creationis fundus de omnibus bonis suis et jocalibus non habebat de quo fieret unum capucium fourratum de herminis; sic quod nec mirum si exui me propter ipsum de bonis que habebam et habere poteram. Et quoad beneficia, invenietur in registris quod ad homines regum et aliorum principum vel inferiorum libere dimisi de beneficiis meis ultra valorem trium millium francorum, michi tamen per ipsum dominum Clementem collatorum. Item quia supra feci mentionem de nonnullis per me debitis, nunc volo venire ad aliqua que michi debentur. Et primo dominus Guillelmus, episcopus Gebennensis, michi tenetur in sexcentis sexaginta florenis currentibus ex eo quia habuit bona domini Ademari immediati sui predecessoris et mei successoris in ecclesia Gebennensi que quidem bona erant arrestata pro summa mille septingentorum sexaginta florenorum currentium in quibus dictus dominus Ademarus michi tenebatur; de qua summa, de voluntate et ad preces [1103] predicti quandam domini Clementis, ad preces etiam domini Girardi de Ternier militis, avunculi dicti domini Guillelmi episcopi Gebennensis, eidem episco-
po remisi et quitavi septingentos florenos, et sic non remanserunt debiti nisi mille sexaginta ; de qua summa idem dominus episcopus michi solvi fecit quadringentos florenos; et sic restant nunc solvendi sexenti sexaginta floreni, ut supra. De isto autem debito episcopi Gebennensis non habeo obligationem vel aliud documentum nisi bullam de pensione que fuit assignata certo modo super ecclesia Gebennensi quando de ipsa fui assumptus ad cardinalatum. Etiam

prefatus dominus Girardus de Ternier, notabilis et bonus miles, scit bene omnia predicta. Item dominus Ludovicus de Pictavia, comes Valentinensis, michi tenetur ex mutuo in mille quadringentis quadraginta francis auri, ut constat per obligationem sub sigillo Castelleti Parisiensis; que quidem littera est in una bogetta inter alias litteras meas. Item nonnulli nobiles et burgenses de civitate Marsiliensi tenentur michi ex puro mutuo in octingentis florenis auri, ut constat per instrumentum obligatorium quod est in capcia cum bullis beneficiorum meorum. Item ex quodam finali compoto nuper facto inter Stephanum Duan, campsorem Avinionensem, et me de omnibus que simul habuimus agere, etiam de tempore quondam socii sui Bernardi Geraud, amici mei intimi, tempore quo vixit, dictus Stephanus tradidit michi in solutum et fecit cessionem de quodam debito usque ad summam octingentorum francorum in quibus dominus de Sancto Georgio erat obligatus, ut constabat per instrumentum. Ego etiam eram fidejussor et principalis debitor pro dicto domino Sancti Georgii. Instrumentum obligatorium predictum est in quadam bogetta cum litteris meis. Notam instrumenti cessionis habet G[uillelmus] de Pomeris, familiaris meus vetus. Item dominus Johannes de Verboys, cubicularius quon [1104]dam domini Clementis, michi teneretur de resta majoris summe in ducentis quinquaginta florenis de camera de majori summa mutuatis realiter. Sed erat debatum inter ipsum et dominum meum cardinalem Saluциarum quis ipsorum teneretur solvere pro eo quod dictus Verbois tantumdem michi solverat. Quicquid sit, habeo instrumentum obligatorium inter alias litteras meas dicti domini Johannis longe de majori summa; de qua tamen sum contentus usque ad prefatam summam ducentorum quinquaginta florenorum camere, sicut in dorso ipsius instrumenti continetur. Item dominus comes Empuriarum michi tenetur ex mutuo in Avinione sibi in magna necessitate facto in ducentis florenis, ut constat per litteras suas suo sigillo sigillatas. Item camera apostolica tenetur michi et ab ea debeo recuperare summam octo millium octingentorum et tot florenorum tam ex mutuo puro sancte memorie domino Clementi et sue camere facto, sicut in libris et registris camere, ad que me refero, continetur, quam etiam aliis justis et rationabilibus causis ; que omnia, videlicet meas petitiones, de mandato domini mei presentis traditi particulariter et distinete domino camerario et clericis camere, qui super illis fecerunt aliquas informationes; sed nondum habui responsionem, nec per consequens aliquam solutionem vel assignationem.

Copia est in duobus foliis papyri in uno parvo coffro meo quadrato. Item dominus noster Benedictus papa XIII statim post suam assumptionem promisit et dedit verbo cuilibet domino cardinali ibidem presenti quatuor millia florenorum pro uno semel, de quo non habui denarium, licet fecerim diligentias. Spero tamen quod sue sanctitati placebit quod de ipsa summa deducantur et super illa exsolvantur pro camera vacantia meorum beneficiorum. Item debentur mihi ex puro mutuo per Christophorum, campsorem uxoratum in Avinione (habeo bo[1105]num instrumentum obligatorium pro executione dicti debiti facienda) quingenti franci auri, licet in dicto instrumento contineatur major summa. Fuit productum dictum instrumentum coram domino thesaurario. Item Johannes Fornerii de Bene, Aquensis diocesis, fuit causa quare turris de Crescens baronie Vere fuit e manibus meis erepta, et ipsem et cepit eam, licet non cum modicis expensis et mediante certa summa pecunie per me tradita bestardo de Baucio, tunc tenenti ipsam turrim, eam haberem et custodirem pro bono et ad honorem regis Ludovici et sue patrie Provincie; et hac de causa petebam mille francos, salva actione injuriarum. Item licet deberet sufficere ut Amblardum, nepotem meum, baccalaureum in decretis, quem nutrivi et in studio tenui, necnon et camerarium regentem hospitium et modica negotia mea predictos solos onerarem de ista modica executione, et quod haberent recursum ad dominos meos nichilominus non ex aliqua opinione presumpta, sed ex simplici et pura intentione et simplici confidentia quam semper habui et habeo ad dominos meos infra nominatos, quos novi omnes caritate plenos, nec ignoro quod me sui gratia in singulari dilectione et speciali amicitia hactenus habuerunt et habent, etiam quia taliter est fieri consuetum per dominos cardinales, eosdem nomino executores meos hujuscemodi testamenti seu ultime voluntatis, videlicet dominos Ambianensem, de Novocastro, Vivariensem, de Thureio, de Vergeyo, Aniciensem, et Saluarum sancte Romane cardinales, necnon Amblardum, nepotem, et dominum Johannem Calapini, camerarios meos, ac predictum Thomam archidiaconum Ruthenensem, quem ab infantia nutrivi ; quibus dominis meis cardinalibus humiliter supplico ipsosque et eorum quemlibet per Dei misericordiam et viscera caritatis suppli-citer exoro ut animam meam velint habere recommendatam, [1106] nec ipsos tedeat laborare specialiter ut illa que debeo exsolvantur et forefacta emendentur, et prefatum nepotem et camerarium meos, cum ad ipsos venerint, audire velint benigne et quantum poterunt

exaudire. Nam ipsi duo omnia negotia mea qualiacumque sciunt, quorum etiam nepotis et camerarii conscientias de hac mea executione specialiter onero. Et quia prelibatus dominus meus Ambianensis a tempore quo homo fui et veni in domo quondam domini Boloniensis cardinalis, jam sunt lapsi quadraginta sex anni, et ex quo ipse dominus Ambianensis erat magnus dominus, ego autem simplex clericus, ipse dominus Ambianensis semper me dilexit, et ex tunc confidentiam specialem habuit de me sicut de proprio fratre, etiam in nonnullis suis venis intrinsecis, volo quod ipse de predicta mea executione tali quali possit ordinare et disponere solus, et dicti nepos et camerarius habeant sibi obedire. Ideo exoro dominationem suam ut sicut dilexit corpus, ita diligit animam. Deus benedictus actus meos dirigat in vitam eternam et gloriam sempiternam. Amen. De quibus omnibus et singulis suprascriptis prefatus reverendissimus in Christo pater et dominus meus dominus cardinalis de Murolio requisivit, voluit, et petiit a me, notario publico, presentibus testibus infrascriptis fieri unum folium sub signo meo et publicum instrumentum. Acta fuerunt hec in ecclesia prioratus Beate Marie de Gordanicis, ante majus altare, Uticensis diocesis, sub anno, die, mense, inductione et pontificatu predictis, presentibus reverendo in Christo patre domino Guillelmo episcopo Scalonensi et venerabilibus ac religiosis viris dominis fratre Johanne de Bigoto, priore, fratre Pontio Chambaud, operario, fratre Guidone Chabaud, infirmario dicti prioratus, Bertranno Saniti, baccalaureo in decretis, priore Beate Marie de Merii, ordinis sancti Benedicti, Arelatensis diocesis, Petro Bertran[1107]di, canonico Glandatensi, Guillelmo Morelli, presbitero, rectore parochialis ecclesie de Marandonio, Nannetensis diocesis, et Guillelmo Bedoti, domicello Claramontensis diocesis, testibus ad premissa vacatis et rogatis.

Et ego Johannes Cambyer, clericus Cameracensis diocesis, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius, etc.

CCXXXVIII

SEQUITUR INFORMATIO¹ SERIOSA EORUM QUAE NUPER FACTA FUERUNT
 AVINIONI PER DOMINOS DUCES FRANCIAE ET ALIOS EX DIVERSIS
 SUMPTIS OCCASIONIBUS CIRCA DOMINUM NOSTRUM PAPAM BENE-
 DICTUM XIII. — 1399.

Et ante omnia est sciendum quod cum pridem de mense septembris anni Domini MCCCXCIV sancte memorie dominus Clemens papa VII, domini nostri moderni immediate predecessor, Avinioni in suo papali palatio obiisset, et deinde sacrum collegium reverendissimorum in Christo patrum dominorum sancte romane Ecclesie cardinalium numero XXI, tunc in curia presentium, juxta dispositionem juris et morem intrassent conclave infra idem palatium ordinatum, aliqui ex ipsis dominis moverunt et postmodum concordarunt cum aliis quod, antequam ad electionem futuri romani pontificis procederent, ordinaretur et fieret, prout facta extitit, una cedula, que per ipsos dominos subscriberetur et juraretur, super diligentia et modis per eos et ipsorum quemlibet possethenus et sicut ad eos in futurum pertineret adhuc hinc pro extirpatione scismatis, proth dolor, in Ecclesia Dei vigentis. Et licet visa in communi ipsis cedula forma ac ordinatione, aliquibus ex dominis cardinalibus videretur superflua et inutilis, inter quos fuit dominus noster papa, tunc cardinalis de Luna vulgariter nuncupatus, quia, ut dicebant, futurum romanum pontifi[1108]cem ad aliquid aliud astringere non poterant quam ad id quod quilibet catholicus secundum ius et conscientiam bonam et alias per se ipsum facere et procurare debebat, ut videlicet, tentis prius, juxta ordinem in ipsa cedula datum, viis et modis aliis, demum, si unio Ecclesie alias nequiret haberi et esset expediens, cessio pape fieret, nec alias ex ipsa effectus aliquis bonus sequi poterat, sed solum quoad opinionem vulgi detractio justicie istius partis et contemptus futuri eligendi, richilominus instigantibus quibusdam ex dictis dominis cardina-

1. D'après le ms. latin 1478 (ancien Colbert 817), fol. 30 r°-45 v° (Bibliothèque nationale de Paris). — Le P. Ehrle a imprimé un texte quelque peu différent d'après les actes du concile de Perpignan; cf. *Aus der Acten des Afterconcils von Perpignan 1408*, dans *Archiv für Literatur- und Kirchengeschichte*, t. v (1889), p. 400-437.

libus, omnes domini cardinales predicti juraverunt dictam cedulam, et se manibus propriis, tribus¹ eorum exceptis, subscripserunt in ea: fuitque data tunc in custodia reverendissimo patri domino Martino tituli Sancti Laurentii in Lucina presbitero cardinali, de Pampilona vulgariter nuncupato, cuius copia sequitur et est talis.

Nos omnes et singuli sancte romane Ecclesie cardinales etc., ut supra, t. I, p. 541.

Deinde cum sanctissimus pater dominus noster dominus Benedictus divina providentia papa XIII, die xxvij dicti mensis septembris anni ut supra proxime lapsi per collegium omnium dominorum cardinalium per viam scrutinii in papam concorditer electus, eoque invito et diu renuente intronizatus, ac post paucos dies consecratus et coronatus cum debita solemnitate fuisset, serenissimus princeps dominus Karolus rex Francie, cui, prout ceteris principibus, ipsa electio ac cordialis domini nostri affectio ad procurandum celeriter unionem Ecclesie fuerunt more solito intimata, contentus et consolatus plurimum de eisdem, etiam quia idem dominus noster devotionem catholici principis ad id invitabat, ambassiatores suos notabiles ad dicti domini [1109] nostri pape presentiam destinavit, prout ceteri reges fecerunt; per quos ambassiatores conceptam letitiam et devotionem solidam ac promptitudinem ipsius ad prosequendum negotium unionis Ecclesie, et prestando eidem domino nostro, ut petierat, in hiis et aliis favores et auxilia opportuna in publico et generali consistorio solemniter proponi fecit; quibus fuit per dominum nostrum, prout exhigebat materia, gratiose responsum.

Consequenter, cum idem dominus noster, qui summo desiderio ad Ecclesie unitatem anhelabat, prout anhelat, ad hoc ut Deum in suo sancto proposito propitium et directorem haberet, in principio sui regiminis niteretur pravitatem symoniacam, luxurie feditatem, baraterias varias, et alios actus viciosos multiplices, qui in romana curia retroactis temporibus invaluerant, extirpare, aliqui predictis criminibus irretiti, quia per dictum dominum nostrum in abolitione predictorum vitiorum, quibus diffamati asserebantur, se redargui et confundi verisimiliter pertimescebant, confictis litteris et informationibus falsis multos tam prelatos quam alios viros notabiles de Francia contra dominum nostrum provocarunt, inter alia

1. Scilicet Florentino, et de Agrifolio, ac Sancti Martialis. *Ita scriptum est antiquitus in margine veteris codicis. Vide supra in notis, pag. 1410 [Note de Baluze].*

plura impingentes eidem quod nationem Gallicanam contempneret et curiam ad partes Ytalie transferre optaret.

Ex premissis itaque et quibusdam aliis occasionibus generale consilium prelatorum et magnatum regni Francie in civitate Parisiensi de mense febroarii eodem anno ad mandatum regis extitit congregatum ; in quo multi per suggestiones predictorum inducti ac informati dominum regem predictum et consilium ejus induxerunt ad eligendum precise viam renunciationis domini nostri pape et intrusi, sub colore dicte unionis citius consequende. Sed nuntii domini nostri, Parisius illis diebus existentes de hoc avisati, institerunt apud regem ne in dicto consilio aliquid deter[1110]minate concluderet, sed id ad finalem determinationem dicti domini nostri pape remitteret, prout juris et rationis existit. Quod dictus rex libenter acceptavit et se facturum respondit, presentibus etiam et annuentibus dominis ducibus Bituricensi et Burgundie patruis ac Aurelianensi germano suis et aliis de consilio suo. Qui quidem duces pro veniendo ad romanam curiam et dominum nostrum papam ac tractando cum ipso pro parte dicti regis super viis et modis ad prosecutionem et obtentum unitatis Ecclesie opportune per eumdem dominum regem et suum consilium concorditer nominati et electi fuerunt.

Interim dominus noster papa voluit habere consilium cum cardinalibus. Qui omnes in communi consilio singulariter responderunt, et pro majori parte responsiones in scriptis dederunt, que in effectu concludebant quod via discussionis justitie melior et rationabilior videbatur, et in hoc perstiterunt aliqui ; alii vero subjunixerunt, si ad hoc dominus rex Francie et domini duces qui venturi erant possent induci. Si vero ad hoc induci non possent, consulebant et dicebant illud quod predictis dominis regi et ducibus placeret circa hoc esse acceptandum et fiendum per papam. Et ad allegandum rationes et jura quibus via cessionis non videbatur expediens, sed potius via discussionis justicie, fuerunt deputati domini cardinales de Gifono et Pampilonensis, qui super hoc copiose allegarunt, et allegationes pape tradiderunt, ut si expediret cum illis possent inducere predictos dominos duces ad aliam viam acceptandam.

Igitur duces ipsi cum nonnullis prelatis et nobilibus de dicto consilio, adjunctis etiam sibi (*a*) quibusdam de universitate studii Parisiensis, quos ad dictam viam cessionis affectos sciebant, venientes die sabbati xxij maii Avignonem intraverunt. Et primo per

a) omis par Bal.

dominos cardinales et alios notabiles de curia in itinere, et deinde in domo consistoriali pa[1111]latii apostolici per dictum dominum nostrum cum honore debito recepti, et tunc et in crastinum aliisque diversis diebus festinati fuerunt; ipsique duces tunc et aliis pluribus vicibus eidem domino nostro in missarum celebratione et alias cum reverentia humili obsequi exiberti solita prestiterunt.

Die vero lune sequenti propositionem solempnem et ad unitatem Ecclesie generaliter inductivam ex parte regia in publico et generali consistorio fecerunt. Quibus per papam fuit congruenter responsum.

Die martis immediate sequenti cum domino nostro in secreto consilio convenerunt; et incipientes ab eo quod precise et principaliter intendebant, predictam cedulam per cardinales in conclavi factam et juratam instanter et importune sibi exhiberi et tradi postularunt; quam idem dominus noster ipsis tradi mandavit et fecit.

Die autem mercurii sequenti duces ipsi cum domino nostro in secreto fuerunt, et ejus intentionem scire voluerunt super viis et modis procedendi ad unitatem ecclesiasticam obtainendam; quam ipse eis tunc in secreto, et die veneris inmediate sequenti ad eorum instantiam coram aliis de suo consilio ac in presentia omnium dominorum cardinalium explicavit, aperiens eis solummodo viam conventionis ipsius et sui collegii cum adversario Ecclesie et suis anti-cardinalibus in certo loco. Quam viam idem dominus noster, ut predictum est, cum dominis cardinalibus ante predictorum ducum adventum offerendam eisdem communiter concordarat, non reputans expediens, prout eis ibidem expressit, dictam viam per particularia amplius declarare, ne per adversarios vel alios posset quomodolibet impediri.

Demum die martis inmediate post Pentecosten, que fuit prima mensis junii, duces prefati cum aliis de consilio regis Francie secum venientibus cum domino nostro et cardinalibus convene[1112]runt, et sibi dictam viam renuntiationis, quam dicebant per regem predictum cum consilio universitatis studii Parisiensis et prelatorum sui regni electam, aperuerunt, inpugnantes ut poterant omnes vias tam per dominum nostrum quam alias per universitatem Parisiensem et etiam regis consilium tactas et motas et in parte approbatas; et specialiter inpugnarunt viam conventionis per eumdem dominum nostrum oblatam, requirentes ipsum ut dictam viam cessionis, aliis pretermisis, eligeret. Quibus dominus noster respondens dixit quod sibi hujusmodi vie modum et practicam explicarent,

et deliberatione in brevi habita, eis rationabiliter responderet, et taliter quod deberent merito contentari. Sed duces ipsi ex responsione domini nostri pape non contenti, immediate surrexerunt, et facta ei reverentia redierunt in Villamnovam, mandantes per certos suos milites omnibus cardinalibus, dum a camera pape recerent successive, quod eadem die hora vesperorum essent cum dictis ducibus in Villanova ; quod et fecerunt, licentia pape per plures ex ipsis non petita.

Duces igitur prefati ab aliquibus instigati et informati, ut eorum principale propositum justificare magis possent, ab omnibus predictis cardinalibus coram eis in Villanova congregatis petierunt responderi utrum viam cessionis per eos, ut prefertur, apertam reputarent expedientiorem ad unitatem in Dei Ecclesia consequendam, sperantes quod dicti cardinales ibidem existentes eorum vocibus (*a*) se potius conformare quam contradicere vellent, prout fecerunt licet quidam plus, alii vero minus, concludentes tamen ut plurimum quod quamvis visum fuerit eisdem quod via conventionis partium per dictum dominum nostrum aperta ad consequendam unitatem Ecclesie conveniens, ipsamque viam per eumdem ipsis ducibus offerendam conclusissent, tamen ex quo domino regi et consilio suo a ducibus ipsis via [1113] cessionis expedientior videbatur, ipsi cardinales volebant se conformare voluntati eorum et dicte vie assentire, et assenserunt, prout postmodum pape innotuit, ut inferius continetur : quorum cardinalium responsiones iidem duces per suos notarios in scriptis redigi fecerunt. In quibus responsionibus non dubium quin dicti cardinales vel saltem major pars ultra voluntatem propriam et debitam honestatem intentioni dictorum ducum se conformaverint (*b*), cum propter ipsorum quam verebantur presentiam, tum propter inductiones et persuasiones malivolas aliquorum, quas hic non expedit exprimere de presenti ; excepto tamen domino cardinali Pampilonensi, qui solus in curia est natione Yspanus ; cuius vita, conscientia et scientia satis ubique sunt nota ; qui requisitus respondit ducibus supradictis coram ceteris cardinalibus ibidem reprobando viam cessionis predictam ea forma qua petebatur et modis etiam qui tenebantur erga papam in facto hujusmodi per duces prefatos.

Demum elapsis aliquibus diebus, in quibus dicti domini duces tam per dictum dominum nostrum cum ipsorum quolibet specialiter

a) voces (sic), ms. — b) conformaverunt, ms.

conferentem quam per nonnullos cardinales intervenientes pro parte dicti domini nostri requisiti fuerunt et caritative moniti ut viam conventionis per ipsum oblatam acceptare aut viam cessionis per eos apertam et ejus practicam declarare vellet, idque facere nollent perseverantes in suo proposito, idecirco dominus noster verisimiliter videns se pro tunc aliter non posse proficere cum eisdem, die dominica xx dicti mensis junii, hora vesperorum, prefatis ducibus instantibus et in ejus presentia constitutis, responsionem suam principalem in scriptis tradidit sub hac forma.

Benedictus, etc. Cum dudum ad procurandum et accelerandum scisse dominice vestis inconsutilem unitatem, etc., *ut in tomo quarto historiae Universitatis Parisiensis, p. 748.*

[1114] De qua quidem responsione predicti duces, ut tunc videbatur, et postea clarius patuit, non contenti, ad Villamnovam se reduxerunt; et nocte immediate sequenti pars media pontis quo de Avignonie ad Villamnovam et regnum Francie transitur aliquorum malivolorum machinatione extitit igni supposita et combusta, ad finem, ut creditur, quod dicto domino nostro et suis timoris materia incuteretur, ac inter ipsos et dominos duces prefatos ac cives Avignonenses seminarium discordie et majoris scandali poneretur, prout ponebatur et procurabatur continue conatu aliquorum ; super quibus per diversas personas multiplicia pericula et diversa diversis diebus et temporibus fuerunt eidem domino nostro et suis relata, sicut tam de combustione pontis quam aliquibus aliis per aliquos dies ante quasi publice fuerat jam predictum et pape etiam reportatum, que eidem domino nostro et suis rationabiliter debebant incutere metum cadentem in constantem virum.

Cum igitur dicto domino nostro pro parte ducum et cardinalium predictorum relatum sepe fuisset eos de predicta responsione sua minime contentari, ex eo inter cetera quia in ipsa de dicta cedula in conclavi facta et jurata mentio non fiebat, et requisitus fuisse sepius quod dictam responsionem ad votum dictorum ducum reformaret, credens idem dominus noster se cum declaratoria infra-cripta posse ipsorum animos aliqualiter quietare et scandalum evitare, die **xxviiij** junii eisdem dominis ducibus et aliis de consilio regis in ejus presentia constitutis, presentibus etiam fere omnibus dominis cardinalibus, quos dicti duces etiam contra mentem pape voluerunt et ordinarunt ibidem interesse, quamdam cedulam premissae responsionis sue ampliativam legi et publicari fecit, rogans et obsecrans dictos duces quod saltem cum adjectione hujusmodi declarationis

vellent remanere contenti, quod tamen, ut postea patuit, [1115] non fecerunt ; cuius quidem cedula tenor est talis.

Benedictus, etc. Quamvis nuper dilectis filiis ducibus Johanni Bituricensi, Philippo Burgundie patruis, et Ludovico Aurelianensi, fratri carissimi in Christo filii nostri Karoli, regis Francorum illustris, ad nos super facto unionis in Dei Ecclesia procurande etc., *ut in tomo quarto historiae Universitatis Parisiensis, p. 749.*

Sciendum autem quod post principalem responcionem domini nostri dictis dominis dueibus in scriptis factam et oblatam, pontem combustum, et jam dicta pericula comminata, ipsi duces de Villanova, ubi mansiones suas prius elegerant et se communiter reducebant, ad civitatem Avinionensem se cum suis gentibus transtulerunt, ubi per dies xvij remanserunt in domibus certorum cardinalium collocati ; in quibus diebus plures dominos cardinales in monasterio fratrum Minorum coram ipsis vicibus pluribus et aliquando bis in die convenire fecerunt, et cum eis diversa colloquia et tractatus varios habuerunt. Que omnia in detrimentum honoris domini nostri, contra cuius mentem et voluntatem predicta attemptabantur, communi et populari opinione fiebant, prout etiam effectus inde provenientes evidenter ostendebant. Nam inter cetera post alias conventiones in dicto loco factas iidem domini cardinales ad ordinationem predictorum ducum die jovis, que fuit prima julii, venerunt coram domino nostro, et persuaserunt eidem quod dictam viam cessionis per dictos duces apertam vellet benigniter acceptare, et prout quilibet dictorum cardinalium in suo ordine loquebatur, dictam persuasionem coloribus diversis confirmare nitebantur, addicentes ac asserentes ut plurimum quod, nisi ita fieret, videbant diversa et irreparabilia scandala, dampna, et pericula, non solum Ecclesie Dei, sed etiam ipsis domino nostro et cardinalibus imminere. Et insuper quamdam cedulam eis per dictos duces, ut asserue[1116]runt die precenti traditam, produxerunt, dicentes se per eos requisitos quod propriis manibus se subscriberent in eadem. Quibus dictus dominus noster quoad primam petitionem respondit se satis sufficienter et legitime per alias duas cedulas, que supra scripte sunt, respondisse et satisfecisse secundum Deum et rationem eisdem, velleque remanere in responsionibus ipsis. Quoad secundam vero partem propositionis eorumdem cardinalium de cedula per ipsos producta, in qua, ut prefertur, se subscribere fuerant requisiti, dominus noster considerans hoc esse contra laudabiles et honestos mores Romane curie, posseque ex eadem re parari

pro futuro tempore prejudicium ecclesiastice libertati, quamdam inhibitionem fecit eisdem cardinalibus, ut in cedula tenoris sequentis continetur.

Benedictus, etc. Cum ad nostrum pervenerit auditum quod vos venerabiles nostri sancte romane Ecclesie cardinales requisiti fueritis quod in quadam cedula vobis tradita vos propriis manibus subscribere debeatis, quod si fieret, quod absit, dubitari forsan posset quod pro tempore redundaret in perniciem libertatis romane Ecclesie, et contra ipsius honorem, ac etiam in Dei offensam non modicam, et in occasionem nobis detrahendi, debilitationem justitie partis nostre, ac exaltationem et obdurationem intrusi et sibi adherentium, nosque jam obtulerimus plures modos et vias rationabiles, factibiles, Deo placentes, et juri convenientes, per quas utilius, brevius et expedientius ad honorem Dei et sue sancte Ecclesie et adherentium justitie hujus partis in Dei Ecclesia [unio] haberi potest et scisma eradicari et evelli, prout de apertione et oblatione modorum predictorum, et viarum per nos oblatarum dilectis filiis ducibus Johanni Bituricensi, Philippo Burgundie patruis, et Ludovico Aurelianensi, germano carissimi in Christo filii nostri Karoli, regis Francorum illustris, et per eumdem regem ad nos [1117] destinatis, et in quibusdam instrumentis super hoc confectis latius continetur, idecirco premissis et multis aliis attentis et consideratis que in tanto Dei et Ecclesie negotio attendi et considerari debent loco et tempore opportunis latius explicandis et etiam exponendis, vos omnes et singulos venerabiles fratres nostros sancte romane Ecclesie cardinales monemus, hortamur et requirimus in virtute sancte obedientie ac fidelitatis, quibus nobis et Ecclesie romane tenemini, ut nobis in prosecutione dictarum viarum per nos oblatarum et aliorum in premissis attentorum que ad bonum unionis tendunt, prout ad vos pertinuerit, assistatis et adhæreatis fideliter et diligenter absque fraude, dolo et maxinacione quibuscumque, nec ad impediendum unionem predictam detis consilium, auxilium vel favorem directe vel indirecte, publice vel occulte, prout etiam virtute juramenti per vos super hoc prestiti estis astricti ; et nichilominus inhibemus vobis et vestrum cuilibet in virtute sancte obedientie ne in dicta cedula, ut premittitur, vos subscribatis, nec etiam consentiatis aliqualiter aliis que non licent seu non decent seu ex quibus occasio forte preberi posset detrahi, quod contra reverentiam, obedientiam, aut honorem nobis et Ecclesie romane per vos debitos seu laudabiles mores inter nos et vos, predecessores

nostros et vestros, observari consuetos aliqua fierent. Quod si per vos vel aliquem vestrum contrarium fieret, quod non credimus, protestamur contra vos et vestrum quemlibet sic facientes de penis in jure statutis et aliis debitibus pro transgressione predictorum (*a*). Ad que vobis injungenda monemur, tum consideratione premissorum, tum etiam quia, ut a pluribus dicitur, erga nos et nobis assistentes modi inconvenientes servantur; propter quos, si aliud etiam a nobis fieret vel diceretur, censeretur forsitan non valere, et possent inconvenientia et scandala sequi. De quibus modis qui erga nos [1118] et nostros tenentur solempniter protestamur quod si per vos aliud fieret vel diceretur, sequeretur vel ob ea reputamus et volumus non valere et haberi pro infectis. Per premissa vero vobis venerabilibus fratribus nostris, quorum honori (*b*) prospicere ex nostra mentis affectu desideramus, vel quibusvis aliis in aliquo derogare non intendimus, nec precipere aliquod illicitum; set occurrere scandalis et animarum periculis que verisimiliter evenire posse timemus, et honori ac juri Ecclesie romane providere, ut juris et rationis fuerit et tenemur, et ita protestamur.

Item est sciendum quod magistri et doctores qui pro parte universitatis studii Parisiensis cum dictis ducibus, occasione premissa ad romanam curiam pervenerant, aliquibus vicibus, horis tamen et locis satis importunis, requisiverunt ipsum dominum nostrum ut eis vellet certam diem assignare et sine mora qua in consistorio publico et coram eo proponerent illa que ex parte Universitatis predicte conceperant proponenda. Quibus dominus noster diversis vicibus et signanter die mercurii ultima mensis junii; qua cum eodem domino nostro pransi fuerunt, ipsis, ut prefertur, requirentibus, gratiore respondit quod non erat assuetum Universitatibus studiorum per papam in consistorio publico super hac materia vel similibus audientiam dari, et quia proponenda per ipsos rationabiliter deberent esse talia que ipsius domini nostri conscientiam informarent et inducerent ad prosequendum animose dictam Ecclesie unitatem, convenientius erat quod talia sibi in secreto quam in publico dicerentur, nichilominus ad satisfaciendum aliqualiter, quantum honeste poterat, voluntati ipsorum, eidem domino nostro placebat eos audire in camera paramenti super hiis que vellent proponere, ubi admitterentur viri litterati et alii eis grati in multitudine satis magna. Sed dicti magistri et doctores gerentes aliud in

a) premissorum, *Bal.* — *b)* honorem (*sic*), *ms.*

corde, quod postea ostendit[1119]erunt, dictam respcionem minime acceptarunt.

Preterea prefati duces de respcionibus domini nostri non contenti, sed ostendentes se inde gravatos, pro eo quod ad voluntatem ipsorum viam renuntiationis expresse non acceptaverat, conventiones et consilia jam nuper incepta cum dictis dominis cardinalibus in domo fratrum Minorum frequentabant, instantes nichilominus apud dominum nostrum per aliquos de dictis cardinalibus et nonnullos de suis quod finalis intentionem suam tam super via renunciationis per eos mota quam super dicta secunda cedula declararet. Et nichilominus propter ista iidem duces in propriis personis die martis sexta juli et die mercurii immediate sequenti ad palatium papale venerunt, ad quod etiam dictos dominos cardinales venire fecerunt ; et intervenientibus aliquibus ex eisdem cardinalibus dominum nostrum ad satisfaciendum voluntati ipsorum sollicitabant. Ipse autem dominus noster sperabat eos ante recessum de palatio videre et cum eis super premissis familiariter loqui. Sed dicti duces adhuc, ut videbatur, de respcionibus pape non contenti, ad domos habitationum suarum redierunt, papa minime visitato ; tento tamen dicta die mercurii hora satis tarda secreto consilio cum cardinalibus in loco ubi dominus noster cum eisdem consuevit consistorium celebrare.

Tandem die jovis inmediata, que fuit viij juli, prefati duces et cardinales ipsi ad palatium convenerunt ; et ducibus in camera paramenti expectantibus, iidem cardinales ad dominum nostrum intraverunt, ipsum ut pro tantorum et irreparabilium periculorum evitacione ipsorum ducum voluntati condescenderet inducentes, et deinde cum eo ad cameram paramenti exiverunt ; ipsoque in sua cathedra collocato, duces prefati eumdem inmediate requisiverunt de tribus : primo vi[1120]delicet quod viam per eos apertam, quam etiam per eosdem cardinales ibidem approbari volebant, ut sepius petierat, acceptaret ; secundo quod inhibitionem, quam, ut preferatur, cardinalibus fecerat ne in quadam cedula se subscriberent, revocaret ; et tertio quod cedulam factam et juratam in conclavi, quam penes se tenebat, prefatis cardinalibus traderet. Et predicta etiam per ordinem fecerunt per cardinalem Florentinum nomine ipsorum cardinalium peti et requiri, licet dominus noster quod hujusmodi requisitio sibi per cardinales coram dictis ducibus fieret assereret minus decens et contra morem et honestatem cardinalium ad romanum pontificem hactenus observatis. Quibus requisitionibus dominus

noster respondit per ordinem, prime videlicet quod per principalem responsionem et subsequam declarationem jam nuper eis in scriptis oblatis, ac per quamdam cedulam quam ibidem legi fecit, credebat effectualiter satisfecisse voluntati domini regis Francie, petitioni ipsorum ducum, ac toti populo christiano, rogans et obsecrans quod de dictis responsionibus suis vellent remanere contenti. Ipsius cedula tenor talis est.

Benedictus, etc. Quoniam, sicut ad nostrum de novo pervenit auditum, aliqui nobis inpingunt etc., ut *tomo quarto historiae Universitat. Parisiensis*, pag. 750.

Ad secundam vero requisitionem respondit quod, licet crederet inhibitionem predictam fecisse legitime, nichilominus quod darentur sibi in scriptis ea in quibus per inhibitionem hujusmodi domini cardinales reputabant se gravari, et illa prout jus et ratio exigerent emendaret. Ad tertiam autem requisitionem respondit quod ea que sunt communia pape et cardinalibus, prout erat cedula supradicta, semper consueverunt per papam tanquam per caput omnium teneri et custodiri, nec volebat in hoc minori quam predecessores sui libertate gaudere. Sed quamvis de ipsa cedula quamplurime copie apud dictos duces et alios haberentur, nichilominus libenter daret eisdem cardinalibus, si volebant, copiam vel copias in forma auctentica de eadem. In hoc enim papa non attendebat ad aliquod interesse persone sue, cum nullum videret, sed solum ad immunitatem et honorem romano pontifici congruentes.

De premissis igitur prefati duces non contenti audientiam publicam a domino nostro sibi dari in generali consistorio petierunt. Quibus ipse dominus noster benigne respondit quod cum ex tali audientia potius scandalum et vituperium Ecclesie Dei quam utilitas aliqua verisimiliter sequi speraretur, nec duces hujusmodi audientia requirere nec idem dominus noster petitioni huic rationabiliter anuere poterant aut debebant. Quibus auditis, iidem duces ab ipso domino nostro ultimum et finale congerium receperunt, et facta reverentia, a presentia pape recesserunt. Sed antequam exirent de palatio apostolico predictos cardinales ibidem congregatos ad monasterium fratrum Minorum pro die veneris inmediate sequenti convocari fecerunt.

Qua die veneris prefatis dominis cardinalibus et aliis pluribus de quibus eisdem ducibus videbatur in magno numero pro parte ipsorum ad dictum monasterium congregatis, iidem duces primo per unum magistrum, qui erat de dicti regis et eorum consilio, et successive

per tres alios ex illis qui, ut prefertur, pro parte Universitatis studii Parisiensis venerant, coram se et congregata populi multitudine predicari fecerunt diversa et talia per que requisitionem renuntiationis per eos, ut supra scribitur, pape factam justificare et responsiones dicti domini nostri inpugnare quantum ipsis possibile nitebantur ; quorum omnium occasione dubitabatur verisimiliter communis populus contra honorem domini nostri concitari. Hiis-[1122] que peractis, prefati duces ad Villamnovam, et post paucos dies ad propria redierunt.

Et post predicta, eodem anno Domini MCCCXCVIIJ, de mandato regio fuit Parisius congregatio facta prelatorum, magnatorum et aliorum clericorum regni ; in qua presidentibus dominis ducibus et eis assistentibus quibusdam ecclesiasticis ad materiam indebite affectatis, et servatis modis de quibus non oportet exprimere de presenti, fuit de subtractione conclusum, contradicentibus tamen, ut aliqui dicunt, in secreto consilio multis de majoribus et quibusdam aliis qui magis regi attinent etiam nolentibus interesse. Nichilominus cancellarius regis Francie juxta mandatum sibi factum publicavit edictum subtractionis obedientie pape fiende per totum dominium dicti regis sub penis etc. observandum, intermissa appellatione ad futurum pape successorem; et fuerunt inde duo commissarii destinati, videlicet Robertus Cordellerii legum doctor, et Tristannus de Boscho prepositus ecclesie Attrebensis, de parlamento regis ; qui die dominica, que fuit prima dies septembbris, in Villanova prope Avignonem predictam subtractionem [publicarunt] cunctis de dominio ejusdem regis (*a*) tam clericis quam laicis precipientes sub gravibus penis quod ab obedientia, servitio et curia domini pape Benedicti recederent. Propter quod capellani, familiares, auditores, et alii officiales de domo pape et curia recesserunt. [Domini] cardinales etiam ad Villamnovam transierunt ; ubi congregantes cives Avignonenses, et cum eis consilio habito, prediecte regis subtractioni adheserunt et solemniter ab obedientia pape se subtraxerunt, et de rebellione fienda per cives Avignonenses et alios de comitatu Venaysini et terris pape ordinaverunt, et quemdam militem vocatum Bussicaldum cum gentibus armorum pro custodia, ut dicebant, dictarum ci[1123]vitatis et terrarum ad sua stipendia receperunt. Qui accessit ad quoddam castrum suum de Borbono prope Avignonem, deinde ad dictam civitatem cum suis gentibus

a) regis ejusdem, Bal.

armorum pro custodia, ut dicebant, profecturus ; ad quem quidam cardinalis de Villanova accessit, et cum eo secreto colloquio habito rediit ; predictusque miles statim per gentes suas quemdam abbatem, regentem comitatum Venaysini, familiarem pape, qui ad visitandum quedam castra per eum missus fuerat et ad eum redibat, nichil tale suspicantem crudeliter interfecit. Post que cives Avignonenses palatum episcopale, ecclesiam Beate Marie de Donis in rocha, et granaria pape occuparunt et gentibus muniverunt ; et capientes unum scutiferum familiarem pape, qui more solito claves civitatis custodiebat, ceperunt, et claves abstulerunt. Et deinde quidam familiares cardinalium intrantes civitatem, et ad hospitium ubi bulla tenebatur venientes, per violentiam quemdam bullatorem cum bulla pape ad Villamnovam secum duxerunt et cardinalibus tradiderunt, et diversi de familia pape et aliqui alii de natione Ispanie vulnerati, bonis suis spoliati et incarcernari fuerunt, et etiam pape et hiis qui cum eo in palatio remanserunt reclusi victualia denegata, et additus per cancellos et alias munitiones prohibitus, gentibus armorum in magna copia positis circumquaque. Et ¹ die lune xvij ejusdem mensis cardinalis de Novocastro, qui in Villanova fuerat per cardinales in Avinione capitaneus ordinatus, et jam Avignonem intraverat, et in palatio episcopali morabatur, equitavit per civitatem publice supra equum, indutus de rubeo sine roqueto et pallio, accinctus gladio, cum baculo in manu et habitu satis in honesto concitans populum ad rebellionem, cunctis clamantibus : *Vivat sanctum collegium et civitas Avinionensis*, per plateas et loca publica discurrebat. Deinde predictus Bussicaudus cum illis [1124] de Avinione turrim que est supra pontem a parte ville Avignonensis, quam quidam familiaris pape custodiebat, ipsi expugnaverunt, et igne comburentes januas, cum minis, ballistis et bombardis taliter artaverunt quod custodes non valentes resistere, de licentia pape turrim civibus tradiderunt ; qua cum magna exultatione occupata, banderias suas in summitate erexerunt, et palatum plus solito infestaverunt. Die vero beati Michaelis archangeli, que fuit dominica, predictus cardinalis de Novocastro cum bombardis palatum apostolicum fortiter infestavit et fecit per Bussicaldum et alios infestari, et quidam lapilli excussi ex lapide bombarde misso ex palatio parvo, ubi cardinalis morabatur, papam percusserunt. Die vero martis prima octobris predictus cardinalis divino, ut cre-

1. Vide Odoricum Raynaldum, an. 1398, § 24.

ditur, judicio glandulis et carbunculis percussus et factus quasi insensibilis, die veneris, que fuit sexta a die sancti Mic[h]aelis, vitam, utinam saltem corporalem, perdidit. Deinde due magne machine ex utroque latere palatii fuerunt erecte, que lapides magne quantitatis prohiciebant contra palatum ; cum quibus et multis magnis bombardis, sagittis, lapidibus, et diversorum generum machinis multis diebus expugnaverunt in tribus vel quatuor vel pluribus partibus ingentes minas subtus turres et murum fecerunt, per quas credebat turres et murum palatii in diversis partibus ruituros. Die vero **xxvij** octobris data hinc inde securitate per papam et ipsos qui cum eo erant ab una parte et per cardinales qui erant ab extra ac Bussicaldum, eorum capitaneum, ex altera, exiverunt extra palatum ad colloquium super tractatu concordie cardinales Pampilonensis, de Boyll et de Sancto Adriano, cum aliis tribus de cardinalibus qui erant ab extra ; qui cum minime concordassent, et predicti cardinales vellent redire ad papam, qui eos miserat, fuerunt per dictum Bussi[1125]caldum capti, et in continentia ad castrum suum de Borbonio missi, et ibidem capti detenti. Die vero sabbati **xxvj** ejusdem mensis magister portuum pro rege Francorum et Ricardus, miles, socius Bussicaldi, et alii fere **LX** homines armorum per unum magnum alveum intraverunt palatum in coquina, et quasi divino miraculo impediti, ibidem omnes capti sunt sine lesione notabili illorum de palatio, et deinde per Bussicaldum et illos de civitate fuit diutius palatum expugnatum ; sed illi de palatio viriliter restiterunt, et apposito igne in minis, nichil per gratiam Dei ruit de muris palatii, sed eas illi qui erant de palatio custodiverunt, et prout eis videbatur clauerunt ; et tandem conventum fuit inter eos qui erant ab extra et ab intra quod ab expugnationibus cessaretur. Et sciendum quod durante tempore obsidionis multi de illis qui erant infra palatum mortui fuerunt, aliqui vulneribus, aliqui infirmitate propter defectum victualium et medicinarum que pro talibus vulneribus et infirmitatibus erant necessaria, que petita eis crudeliter denegabantur. Et post fere per quatuor menses deficientibus victualibus, illis qui erant ab intus spes remedii cuiuscumque deperit. Tandem aliqui amici, consanguinei et servitores domini nostri pape de ipsius anxietate et angustia ac tribulatione condolentes, eumque ab eis liberari cupientes, cum certo apparatu galearum et vasorum aliorum per mare juxta Rodanum venientes, et Rodanum intrare volentes, per plures dies vento et fortuna maris eis contrariantibus Rodanum ipsum intrare non potuerunt. Tandem predictis cessan-

tibus intraverunt Rodanum ; sed propter defectum aque Rodani, que erat multum diminuta, aliisque ex dictis galeis recedere habuerunt, et aliique ex eis post plures dies usque ad Valobregam cum magna difficultate venerunt, et quia ulterius propter diminutionem dicte aque ascendere non valuerunt, [1126] coacti sunt recedere. Et post quatuor menses papa et hii qui cum ipso sic obsessi in palatio remanserunt, sed ad ultimum deficientsibus victualibus, spes remedii cujuscumque deperit. Sed medio tempore ambaxiatores regis Aragonum, qui Parisius iverant ad obstandum quantum possent predictis periculis quibus papa cum suis notorie subjacebat, non valentes aliter providere, reportaverunt pape quamdam cedulam per consilium regis Francie eis traditam, in qua continebatur inter cetera in effectu quod super factis pape rex Francie non intendebat ambaxiatoribus predicti regis Aragonum respondere, sed proprios ambaxiatores ad regem Aragonum mitteret, qui sibi intentionem regis Francie explicarent, et per Avinionem transirent, et si papa vellet pro bono unionis Ecclesie, intruso cedente, mortuo vel ejecto, papatui renuntiare ad finem quod eligatur tertius unicus verus pastor, etc., quo facto statim, ut ibi continebatur, unio Ecclesie haberetur, et vellet a se gentem armigeram expellere, rex Francie ipsum sub protectione sua regia reciperet, et cardinales ac cives Avinionenses ab omni via facti cessare faceret, et de securitate debita provideret ; quod si papa statim predicta se facturum ambaxiatoribus regis Aragonum promitteret, sui ambaxiatores, cum essent Avinioni pro executione predictorum, ad ipsum intrarent, alias recta via in Aragoniam procederent, prout latius hec et alia in predicta cedula continentur, cuius tenor sequitur sub hac forma.

Ista est responsio domini nostri regis Francie, etc., *ut apud Odo-
ricum Raynaldum ad annum 1399, §. 10.*

